This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



D. E. STECHERT & CO.
NEW YORK



CORNELII NEPOTIS

EXCELLENTIVM IMPERATORVM

VITAE

AD OPTIMORVM EXEMPLARIVM FIDEM

RECENSITAE

ATQVE

PROOEMIO

CHRONOLOGIA ET INDICE RERVM

INSTRVCTAE

A

CAROLO HENRICO TZSCHVCKE.

GOTTINGAE, MDCCCIV.

SVMTIBVS HENRICI DIETERICH.

PROOEMIVM.

§. 1. *De Nepotis aetate.*

Cornelius Nepos [1]) ex celeberrima Corneliorum gente, vt recentiores quidem putant, natus est [2]) Hostiliae, qui vicinus vicus est Veronae, in Gallia Transpadana, vnde etiam illi Veronenses cum aliis vrbis suae alumnis inlustribus publica auctoritate statuam posuerunt [3]). Veteres auctores ad vnum omnes de natali eius loco silent; solus Plinius, satis quidem obscure et vage, *Padi adcolam* vocat [4]). Quum tamen eadem pars Italiae, quae Venetam ciuitatem et Istriam complectebatur, Galliae etiam Togatae nomen ferret, facile hinc conciliantur Ausonius et Catullus, quorum ille Galliae dat [5]), hic Italum facit [6]). Quo anno natus fuerit, quibus

1) De Cornelio Nepote, qui plura dabunt, consuli possunt praeter alios, in primis Nepotis editores, *Vossius* de historicis Latinis lib. I. cap. 14. *Dan. Guil. Molleri* dissert. de Corn. Nepote. Altorf. 1683. 4 *Fabricius* in biblioth. Latin. lib. 1. cap. 6. *Scip. Maffei* degli Scrittori Veronesi nella Verona illustrata. P. 2. p. 7. *G. Ephr. Müller* Einleit. in die Lat. Schriftst. T. 2. p. 301. *Funccius* de virili aetate latinae linguae. P. 2. p. 224 sqq. *Hamberger* in Nachrichten. P. 1. p. 483 sqq. *Schlegelius* in Obss. crit. et hist. ad Corn. Nepot. (Havniae 1778. 4.).

2) *H. Ostiglia.*

3) Testatur *Onuphrius Panuinius* in Antiq. Veron. lib. 6. p. 145.

4) Hist. Nat. 3, 22. s. 18.

5) *Ausonius* in praefatione ad Latinum Pacatum Drepanicum.

6) Catull. epigr. 1.

vsus parentibus, ne verbo quidem et vel leui indicio auctores adtigerunt; at certiora exstant documenta, ab ipso etiam edita, ex quibus adparet, Iulii Caesaris et Augusti temporibus vixisse: quippe Attico se superstitem fuisse scribit [7]), quem obiisse constat [8]) Cn. Domitio et C. Sosio COSS. i. e. a. V. Catonianae subputationis 720. a. Chr. 32. Iulius Caesar interfectus est a. V. Caton. 708. a Chr. 44. quod XII. annorum intervallum facile id euincit, si cogites, Nepotem adultiori demum aetate Attici vitam scribere potuisse, immo prouectioribus vitae annis scripsisse, satis probabili argumento doceri potest. Attici enim familiarissimus [9]), eius rebus domesticis interfuerat, quod arctioris amicitiae amorisque mutui vinculum annorum maxime nectit continetque aequalitas [10]). Sexagenarius autem certe eo fuit tempore Atticus, quo perpetuam in vrbe sedem constituerat, et in domesticis rebus a Nepote cognosci potuit. Tum vero etiam eius aetas non solum in Caesariani belli tumultus, sed et Sullae tempestatis clades inciderat, quorum in Attici vita mentio fit.

Quodsi coniecturis, ex eodem fonte petitis, indulgere et vlterius quasi iaculari liceat, paruo interuallo annus eius natalis ab Attico remotus esse debuit. Adcedunt alia signa, ab ipso Nepote adposita, quod Iulium Caesarem non obscure carpit, dum Timoleontem laudat [11]), qui patriae legibus parere maluerit, quam imperare,

7) In Attici vita, cap. 19. in.
8) Vid. ib. cap. 22, 3.
9) Ibid. cap. 13. extr.
10) Ibid. cap. 7. in.
11) In vit. cap. 1, 3.

et Agesilaum [12]), qui, reuocatus in patriam, tanta modestia dicto audiens fuerit iussis absentium magistratuum, vt si priuatus in comitio fuisset Spartae; apertius C. Caesaris perdita et inpia consilia damnat [13]): item veteranorum intemperantiam et nimiam licentiam grauiter castigat [14]), qua et duces suos et aduersarios perdiderint. Eadem vero, quae supra, indicia aetatis expressa leguntur in aliis auctoribus. Catulli aequalem fuisse, ex dedicatione carminum illius adparet; amicitiam cum Cicerone contractam testantur multa loca in fragmentis conlecta. Nec certiora adsunt monimenta, ex quibus de emortuali eius anno statui possit. Anno V. 720., quo Atticus obiit, superstitem fuisse, ex superioribus nouimus; Octauiani imperii anno quarto [15]), Olympiade 185. inclaruisse, adfirmat Chronicon Eusebianum; Diui Augusti principatu mortuum esse, testatur Plinius [16]).

§. 2. *De vita et moribus Nepotis.*

Quam vitae rationem institutam egerit Nepos, quibus honoribus fuerit ornatus, quos mores protulerit aliisque probauerit, vel plane ignotum latet, vel tamquam maligniori luce per nebulas emicat, vel etiam ratiocinando et comparando elici debet. De muneribus eius publicis vitaeque genere ne remotum quidem et leuissimum reperitur indicium: tantum hoc ex

[12]) 17, 4, 3.

[13]) Fragm. 5, 6.

[14]) In Eumene cap. 8, 2.

[15]) Quae incidit in annos V. c. Caton. 712-716.

[16]) Hist. Nat. 9, 63. s. 59. et 10. 30. s. 23. Quod idem a Mela tradi scribit *Schlegelius* in Obss. in Nepotem p. 12. errat.

Plinio discitur [1]), ad senatoriam dignitatem numquam euectum fuisse. Videtur literis vnice vixisse, aliorumque, in primis amicorum, in iis Atticis rebus et commodis inseruiisse: neque tamen a rebus etiam forensibus abstinuisse, haud dubia suspicione elicitur ex Hieronymo, qui Cornelium retulisse scribit [2]), se praesente Tullium iisdem paene verbis, quibus edita sit, pro Cornelio, seditioso tribuno, defensionem perorasse. Vnum hic clarissima luce adfulget Plinii testimonium [3]), qui honestatem et morum sanctitatem in eo praedicat, et his virtutibus cum Virgilio, Ennio et Accio componit. Quae si ad ipsas significationes adtuleris, quas in libris suis edidit Nepos, mirifice non solum confirmata, sed et disertius et singulatim declarata inuenies. Ita nempe virorum inlustrium vitas persequitur, vt facile adpareat, quanto studio virtutem coluerit, inprobitatem exosus fuerit. Eorum non solum descriptionem proponit, sed et originem indagat, et progressionem et incrementa ita in conspectu ponit, vt ad vitae rationem imitando vel cauendo transferri possint. Sed si singula desiderantur, seuere inuehitur in philosophos, qui, quae in scholis praecipiant, vita euertant [4]); reprehendit libidinem magistratuum [5]), qui, remoto iure, in administranda re publica dominentur; de honorum effusione queritur [6]), eorumque orta inde vilitate; timiditatem bonorum et ignauiam incusat, qui pro libertate fortius loquebantur, quam pugna-

[1]) Lib. 5. Ep. 3.
[2]) In epistol. 61. ad Pammachium, cap. 4.
[3]) C. 1.
[4]) Vid. Fragm. 5, 1.
[5]) 24, 2, 2.
[6]) 1, 6, 2.

bant [7]); veteranorum castigat inmodestiam et licentiam [8]). Contra ex plurimis locis spirat acerrimus patriae amor, quo agitatus eos laudibus effert, qui, quum potuissent, regnare noluerint [9]) et libertatem ciuium dominationi praetulerint [10]), patriaeque potius opes, quam aliorum augere studuerint [11]); cuius laudis vis eo est efficacior, quod interposita est narrationibus rerum, quarum comparatio ad rei publicae Romanae conditionem transferri commode poterat. Nec minus feriunt altiusque infixae sedent sententiae virorum inlustrium, quae, quia non consulto et studio ad monendos lectores quaesitae videntur, sed vltro et ex rerum serie prognatae, tum quia editae sunt ab iis, quorum virtutes eximiae, in conspectu publico expositae, admirationem excitarant, auctoritate sunt grauiores et proniori via ad animos descendunt. Sapienter igitur et hac obportunitate vsus est auctor, vt et ipse animi bonitatem probaret, et suis ciuibus eosdem sensus insereret. Tales sunt ex multis: *Nihil sine Deorum numine geritur* [12]); *orbis terrarum diuitias adcipere nolo pro patriae caritate* [13]); *ciues ciuibus parcere aequum* [14]); *nihil in bello contemni oportet* [15]); *nimia fiducia magnae est calamitati* [16]); et plures aliae singulis vitis per sermones et epistolas intextae.

[7]) 8, 2, 4.
[8]) 18, 8, 2.
[9]) Fragm. 5, 6.
[10]) 1, 3. f.
[11]) 9, 5, 2.
[12]) 20, 4, 3.
[13]) 15, 4, 2.
[14]) 8, 2, 6.
[15]) 8, 2, 3.
[16]) 16, 3, 1.

§. 3. *De doctrina et scriptis Nepotis.*

Sed progrediendum est ad id, cuius causa hic maxime agitur, ingenii dico bona et monimenta eruditionis, quibus nominis sui memoriam inlustrauit, et ad posteritatem propagauit. Neque enim sola adsunt testimonia et iudicia aequalium, qui, quum ipsi doctrinarum laude florerent, doctissimum quemque cupide adpetebant et amplectebantur, quales fuere in primis Catullus, qui illi adeo carmina sua dedicauit, [1]), Cicero, qui amicissimum eum habuit [2]) et de rebus ciuilibus aeque atque eruditis per epistolas interrogare solebat [3]); Atticus, cuius adeo rebus domesticis se propter familiaritatem saepe interfuisse ipse praedicat [4]). At luculentissime declarant comprobantque libri ab illo olim editi, quibus maxime studiis deditus fuerit, quam late patuerit doctrinae copia, quo cultu et habitu literas ornauerit, etsi plerosque iniuria maligni fati ereptos nobis esse dolemus, ita vt vel ex inscriptionibus eorum, vel ex narrationibus aliorum de iis tantum iudicare liceat. Solus enim adhuc exstat, cuius hic explicationem adiunxi, liber de vita excellentium Imperatorum, vti praeeunte ipso auctore in praefationis fine inscribitur. Qualis autem ille ad nos seruatus peruenit,

1) Vid. Catull. 1, 1.

2) *Gellius* 15, 28. *M. Ciceronis*, inquit, *vt qui maxime, amicus fuit.* Quod tamen ita inpugnat Schmiederus in vita Nepotis, quam editioni suae praemisit, vt ex lib. 16. epist. 5. ad Atticum id minime liquere contendat; immo alium ibi intelligi Nepotem, quod nec noster in Attico Ciceronis amicitiam laudet, nec Nepotis vspiam Cicero. At quum ex arbitrario silentio in neutram partem de rebus recte iudicari possit, tum etiam satis graue adest Gellii testimonium.

3) Exempla dabit Fragm. cap. 5.

4) In vita Attici cap. 13. extr.

ex antiquissima populorum historia eos praecipue eximit, qui rerum gestarum gloria meritorumque de ciuibus suis laude inclaruerant. Prodeunt igitur ex Graecis Athenienses [5]) et Lacedaemonii [6]), Thebani [7]) et Corinthii [8]), quibus interposuit ex Syracusanis Dionem, ex Caribus Datamem, ex Macedonibus Eumenem, adiectis regibus quibusdam [9]), duabus Carthaginiensibus, et, qui aliunde depromti adcesserunt hodie, Catone et Attico; illius quidem vita breviter strictimque adumbrata, quod peculiari libello eam, rogatu Attici, exposuerat, huius diligentiori cura per singulas partes deducta est. Vtraque autem petita videtur ex alio libro de viris inlustribus, et a Codicibus quibusdam olim excepta, postea, praeeunte Petro Cornero, qui exeunte saeculo XV. Mediolani Nepotem euulgauerat, in vnum corpus cum reliquis coaluit, quare recte distingui inscriptione possit. Ex imperatoribus tamen illa pars intercidit, in quibus Romanos se explicasse dicit in fine Hannibalis. Eius opera vsus esse videtur Plutarchus in conscribendis vitis Marcelli et Luculli [10]).

In libris deperditis, quos ab eo scriptos esse auctores veteres indicant, commemorantur: I. *Tres Chronicorum libri* [11]. Annales iidem vo-

[5]) Miltiades, Themistocles, Aristides, Cimon, Alcibiades, Thrasybulus, Conon, Iphicrates, Chabrias, Timotheus, Phocion.

[6]) Pausanias, Lysander, Agesilaus.

[7]) Epaminoudas, Pelopidas.

[8]) Timoleon.

[9]) Hamilcare et Hannibale.

[10]) V. in vita Marcelli cap. 30. et comparatio Pelopidae cum Marcello, it. in vita Luculli cap. 43.

[11]) V. Fragmentor. cap. 1. Tres fuisse, ex dedicatione Catulli efficitur.

cantur a Iornande [12]), in quibus res Romanas inde ab vltima Italiae origine repetierat. II. *Exemplorum aliquot libri*, ex quorum secundo locum profert Charisius [13]), ex quinto Gellius [14]), de re in altero Punico bello gesta. III. *Plures libri de viris inlustribus*, ex quibus Charisius XV. et XVI. laudat [15]). Videtur in illis exposuisse de viris, qui non solum rerum gestarum gloria inclaruerant, sed et doctrinae aliarumque rerum laude viguerant, siue Graeci illi fuissent, siue Romani. Ex his libris, quos hactenus recensui, ductum est sine dubio testimonium Nepotis, quod adfert Plutarchus in vita Ti. Gracchi [16]). IV. *De vita Ciceronis libri*, ex cuius primo libro excerptus legitur locus apud Gellium [17]). V. *De vita M. Porcii Catonis*, quam rogatu Attici separatim et prolixius descriptam fuisse, adfirmat in fine eius, quam breuiori summa contractam nunc habemus. VI. *Liber de Historicis Graecis*, ad quem de Philisto ipse lectores ablegat in vita Dionis [18]), etsi illum quidam partem illorum librorum fuisse putant, quos de viris inlustribus ediderat. Tum vero etiam eodem reuocare possis librum de Historicis Latinis, cuius mentionem faciunt Codices quidam [19]), nec obscuram significationem dedit Hieronymus [20]); forte

12) De rebus Geticis cap. 2. Vid. Fragm. 11, 3.

13) Lib. 1. p. 119. in Grammaticis Lat. Putschii.

14) 7, 18. Cf. Fragm. cap. 2.

15) Lib. 1. p. 113 sq. Cf. Fragm. cap. 3.

16) Cap. 21.

17) Lib. 15, 28. in. Cf. Fragm. c. 4.

18) Cap. 3, 2.

19) Ita Codex Gifanii ante vitam Attici, et Codex Guelferbytan. ante Catonis vitam.

20) In Praef. de vita scriptt. eccles.

etiam inde particulas produxerunt Suetonius et Donatus [21]). VII. *Epistolae ad Ciceronem*, ex quibus aliqua retulit Lactantius [22]). VIII. *De Regibus* etiam eum peculiari libro tradidisse quidam suspicati sunt [23]), inducti auctoris verbis [24]): *reges adtingere noluimus, quod omnium res gestae separatim sunt relatae* [24]). Sed hanc coniecturam inpugnauit et labefactauit Bosius in notis, quod in vniuersum id Nepos retulerit, quum alias de suis libris diserte et simpliciter loquatur. Ita etiam, an Geographiam peculiari libro tractauerit, an aliis libris adtigerit, difficile est dictu, quia, quae inde in Fragm. c. 7. et 8. ex auctoribus delibata leguntur, libri mentionem adiectam non habent.

Sed sunt alii libri, quos, quia olim quidam Nepoti tribuerunt, vel etiam editores inscripserunt, breuiter adtingi par est. Sunt autem: I. *Liber de viris inlustribus*, qui nunc Aurelio Victori meliori iure vindicatur, eiusque scriptis adpositus reperitur. Erroris causam dederunt libri Nepotis, supra indicati, de viris inlustribus. II. *Historia excidii Troiae*, quae vulgo sub Daretis Phrygii nomine fertur, sed rectius posterioris aetatis fetus, a Septimio quodam editus, censetur. Nonnulli etiam Nepoti obtruserunt versionem epistolae Alexandri Magni de mirabilibus Indiae. Horum vero omnium spurios natales coarguit, praeter ipsas res expositas, oratio hoc auctore parum digna [25]).

21) Loca ex iis translata sunt in Fragm. cap. 1, 6. et cap. 6.

22) Diuin. instit. 5, 15, 10. sine libri tamen primi mentione, vti cum Fabricio quidam scribunt.

23) In iis Lambinus in notis, Vossius de historicis Latinis 1, 14.

24) De regibus cap. 1. in.

25) Qui plura de iis desiderat, satis facient illi Vossius et Fabricius cc. ll. praeter editores quosdam Nepotis.

§. 4. *De vero auctore libri de vitis excellentium imperatorum.*

Contra nostrum librum Nepoti multi olim subtraxerunt, et ad Aemilium Probum detulerunt; quare etiam in prima editione Iensoniana 1471. aliisque veteribus huius tantum nomen, tamquam auctoris, in fronte conspicitur. Primus Lambinus parenti suo adserere data opera studuit, cui et alii post adsensi sunt; a quo inde tempore vel vtriusque nomen praepositum est, vel, omisso Probo, solius Nepotis stetit. Nempe quum Aemilius Probus neglectum forte hunc librum, vel obliuione inobscuratum vidisset, dignum tamen illum existimasset, qui detersa puluere ex tenebris in lucem publicam protraheretur, descriptum ac recensitum Imperatori Theodosio, cuius tempore, Saec. IV., viuebat, rudioribus versibus, male subpresso Nepotis nomine, dedicauit, qui quidem ipsi posterioris Latinitatis formam facile produnt, quum contra Nepotis oratio melioris aeui colorem et habitum praeferat. Adcedunt alia fraudis indicia, quae ex temporis notatione petuntur. Auctor enim Attici tempore se vixisse disertis verbis in praefatione declarat; tum [1]) passim illius aetatis mores et instituta adtigit, quae a Theodosiana plane erant aliena vel diuersa, vt tales ineptias effundere et adspergere narrationi minime ex suo fonte potuerit. Exstant maxime illa loca, in quibus contra tyrannidem inuehitur, et inuisam singularem potentiam pronuntiat [2]). Rectius igitur a Nepote vitam inlustrium virorum pro-

[1]) Veluti 1, 6, 2. 15, 10, 3. 17, 4, 2. 18, 8, 2. Sed cf. supra c. 1. vbi de Nepotis aetate dictum est.

[2]) V. in Dione 9, 5.

fectam esse plerique contendunt, et, quia in Attico consentiunt libri, idem de reliquis ex praefatione conligere licet. Neque tamen dissimilo, ad firmiorem fidem, in librorum fluctuatione, desiderari disertam Nepotis mentionem et excerptorum locorum testimonia: praeterea ipse orationis color, quo Imperatorum vitae ab Attico discrepant, et quaedam verborum formae insolitae, rariores structurae miraeque compositiones, de quibus infra dicendum erit, Nepotis manum renuere videntur. Mediam igitur viam insistere tentauit Barthius [3]), qui, quum Nepotis quasi exuuiis ornare Aemilium Probum non sustineret, ita vtrique suas partes detulit, vt, quod in Trogo Pompeio fecit Iustinus, hic pleraque Nepotis loca mutarit, et alia vel intexuerit, vel omiserit, vel contraxerit: vnde Attici vita, quae illam contrectationem non subierit, candore et suauitate a reliquis discrepet. Quae quidem veri aliquam speciem habere et adlicere videntur, in primis si iis addas, quod de magnitudine voluminis indicat Noster [4]). Verum Attici vita, aliunde hic addita, cum aliis comparari in hac quaestione nequit, nec, quae in his insolentiora videntur, indubiae sunt fidei, et vnius exempli, etsi facile largior, duriora quaedam et molesta Ciceronianis auribus vel ex Aemilii Probi sensu adspersa, vel a librariorum contaminationibus infecta prodiisse. In compendium autem redactas fuisse vix est credibile, quod ipse auctor pluribus in locis breuitatem profitetur non solum sed et excusat [5]), sic vt

3) Aduersarior. lib. 24. c. 18. lib. 25. c. 15. et ad Statii Theb. 2, 119.

4) In Praefat. §. 8.

5) V. Praef. extr. item 16, 2. in. 15, 4, 6.

magnitudo voluminis memorata non tam singulas vitas spectet, quam vitarum expositarum multitudinem coactam, quarum maior pars periit, in inlustribus aliis Imperatoribus haud dubie obcupata, quales Plutarchus aliique descripserunt. Ita vero etiam Aemilius Probus praecidisset intextas plures sententias, Theodosianae aetati et moribus minime adcommodatas et probatas [6]). Si qua tamen ex eius contactu adhaeserint, pauca illa certe sunt, et sine graui calamitate resident.

§. 5. *De fide et fontibus Nepotis.*

Quum primaria historici virtus ex ipso scribendi consilio enata et legentium desiderio expetita in narrationis veritate cernatur; id potissimum operam dabit, vt ipsarum rerum sibi comparet certam et indubiam cognitionem, et, quae vera, vndique omnibus diligenter et caute exploratis, iudicarit, remota omni cupiditate et partium studio integra et intemerata simpliciter et aperte tradat. Quae igitur suo tempore gesta sunt, ipse vel praesens audire et videre studebit, aut, si iis interesse non potuit, ex certis grauibusque testibus cognoscet; in iis, quae remotiora tempora adtingunt, adtente circumspiciet, et diligenter consulet eos, qui fidei sanctitate verique amore maxime eminent, et iudicandi facultate testiumque grauitate ac delectu peritis rerum existimatoribus probantur. Ita vero Attici vitam ipse bene cognitam habere et describere poterat, quum eius esset familiaris, et

[6]) Nempe in vniuersum hoc dici, in singulis demonstrari non potest, quum et suis modis et formis delectatum fuisse Nepotem ex fragmentis discatur.

plurima ipse praesens vel vidisset, vel audivisset, vt [1]) ipse adfirmat, et id vnice cauere debebat, ne plus iusto veroque amicitiae daret et amori, quod quidem, si aliorum testimonia comparemus et ipsam Nepotis narrationem, exemplorum et argumentorum grauitate in singulis partibus confirmatam, consideremus, cauisse vtique videtur. Alia est reliquarum vitarum maxime Graecorum imperatorum ratio, in quibus recte quaeritur, quo adparatu munitus ad eas adcesserit et quos testes rerum singularum adhibuerit. Quum in praefatione nihil de iis adferat, sed tantum de diuersis Graecorum et Romanorum moribus moneat, neque tamen temere et arbitrario tam grauem virum et seuerum egisse par sit, cuius diligentiam veteres etiam praedicant [2]), ex ipsa vitarum serie indicia conquiri debent; quae nec desunt. Omnino autem plures consuluit, illorumque narrationes inter se comparauit et diiudicauit, etsi non omnes persequitur, vti ex Themistocle [3]) et Hannibale [4]) discitur. Eorum aliqui facile in Graecis auctoribus adhuc seruatis adnoscuntur, alii ignorantur, alios ipse nominauit. Sic, quod ex comparatione rerum instituta aliorumque auctorum testimoniis efficitur, sequutus est passim Ephorum, etsi nuspiam in nostris quidem vitis eius nomen legitur. Refertur huc [5]) narratio de obsessa Paro [6]), de insidiis Alcibiadis vitae

[1]) In Attici vita cap. 13. extr.

[2]) *Gellius* 15, 28. *Cornelius Nepos*, inquit, *rerum memoriae non indiligens.*

[3]) Cap. 9. in. *Scio*, inquit, *plerosque ita scripsisse.*

[4]) Cap. 8, 2. *alii — alii scriptum reliquerunt.*

[5]) In Miltiade 7, 2.

[6]) Cf. 7, 10, 4. et 9. vbi cf. notata.

structis mortisque inlatae modo, vt praeteream alia; de aliis passim in notis dixi. Sic quum plerosque scripsisse refert, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transiisse [7]), Plutarchus nominat Ephorum, Dinonem, Clitarchum, Heraclidem [8]); plures omnino innuit. Sunt tamen quaedam, quae in Graecis auctoribus hodie non leguntur, veluti in Epaminonda de Micytho [9]), sic vt fontes, vnde hausta sunt, plane lateant; quod et adcidisse videtur in aliis, in quorum commemoratione ignotos plane nobis auctores reddidit, qui, quum a nostris discreparent, forte etiam vera falsis admiscerent, ita Nepotem, bona fide hos duces sequentem, ceperunt, vt trita via relicta in errorum deuia deferretur. Hinc pro *Eurymedonte Mycalen* dat [10]), pro *Aristodemo* substituit *Agesilaum* [11]), et modo res, modo tempora conturbat, aut certe conturbare videtur: de quibus disserendi locum aptiorem aperuerunt notae [12]). Saepius tamen ipse auctores suos adposito nomine vel in vniuersum et simpliciter, vel in singulis factis professus est, quales sunt in Graecorum rebus Thucydides [13]) et Xenophon [14]), qui soli ad comparationis vsum

7) Cap. 9. in.

8) In Themistocle cap. 22.

9) Cap. 4, 1.

10) 5, 2, 2.

11) 17, 5, 2.

12) Vid. ad 4, 2, 6. 6, 3, 1. 7, 2, 2. 9, 1, 1 et 2, 2. 10, 2, 2. 12, 2, 3. 23, 5, 1. et alibi passim. Sic Gellius 15, 28. Nepotem erroris arguit, quod Ciceronem tres et vigiuti annos natum pro Sex. Roscio causam dixisse scripserit.

13) Cf. 2, 1, 4. 2, 9, 1. 4, 2, 2. 7, 11, 1.

14) Cf. 17, 1. in.

supersunt; Theopompus [15]) et Timaeus [16]), quos quidem ambo maledicentissimos homines vocat [17]); in rebus Siculis Philistus [18]); in Persicis Dino [19]); in Romanis praeter Atticum et Sulpicium Polybius [20]); de Hannibalis bellis Silenus et Sosilus [21]). Ex iis, quos maxime reddidit, fuerunt Thucydides, Xenophon et Theopompus. Ex Thucydide passim loca in notis conferuntur, veluti in Alcibiade et Pausania [22]); ex Xenophonte in Agesilao, veluti vbi Agesilai pietatem Tissaphernis perfidiae obponit [23]); in primis vbi Spartam muris denudatam sola Agesilai virtute seruatam scribit [24]), quia in hoc ab aliis discrepat, qui ad Agidem id referunt, in quibus Diodorus ex Theopompo [25]), vt quidem ibi putat Wesselingius, et aperte docet Plutarchus [26]). De Theopompo enim non nisi ex fragmentis iudicari potest, quae alii auctores exceperunt et conligere nuper Kochii diligentia tentauit: sic de lautiori Chabriae vita [27]), de coronis Agesilao in Aegypto oblatis [28]). Sed quod contendit idem in prolegomenis ad Theopompum, conlatis vtriusque locis, huic vnice

15) Cf. 7, 11, 1. 11, 3, 2.
16) Cf. 7, 11, 1.
17) C. l.
18) 10, 3, 2.
19) 9, 5, 4. Cf. etiam ad Themistocl. cap. 9. in.
20) 23, 13, 1. vbi hi tres simul commemorantur.
21) 23, 13, 3.
22) Cf. ad cap. 2. ad Alcibiadem et Agesilaum passim.
23) Cf. cap. 2, 4. et ibi notata.
24) Cap. 6, 1.
25) Lib. 15. c. 82.
26) In Agesilao cap. 32. extr. et 33. in.
27) Cap. 3, 2.
28) Cap. 8, 4.

fuisse addictum, repugnat exemplum, quod paullo ante de Sparta ab Agesilao seruata commemoraui, ne dicam parum id decere grauem historicum, qui omnia adcurate disquirit recteque ponderat. — Desideratur vtique in harum recensu Herodotus, nec sine causa, quum in iisdem rebus explicandis magna eius opera versetur. Neque tamen temere eum exclusi, sed lubenti animo adsentior Schlegelio [29]), qui, excussis et exploratis omnibus, negat, Nostrum adhibuisse Herodotum adeoque cognitum habuisse. Neque id mirum, si in tanta Graecorum scriptorum copia ipsorum librorum caritatem aeque ac raritatem consideres. Forte etiam, si ad manum vsumque habuit, tam parum illi tribuendum arbitratus est, vt vti eo nollet. Vix enim alias intelligi posset, qui tantopere ab eo in Miltiadis vita discrepet, in qua vel Ephorum sequutus est, vel alium; neque, si cum Herodoto passim consentit, prior sententia conruit, quia tunc Herodotus eadem, quae alii, retulerat etiam. — Quod vero ex iis, quae hactenus disputaui, cognoscitur, non obsequio seruili iis paruit, sed adhibito iudicio factoque rerum delectu, sic vt ex vasta earum congerie et ambitu decerperet eas, ex quibus natura virorum clarorum et vita tamquam conlecta imagine sine mora et taedio cognosci posset: in quo quantum a Plutarchi diffusa luxurie Velleiique ambitiosa ostentatione recedat, facile ex vtriusque comparatione discitur [30]). Nec minori prudentia in

[29]) In Obss. in Nepotem p. 19.

[30]) Cf. in primis de Alcibiade 7, 1. de Epaminonda 15, 3. in quorum indole moribusque describendis quam eleganter versatus sit, satis exposite declarauit Bergstraesserus in Praef. ad verusculam Nepotis interpretationem.

aliis versatum esse, docet testimonium Melae [31]), qui certam eius auctoritatem praedicat, et in plurimis locis Plutarchus [32]) et Plinius, in quibus eius narrationes referunt, etsi hic credulitatem in Geographicis quibusdam incusat [33]). Ita et in his vitis aliqua sunt, quae negligentiae reprehensionem subierunt, vt, quum Themistoclem ad rem publicam adcessisse scribit in bello Corcyraeo [34]), quum alii omnes, certe qui adhuc exstant, bellum Aegineticum commemorent: nec labe carere videntur, quae de Ptolemaeo narrat [35]). Et sic passim quaedam obiiciuntur, quae in disceptationem venerunt, et vel dubia, vel incerta a nonnullis habentur, quorum tamen causae ad auctores transferri possunt, quos cupide nimis et temere sequutus erat, vti et omnino fundere solet incuria, aut parum cauere humana natura, quae probari peritis et adtentis iudicibus nequeant. Luculentum exemplum ipse posuit in Datame [36]), vbi ex Homero refert, Pylaemenem in Troico bello a Patroclo interfectum fuisse, quod tamen Homerus Menelao tribuit [37]). Quae ex praua Graecorum interpretatione adlitae videntur maculae, de iis deinceps aliqua adferam. Hoc vnum addere liceat, quod, etsi Graecorum vitas describit, ita tamen data obportunitate ex iis multa sic regit et versat, vt Romanorum ani-

31) Lib. 5. cap. 5. extr.

32) Cf. supra ad 9, 3. et fragmentor. cap. 9. Ex Plinio plurima loca in iisdem conlecta reperiuntur cap. 7 sqq.

33) Lib. 3. c. 22. s. 18. et lib. 5. cap. 1.

34) Cap. 2. in.

35) Cf. de regibus cap. 3. extr.

36) Cap. 2, 2.

37) Il. 5, 578.

mos ad patriae amorem constantiorem excitent, inmodestiam militum coerceant, et prauam dominandi libidinem castigent, quorum exempla supra adposui.

§. 6. *De oratione Nepotis.*

Quum amplus hic campus pateat, in quo euagari longius disputatio possit, ita tamen contrahendi sunt eius fines, vt breuiori spatio contineatur. Est autem omnino Nepotis oratio brevis, simplex et grauis, luculenta tamen, verbis perspicuis et efficacibus expressa, natiua pulcritudine condecorata, rerumque apto rectoque ordine contexta. Sunt vero in singulis quaedam, de quibus monendum videtur. Ita in verbis singulis notanda obcurrunt, quae aut sunt rariora, aut insolentiora, siue singulorum vsum, formam et compositionem spectes, siue structuram eorum consideres, etsi non in omnibus sibi constant editiones virorumque doctorum sententiae; vnde factum est, vt ab aliis alia mutarentur, de quibus quum in notis moneatur, adponam ea, quae promiscue in recentioribus libris feruntur. Sunt autem haec maxime: *in praesentiarum* [1]), *ex aduersus* [2]), *ingratiis* [3]), *amissus*, substantiue positum [4]), *capitulatim* [5]), *alterae* [6]), *totae* [7]), *pernicii* [8]), *parserat* [9]), *face* [10]), *Neocli* [11]), *intuuntur* [12]), *Actaei* pro *Attici* [13]),

1) 23, 6, 2.
2) 8, 2. f. Cf. 2, 3. f.
3) 2, 4, 3.
4) 7, 6, 2.
5) 24, 3, 4.
6) 18, 1, 7.
7) 20, 3, 2.
8) 8, 2, 2.
9) 8, 1, 5.
10) 4, 2, 2.
11) 2, 1, 1. vt *Pericli* 7, 2, 1. *Polymni* 15, 1, 1.
12) 12, 3, 3.
13) 8, 2, 1.

trieris pro *triremis* [14]), et id genus alia in notis passim indicata. Ad insolentiores structuras reiici possunt *verum est, vt* [15]), *celare alicui* [16]). Obcurrunt porro nomina, quae, etsi a vulgari tritaque forma recedunt, crebrioribus tamen aliorum quoque exemplis confirmantur, veluti *Sardis* [17]), *natantis* pro *natantes* [18]), *ephorum* contracte [19]), *circumuehens* pro *circumuectus* [20]). In aliis valet Graeca ratio, vt in formis *Salamina* [21]), *Marathona* [22]), *Troezena* [23]); in structuris: *tempus extrahere* [24]). Alia explicatione vel interpunctione adiuuantur, vt: *dicitur, eo tempore matrem Pausaniae vixisse* [25]); alia ex notis figuris comprobantur v. c. vbi *eorum* ad regionem refert [26]), vel ad vrbem pro incolis [27]). Alia, vti fit, quum promiscuus valet vsus, vel is certe non refragatur, amat et saepius praefert, in quorum numero sunt: *cum quibus* [28]), *mari et terra* [29]), etsi nec alteram

[14]) 7, 4, 3.
[15]) 23, 1. in.
[16]) 7, 5, 2.
[17]) 17, 3, 5.
[18]) 12, 4, 3.
[19]) 17, 4, 1. Sic codd. quidam *barbarum* pro *barbarorum* 1, 2, 1. poetarum magis vsu, vt *Graii* 18, 1, 5.
[20]) 13, 2, 1. Sic *ignotus* 17, 8, 1. *adgredi* et *auersari* passiue ponuntur in Fragm. 5, 3. et 4.
[21]) 2, 9, 3.
[22]) 1, 4, 2.
[23]) 2, 2, 8.
[24]) 17, 3, 4. Cf. 23, 13, 4. et, vbi vaitatam rationem sequitur 14, 11, 1. Negationis duplicis exempla dabit index.
[25]) 4, 5, 3.
[26]) 13, 2, 1.
[27]) 7, 11, 3.
[28]) 25, 4, 2.
[29]) 2, 2, 4. 3, 2, 3.

formam spernit [30]), *dubito* sequente infinitiuo [31]). Passim ad metaphoras adsurgit oratio, vbi viuidioribus coloribus inlustrare et subiecta similitudine sensibus admouere studet. Talia, vt exemplis adpareant, sunt: *titubare* de incertis et anxiis [32]), *fluctus ciuiles* [33]), *procellae ciuiles* [34]), *demergere* [35]) et contra *emergere* [36]), *tempestas* [37]), *consensionis globus* [38]), *lumina oculorum* [39]), vt praeteream alia notiora et ad pedestris orationis consuetudinem translata.

Quum breuitati studeat et sine mora lectores ad rerum consecutionem et exitum deducere velit, periodorum ambitum per ambages versum negligere [40]) et narrationem minutis partibus persequi solet, quod obuia vbiuis docere possunt exempla. Contra quaedam addit, quae saluo sensu praecidi et abesse possint, vt *rursus resacrare* [41]), *deinde post* [42]), *ventus aquilo* [43]), *ventus boreas* [44]), *aduersarii — inimici* [45]), *nauem*,

30) 21, 1, 3.
31) In praefat. et alibi.
32) 18, 9, 2.
33) 25, 6, 1.
34) 25, 10, 6.
35) 10, 6, 1.
36) 25, 11. in.
37) 7, 4, 4.
38) 25, 8, 4.
39) 20, 4, 1.
40) Neque tamen simpliciter periodicam formam adspernatur, cuius exempla sunt 14, 8, 4. 3. 3. 4. 18, 2, 1. et passim alibi.
41) 7, 6, 5.
42) 18, 5, 5. vbi tamen cf. not.
43) 1, 1. f. Cf. tamen notae.
44) 1, 2, 4.
45) 10, 8, 2.

in qua vectus erat, relinquere [46]), *Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent* [47]), *in consilium dantur — — quorum consilio vteretur* [48]), *ad pacem hortatus est, vt cum rege in gratiam rediret* [49]).

Quod in his de verborum redundantia ex synonymis orta dictum est, alibi in eorumdem vel cognatorum repetitione molesta animaduertitur, quae nec conformationem sententiarum adstruit, nec grauitatis impulsu ferit. Talia sunt: *exissent — exierunt* [50]), *exeundum — exitu — exire* [51]), vbi ludere etiam in duplici sensu videtur, *peruenissent — peruenit* [52]), *cogitatum — cogitatum* [53]), *facere — faciunt — faciebat — facere — fecissent* [54]), *natali — natalem* [55]), *belli — bello — bellum* [56]), *cecidit — adcidit* [57]). Interdum diuersas voces sic iungit, vt eodem soni exitu aures obfendant, veluti *itaque vtraque* [58]).

Nec sine causa reprehendi potest illa verborum coniunctio, quae sibi inuicem sensu repugnant, vt *temeraria vti ratione* [59]), et *dementi ratione cogitata patefacere* [60]), quia temeritas cum ratione minime coalescit, etsi hic *ratio* ad propriam significationem redigere, vel ad vulgarem vsum pro *modo* referre possis; *consilio adciderunt* [61]), quia casus aliunde adce-

46) 12, 4, 3.
47) 1, 1, 2.
48) 13, 3, 2.
49) 16, 2, 5.
50) 16, 2, 5.
51) 17, 6, 1.
52) 19, 2, 1.
53) 14, 6, 8.
54) 14, 9, 4. Cf. 18, 8, 2.
55) 20, 5, 1.
56) 2, 2, 3. et 4.
57) 16, 5, 4.
58) 17, 1, 3.
59) 13, 3, 4.
60) 4, 3, 1.
61) 14, 1, 2.

dere, non ex consilio nasci potest; *callide cogitanti id saepe adcidebat* [62]), vbi ad praecedentia *aduersarios locorum angustiis claudere* refertur, ex quibus videtur verbum *adcidere* latiori sensu posuisse. De vsu pronominis relatiui temporumque consecutione, quae vel distinctius, vel rectius efferri potuisse quidam non sine reprehensione monuerunt, ne vltra constitutos terminos euagaretur haec disputatio, subinde in notis prouidi.

Denique, quod restat, in graecorum vocabulorum vsu vel interpretatione variam sectatur rationem. Interdum enim ea retinet, qualia *mora* [63]), *acta* [64]), *scytala* [65]), *ephori* [66]) pro quo alibi ponit *magistratus*, *hierophantes* [67]); aliquoties tamen Latine versa reddit, vt *testarum subfragia* [68]), ὀστρακισμὸν [69]), ἐφορεῖον, *comitium* [70]), πολέμαρχον, *maximum magistratum*, vti etiam ἐφόρους [71]); interdum ipsa verba Graeca interpretationi latinae adiungit, vti *gynaeconitis* [72]), *Poecile* [73]). Vtrum vero Graeca plane ignorauerit, an certe negligenter legerit, quod quidam ex voce *Emphyletus* [74]), qua Graecum

62) 14, 8, 5.
63) 11, 2, 3.
64) 17, 8, 2. Sic *Actaei* 8, 2, 1.
65) 4, 3, 4.
66) 2, 7, 2.
67) 16, 3, 2. etsi dubiam vocem ibi faciunt codd.
68) 2, 8, 1.
69) 17, 4, 2.
70) 16, 3, 2.
71) 6, 4, 1. et 3.
72) In praef. §. 7.
73) 1, 6, 3.
74) 19, 4, 3. Cf. praeter interprr. etiam Schlegelius in obs. ad Nep. p. 70.

ἔμφυλός τις reddiderit, quum deberet *tribulis quidam*, de eo disputant viri docti. In qua quidem exprobratione si quid veri tectum subest, vltra negligentiae vitium proferri id nequit, quum alia omnia ex Romanorum eruditorum vita et libris Nepotis constent, etsi et hoc remoueri potest, quod in nota monui. Neque tamen ea omnia, quae displicere in Nostro possint, eo valent, vt eius oratio omnino laudibus suis priuetur, superboque fastidio contemnatur. Recte igitur in scholis, tamquam exemplum contemplatione et imitatione dignum, proponitur, vti recte contendunt, praeter interpretes, viri docti alii multi, illarum rerum periti, etsi prouectiorum iuuenum vsibus magis adcommodatum et frugiferum esse lubenter largior.

§. 7. *De codicibus et editionibus praecipuis huius libri.*

In harum descriptione, quum summa tantum contrahenda sit, ex prolixa serie, quam de Codicibus Fischerus [1]), de editionibus Fabricius [2]) et Bipontini editores [3]) deduxerunt, potiora tantum emoueri possunt. Quod vt certis finibus regatur, sequar in codicibus quidem recensendis, quatenus licet, regionum liberalitatem, quae Nepotem adiuuerunt. Ita vero *Italia* primum tenet locum, quippe quae primo Nepotis editori sine vlla dubitatione codicem subministrauit, vnde typis exscribi textus posset, etsi, vnde aduenerit, dici non potest. Bona tamen fide compressaque mutandi libidine a Iensono reddi-

[1]) In praefatione editionis Bosianae an. 1759. repetitae.

[2]) In bibliotheca Latina. Vid. §. 1. n. 1.

[3]) In editione ab ipsis adcurata.

tum fuisse, ex pluribus lectionibus ineptis et deprauatis, quae bonis intertextae reperiuntur, satis intelligitur. Nec Aldina editio sine codicum subsidio excusa esse videtur, etsi, quod et in aliis aliorum auctorum deprensum est, multa fert ingenii admoti vestigia. Magius adhibuit duo codices, vnum proprium, alterum Venetum, ex quibus tamen parca manu lectiones adposuit. Ernstius e bibliotheca Medicea duo adceperat, quibus adcessit tertius ab ipso in Gallia emtus. In *Germania* Monacensis bibliotheca duo subministrauerat Gifanio, a quo in manus Scioppii deuenerunt, qui multas inde lectiones intexuit Verisimilium libris ab ipso Norimb. 1696. 8. editis. Relictas alias ex eius exemplari editionis Ingolstadiensis depromtas in Periculorum critic. cap. 10. adposuit. Schefferus nactus erat lectiones codicis, quem Mugius, primus dominus, cum exemplo Stephanianae editionis commiserat, earumque vsum satis liberaliter concessit Boeclero, tertiam editionem adparanti. Qui quum et negligenter egisset, et ne verbo quidem Schefferi beneficium adtigisset, hic intentiori cura enotatas lectiones Aduersariis suis (cap. 14. et 24.) concredidit; post eius mortem Belgae Miscellaneis obseruationibus (Vol. 8. p. 432 sqq. Vol. 9. p. 196 sqq.) inseruerunt. Boeclerianus ille codex, vel etiam Schefferianus inde vocari solet. Axenianum codicem, ab Axenio nomen sortitum, contulerat Nodius, Theologus Slesuicensis, eiusque opes ad Heusingerum transmiserat, qui multum eius auctoritate, nec temere, nititur. Vffenbachianus commemoratur Bibl. Vffenb. Mss. P. 4. p. 220. n. 16. neque tamen hic consultus adhuc est.

Sequatur *Hispania*, quae vnum tantum subpeditauit, cuius dominus fuerat Mendosaeus, Burgensis, vnde Burgensis liber vocatur, vel etiam Schotti, qui post Magium eo fuerat vsus.

Duos praebuit *Britannia*, Cantabrigiensem et Oxoniensem, qui in editione Oxoniensi a. 1676. tenuiter tamen et parce prodeunt.

Plura ex libris scriptis subsidia contulit *Gallia*. Testes adsunt codex Petri Danielis, cuius lectionibus egregie adiutus est Bosius et tres, quos consuluit Sauaro, quum Nepotis vitas explicare constituisset, quorum duo adceperat ex bibliotheca Puteani, tertium ex dono Moguini ipse possederat; tres alii adcesserant in recensenda vita Attici.

At vero *Belgium* apertis bibliothecae Leidensis thesauris etiam Nepotem mirifice locupletavit et ornauit. Inde enim Boeclerus deriuauerat lectiones codicis, qui Leidensis primus vocatur, cui ad Stauereni commentarium adcesserant Leidensis secundus et Vossiani tres, qui in eadem bibliotheca repositi seruantur.

Daniae debetur codex Thottianus, quem nostra aetate Schlegelius (in obseruatt. crit. ad Nep. Hauniae 1778. 4.) inuestigauit et luci publicae exposuit.

Tum Longolius codicem proprium adhibuit, Keuchenius alienum, cuius possessor fuerat Sluiskenius, etsi vterque paucas inde lectiones protulit.

Quorum numerum si ex illo recensu contuleris, efficiuntur omnino codices 22. qui huc vsque ad Nepotis textum constituendum diligentiori opera ab aliis, ab aliis parciori consulti sunt.

Recensitis breuiter codicibus restat, vt de editionibus aliqua adferam: plura enim desiderantibus satis facient Fabricius et Bipontini,

supra commemorati. Quas si quis per aetates cum Bipontinis digerere velit, quinque designare poterit, Iensonianam, Aldinam, Lambinianam, Boeclero-Bosianam et Stauereno-Heusingerianam ad nostra vsque tempora protractam. Ita vero ad annum vsque 1788. quae illis innotuerant editiones, computantur omnino 175. Neque tamen vel sic exhaustum illarum numerum esse cognoui, sed, quod in acerrima diligentia vix vitari potest, desunt, quas vel ipse versaui, vel ab aliis indicatas legi, in quibus Reyheri, Gruenbergii, Stauereni altera (1773.), quibus post adcesserunt aliquae, ex quibus notandae videntur Hausii, Eberhardi, Harlesii altera, Bremii, Heinrichii, Schmiederi, Wetzelii, Ricklefsii; ex vetustioribus aliquas subpleuit auctor Patauinae 1721. 8. Prima omnium producenda est, quae agmen quasi ducit, Iensoniana, Venetiis 1471. fol. euulgata, cuius lectiones excerpserunt Patauina ante laudata, Fischerus et Schlegelius. Ex viris autem doctis, quorum opera in explicando Nepote vtiliter versata est, nominari in primis debent *Longolius*, qui viam aperuit; *Magius*, qui illum notarum historicarum et criticarum vbertate superauit; *Lambinus*, qui ex priorum fontibus multa in suos riuos deduxit, rebus quidem explicandis intentior, neque tamen verborum incuriosus, sui vero nominis celebritate et auctoritate effecit, vt multi post segniori studio et superstitioso obsequio eius dicta redderent; grauem contra virtutis detrectatorem, vt solet, expertus *Gebhardum*; *Henricus Stephanus* ita superiorum vestigia legens, vt tamen passim ad nouas lectiones deflecteret; *Sauaro* in frugifera breuitate cautus iudicii; *Schottus* de chronologia etiam et fragmentorum

conlectione meritus; *Ernstius* in Attici vita explicanda maxime obcupatus; *Boeclerus*, qui multa loca emendauit et vitas primus in capita et segmenta minora descripsit, praeterea indicem diligenter confectum adiecit; *Gebhardus*, qui egregie Nepotem inlustrauit; *Keuchenius* aliorum nimis officiosus sectator; *Bosius* et *Heusingerus*, vterque emendandi textus studiosus, ille quidem sospitator etiam Nepotis dictus, singularia saepe et anomala captans, hic incisorum praeterea rationem habens; *Cellarius* notarum paucitatem grauitate compensans; *Stauerenus*, repetitis plurium interpretum notis, ipse multa ad ostentationem effundens, Heusingeri obtrectator, vnde acriores lites motae sunt; *Harlesius*, qui editionem Stauerianam minorem iterato studio adcuratam, doctis acutisque notis et suis et *Kappii* locupletauit. Adcesserunt post recensum Bipontinum Obss. crit. et hist. *Schlegelii* in Nepotem (Hauniae 1778. 4.), Thottiani codicis lectionibus ornatae et chronologicis et geographicis quaestionibus instructae: quibus insigniores editiones adnumerari debent: *Bremii*, qui Nepotinae orationis indolem sensumque diligenter exposuit; *Heinrichii*, adspersis notis de locorum difficiliorum ratione meriti; *Wetzelii*, chronologiae in primis inuestigatoris solertissimi; *Schmiederi*, seueri subinde Nepotis exagitatoris; *Ricklefsii*, qui priorum editorum monita cum lucro reddidit. Quos quidem hic recensendos putaui, vt, quorum opera in primis profecissem, gratus profiterer, dimissis aliis, quos in nonnullis tantum locis consului, aut consulere, illorum vsu exclusus, non potui. Neque tamen infimo loco ponenda videtur *Bergstraesseri* interpretatio Germanica, tum propter

fidem et elegantiam dictionis, tum propter praefationis vtilitatem, etsi in ipsis notis subiectis Lambinianas opes et aliorum plerumque reddit.

§. 8. *De huius editionis indole, et consilio, quod sequuta sit.*

Duodecim anni sunt, quum Nepotis editionem adparaui, in qua id contenderam, vt expeditior flueret lectionis cursus, remotisque inpedimentis, siue illa ex verborum difficiliori structura, insolentiorique vsu et forma obiecta essent, siue narrationis auctoritate rerumque fide dubia subinde mota, simulque vt ad agitanda et confirmanda peritiorum iuuenum ingenia de vera Latinitatis ratione et forma monerentur, quam imitando et effingendo apte et eleganter redderent. Futurum autem numquam credideram, vt ad eamdem telam retractandam excitarer, aut excitatus adcederem, in primis quum intellexissem, quanto contentionis quasi feruore doctissimorum virorum solertia in proferenda et explicanda Nepotis lectione decertaverint, itaque exhaustae opes visae fuissent, vt noua materies vix subpeteret, nedum opera mea et industria erui et prosilire posset. Excitauit tamen nuper RUPERTI, vir doctissimus et de his literis praeclare meritus, mouitque, vt ad adornandam nouam Nepotis editionem redirem, et, quae expromta adposuissent recentiores interpretes subsidia, arcesserem, itaque facto delectu producerem, vt in instituta auctorum Latinorum conlectione reponi et haec posset locumque suum obtinere. Cuius viri tam honorifico de me iudicio eo magis cedendum putaui, quod ad proferendos, vel regendos philologiae

omnisque seuerioris doctrinae fines, quidquid est mearum virium et partium, lubenter et cupide conferre semper elaboraui; tum vero etiam subinde ex geographicarum rerum fluctibus ad laetioris aurae adflatum emergere et refici licebat.

Vt vero adpareat, cognoscique sine mora possit, qua ratione in sustinendo hoc labore versatus, quibusue subsidiis vsus sim, paucis nunc indicandum videtur, quum luculentius id certiusque ipsae notae declarent. Primum igitur proximam viae ducem in textu reddendo sequutus sum recensionem a Stauerèno a. 1773. factam, ita tamen, vt comparatas inter se adhiberem aliarum editionum insigniorum lectiones, quas ad codicum exempla proposita exegi, quorum omnium operose et moleste cogendorum otium fecit spectata diligentia Fischeri; quippe qui ad calcem editionis Bosianae secundae, quam ipse typis repetendam tradiderat an. 1759., variarum lectionum libellum laudabili consilio adpenderat, vt vno quasi obtutu et sine inpendio temporis omnia, seu certe potiora librorum et scriptorum et editorum subsidia comprehendi, causaeque et origines multarum corruptionum facilius deprehendi et iudicari certiusque tolli possent. Quis enim recte eum reprehendat, qui, quae parata recteque tradita domi et manibus quasi teneat, operose vndique conquirere insanoque pretio redimere nolit, temporisque, quo nihil pretiosius est et carius, iacturam inutilem facere recuset? Neque tamen Fischerianis illis opibus vnice et secure adquieui, sed in pluribus locis, maxime vbi haerebam, veteres etiam editiones, quas bibliothecae Electoralis Dresdensis gaza literaria pu-

blico vsui ex liberalissimo PRINCIPIS OPTIMI instituto expositas seruat, et Bibliothecariorum praestantissimorum officiosissima sedulitas lubenter expromit, consului et exploraui, recentiores omnes, quae in effingendo et constituendo textu elaborarunt, inde a Bosiana tantum non omnes, certe potiores, iuxta viam positas habui, et oculis diligenter lustraui.

Codices nouos adhibere quum minime datum esset, continenda erat opera eorum exemplis, quae commemorauerant Bosius, Heusingerus et Stauerenus et conlecta subministrauerat Fischerus, quibus adcessit postea consultus codex Thottianus, cuius lectiones exstantiores inseruit Schlegelius Obss. in Nep. Haun. 1778. Ita vero, quum nec seruili obsequio addictaque fide recensioni Stauerianae parerem, nec inerti scribae sequacis manu prioris meae editionis, in multis praeterea locis operarum negligentia vitiatae, formulam redderem, factum est, vt passim exsisteret textus aliter informatus, etsi caute in his, nec nisi grauioris causae inpulsu agendum esse arbitror, ne conturbentur temere lectores, et in publicis maxime scholis, quibus variorum editorum exempla inferri solent, adtentio iuuenum male disiiciatur, vel interpretationis cursus interpellatus retardetur. Nolui igitur exigere formas aliquas verborum insolentiores, veluti *alterae*, *face*, — sicubi pertinacius iis adhaerent libri omnes, vel exempla earum alibi etiam prostant vel eadem, vel similia. At sustuli eas, quae aperta quasi acie linguae legibus reluctantur, vt *Neocli*.

In conciunandis notis id primum spectaui, vt lectionis ratio declararetur, seruata confirmaretur, mutatae causa idonea proponeretur.

Deinde, si qua viderentur explicationem desiderare, vel inlustratione magis enitescere, et exemplis et monitis subcurri, simulque de Latinitatis legibus et institutis ea adspersi, quae ad cognitionem non solum certiorem, sed et ad imitationem cautiorem prodesse putassem. Denique quum omnis Cornelii ratio in exponendis rebus historicis versetur, aliorum auctorum libros adii, et, vbi exigeret vel fidei auctoritas vel factorum descriptio, inde contuli, et instituta comparatione singula vel rexi, vel aperui. In quibus quidem omnibus, ne quid grauioris momenti deesset, consociata diligentia et adcumulatis doctrinae opibus mirifice adiuuerunt viri docti, de Nepotis textu eiusque expositione egregie promeriti, et tam supra, quam saepissime in ipsis notis, quod par erat, grati etiam animi significandi causa, laudati. Vt summa rerum narratarum contineri sine mora posset, singulis vitis praemisi earum capitumque argumenta: ipsis vero rebus gestis memoria dignioribus et grauioribus, vt earum series et connexus melius et certius constaret, in margine annorum signa adposui. Quae ad Nepotis vitam vitaeque rationem, modum et instituta pertinent, et in primis huius libri historiam, vices et fata spectant, supra, in ipso aditu libri, contracta breuitate descripta dedi. Denique ad calcem editionis reieci contextam rerum memorabilium, quae in hoc libro commemorantur, chronologiam, quam selectus index excipit, in quo vel minus obuia posui verba verborumque formulas et modos, vel nomina hominum locorumque propria, addita eorum explicatione et declaratione.

Qua quidem opera si quid ad expeditiorem Nepotis lectionem omninoque ad incendenda et alenda harum literarum studia contulerim, impense laetabor. Quam spem vt lectores aequi et beneuoli in iudicandis et condonandis erroribus, quos infert animi humani fluctuatio vitaeque vicissitudo varia, sustineant, quantum optare debeam, ipse penitus viuideque sentio.

C. H. Tzschucke.

CORNELII NEPOTIS
EXCELLENTIVM IMPERATORVM
VITAE.

PRAEFATIO.

Non dubito fore plerosque, Attice, qui hoc1
genus ſcripturae leue et non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis iudicent, quum relatum legent, quis muſicam docuerit Epaminondam; aut in eius virtutibus commemorari, ſaltaſſe eum commode ſcienterque tibiis cantaſſe. Sed hi erunt fere,2
qui, expertes literarum Graecarum, nihil rectum, niſi quod ipſorum moribus conueniat, putabunt. Hi, ſi didicerint, non eadem omnibus eſſe honeſta3
atque turpia, ſed omnia maiorum inſtitutis iudicari, non admirabuntur, nos in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum ſecutos. Neque enim4
Cimoni fuit turpe, Athenienſium ſummo viro, ſororem germanam habere in matrimonio; quippe quum eius ciues eodem vterentur inſtituto. At id quidem noſtris moribus nefas habetur. Laudi in Graecia ducitur adoleſcentulis, quam plurimos habere amatores. Nulla Lacedaemoni tam eſt nobilis vidua, quae non ad ſcenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Graecia, victorem5
Olympiae citari; in ſcenam vero prodire, et populo eſſe ſpectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honeſtate remota ponuntur. Contra ea pleraque noſtris moribus ſunt de-6
cora, quae apud illos turpia putantur. Quem enim

Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias non primum locum tenet aedium, atque in celebritate verſatur? quod multo 7 ſit aliter in Graecia. Nam neque in conuiuium adhibetur, niſi propinquorum; neque ſedet, niſi in interiore parte aedium, quae *gynaeconitis* adpellatur; quo nemo adcedit, niſi propinqua cognatione coniunctus. Sed hic plura perſequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum feſtinatio, vt ea explicem, quae exorſus ſum. Quare ad propoſitum veniemus, et in hoc exponemus libro de vita excellentium Imperatorum.

I. MILTIADES.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Dux colonorum in Cherſoneſum mittitur. Inridetur a Lemniis.* II. *Cherſoneſo potitur. Lemnum capit et Cyclades.* III. *Pontis in Iſtro cuſtos a Dario, qui Scythas bello petebat, conſtituitur. Dat conſilium excutiendae dominationis Perſaram. Ab Hiſtiaeo impeditur.* IV. *Dario bellum in Graecos mouente, auctor ſuis eſt, vt obuiam hoſti eant.* V. *Ante ſociorum aduentum uincit Darium.* VI. *Praemium victoriae.* VII. *Omittit obpugnationem Pari. Damnatur et in vinculis moritur.* VIII. *Vera eius damnationis cauſa.*

1 I. MILTIADES, *Cimonis filius, Athenienſis*, quum et antiquitate generis, et gloria maiorum, et ſua modeſtia, vnus omnium maxime floreret, eaque eſſet aetate, vt non iam ſolum de eo bene ſperare, ſed A. Ch. etiam confidere ciues poſſent ſui, talem futurum, n. 512. qualem cognitum iudicarunt; adcidit, vt Athenien- 2 ſes Cherſoneſum colonos vellent mittere. Cuius generis quum magnus numerus eſſet, et multi eius demigrationis peterent ſocietatem, ex his delecti Delphos deliberatum miſſi ſunt, qui conſulerent Apollinem, quo potiſſimum duce vterentur. Nam

tunc Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His conſulentibus nomi-3 natim Pythia praecepit, vt Miltiadem ſibi Imperatorem ſumerent; id ſi feciſſent, incepta proſpera futura. Hoc oraculi reſponſo Miltiades cum de-4 lecta manu claſſe Cherſoneſum profectus, quum adceſſiſſet Lemnum, et incolas eius inſulae ſub poteſtatem redigere vellet Athenienſium, idque Lemnii ſua ſponte facerent poſtulaſſet, illi inridentes reſponderunt, tum id ſe facturos, quum ille, domo nauibus proficiſcens, vento aquilone veniſſet Lemnum. Hic enim ventus, a ſeptemtrionibus oriens, aduerſum tenet Athenis proficiſcentibus. Miltiades, morandi tempus non habens, curſum direxit, quo tendebat, peruenitque Cherſoneſum.

II. Ibi breui tempore barbarorum copiis dis-1 iectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca caſtellis idonea communiit, multitudinem, quam ſecum duxerat, in agris conlocauit, crebrisque excurſionibus locupletauit. Neque minus in ea re2 prudentia, quam felicitate, adiutus eſt. Nam quum virtute militum deuiciſſet hoſtium exercitus, ſumma aequitate res conſtituit, atque ipſe ibidem manere decreuit: erat enim inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine. Neque id magis imperio, quam3 iuſtitia, conſecutus. Neque eo ſecius Athenienſibus, a quibus erat profectus, officia praeſtabat. Quibus rebus fiebat, vt non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miſerant, quam illorum, cum quibus erat profectus. Cherſoneſo4 tali modo conſtituta Lemnum reuertitur, et ex pacto poſtulat, vt ſibi vrbem tradant. Illi enim dixerant, quum vento borea domo profectus eo perveniſſet, ſeſe dedituros: ſe autem domum Cherſoneſi habere. Cares, qui tunc Lemnum incolebant, etſi praeter opinionem res ceciderat, tamen non di-

cto, ſed ſecunda fortuna aduerſariorum capti, reſiſtere auſi non ſunt, atque ex inſula demigrarunt. Pari felicitate ceteras inſulas, quae Cyclades nominantur, ſub Athenienſium redegit poteſtatem.

1 III. Eisdem temporibus Perſarum rex Darius, A. Ch. ex Aſia in Europam exercitu traiecto, Scythis bel- a. 508. lum inferre decreuit. Pontem fecit in Iſtro flumine, qua copias traduceret. Eius pontis, dum ipſe abeſſet, cuſtodes reliquit principes, quos ſecum ex Ionia et Aeolide duxerat. Quibus ſingulis ipſarum 2vrbium perpetua dederat imperia. Sic enim putavit, facillime ſe Graeca lingua loquentes, qui Aſiam incolerent, ſub ſua retenturum poteſtate, ſi amicis ſuis oppida tuenda tradidiſſet, quibus, ſe obpreſſo, nulla ſpes ſalutis relinqueretur. In hoc fuit tunc 3numero Miltiades, cui illa cuſtodia crederetur. Hic, quum crebri adferrent nuntii, male rem gerere Darium premique ab Scythis, Miltiades hortatus eſt pontis cuſtodes, ne a fortuna datam occaſionem li- 4berandae Graeciae dimitterent. Nam ſi cum his copiis, quas ſecum transportauerat, interiiſſet Darius, non ſolum Europam fore tutam, ſed etiam eos, qui Aſiam incolerent Graeci genere, liberos a Perſarum futuros dominatione et periculo. Id facile effici poſſe. Ponte enim reſciſſo, regem vel hoſtium 5ferro, vel inopia, paucis diebus interiturum. Ad hoc conſilium quum plerique adcederent, Hiſtiaeus Mileſius, ne res conficeretur, obſtitit, dicens: Non idem ipſis, qui ſummas imperii tenerent, expedire, et multitudini: quod Darii regno ipſorum niteretur dominatio: quo exſtincto ipſos poteſtate expulſos ciuibus ſuis poenas daturos: itaque adeo ſe abhorrere a ceterorum conſilio, vt nihil putet ipſis 6vtilius, quam confirmari regnum Perſarum. Huius quum ſententiam plurimi eſſent ſecuti, Miltiades, non dubitans, tam multis conſciis, ad regis aures

consilia sua, peruecturа, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas demigrauit. Cuius ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda; quum amicior omnium libertati, quam suae fuerit dominationi.

IV. Darius autem, quum ex Europa in Asiam re-1 diisset, hortantibus amicis, vt Graeciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum nauium comparauit, eique Datim praefecit et Artaphernem; hisque ducenta peditum, decem millia equitum dedit, causam interserens, se hostem esse Athenienſibus, quod eorum auxilio Iones Sardes expugnassent, suaque praesidia interfeciſſent. Illis praefecti regii, classe ad Euboeam adpulsa, celeriter Eretriam ceperunt, omnesque eius gentis ciues abreptos in Asiam ad Regem miserunt. Inde ad Atticam adcesserunt, ac suas copias in campum, Marathona, deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses 3 tam propinquo, tamque magno permoti, auxilium nusquam, nisi a Lacedaemoniis, petiuerunt; Philippidemque cursorem eius generis, qui *hemerodromoe* vocantur, Lacedaemonem miserunt, vt nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. Domi autem 4 creant decem praetores, qui exercitui praeessent, in eis Miltiadem. Inter quos magna fuit contentio, vtrum moenibus se defenderent, an obuiam irent hostibus, acieque decernerent. Vnus Miltiades 5 maxime nitebatur, vt primo quoque tempore castra fierent: id si factum esset, et ciuibus animum adcessurum, quum viderent, de eorum virtute non desperari; et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent, auderi aduersus se tam exiguis copiis dimicare.

V. Hoc in tempore nulla ciuitas Athenienſibus 1 auxilio fuit praeter Plataeenſium. Ea mille misit

militum. Itaque horum aduentu decem millia armatorum completa sunt; quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate: quo factum est, vt
2plus, quam conlegae, Miltiades valuerit. Eius enim auctoritate inpulsi Athenienses copias ex vrbe edu-
3xerunt, locoque idoneo castra fecerunt. Deinde postero die sub montis radicibus, acie e regione instructa, noua arte, vi summa proelium commiserunt. Namque arbores multis locis erant stratae, hoc consilio, vt et montium tegerentur altitudine, et arborum tractu equitatus hostium inpediretur,
4ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non aequum locum videbat suis, tamen, fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat; eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare vtile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, proe-
5liumque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, vt decemplicem numerum hostium profligarent; adeoque perterruerunt, vt Persae non castra, sed naues peterent. Qua pugna nihil adhuc est nobilius. Nulla enim vmquam tam exigua manus tantas opes profligauit.

1 VI. Cuius victoriae, non alienum videtur, quale praemium Miltiadi sit tributum, docere; quo facilius intelligi possit, eamdem omnium ciuitatum esse
2naturam. Vt enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam glorioſi; nunc autem effusi, atque obsoleti: sic olim apud
3Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltiadi, qui Athenas totamque Graeciam liberarat, talis honos tributus est in porticu, quae *Poecile* vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia, vt in decem praetorum numero prima eius imago poneretur, isque hortaretur milites proeliumque com-
4mitteret. Idem ille populus, posteaquam maiua

imperium est nactus, et largitione magistratuum conruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decreuit.

VII. Post hoc proelium classem septuaginta na- 1
uium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, vt in-
sulas, quae barbaros adiuuerant, bello persequere- A. Ch. n. 489.
tur. Quo imperio plerasque ad officium redire coe- 2
git, nonnullas vi expugnauit. Ex his Parum in-
sulam, opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias e nauibus eduxit, vrbem operibus clausit omnique commeatu priuauit; deinde, vineis ac testudinibus constitutis, propius muros adcessit. Quum iam in eo esset, vt oppido potiretur, 3
procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est: cuius flamma vt ab oppidanis et obpugnatoribus est visa, vtrisque venit in opinionem, signum a classiariis regiis datum. Quo factum est, 4
vt et Parii a deditione deterrerentur, et Miltiades timens, ne classis regia aduentaret, incensis operibus, quae statuerat, cum totidem nauibus, atque erat profectus, Athenas magna cum obsensione ciuium suorum rediret. Adcusatus ergo proditionis, 5
quod, quum Parum expugnare posset, a rege conruptus, infectis rebus discessisset. Eo tempore aeger erat vulneribus, quae in obpugnando oppido adceperat. Itaque, quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater eius Tisagoras. Causa cognita, capitis absolutus, pecunia multa- 6
tus est; eaque lis quinquaginta talentis aestimata est, quantus in classem sumtus factus erat. Hanc pecuniam quod soluere in praesentia non poterat, in vincula publica coniectus est, ibique diem obiit supremum.

VIII. Hic enim etsi crimine Pario est adcusatus, 1
tamen alia fuit causa damnationis. Namque Athe-

nienſes, propter Piſiſtrati tyrannidem, quae paucis annis ante fuerat, omnium ſuorum ciuium potentiam extimeſcebant. Miltiades, multum in imperiis magiſtratibusque verſatus, non videbatur poſſe eſſe priuatus, praeſertim quum conſuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Cherſoneſi omnes illos, quos habitarat, annos perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannusque fuerat adpellatus, ſed iuſtus. Non erat enim vi conſecutus, ſed ſuorum voluntate, eamque poteſtatem bonitate retinuerat. Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea ciuitate, quae libertate vſa eſt. Sed in Miltiade erat cum ſumma humanitas, tum mira communitas, vt nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret; magna auctoritas apud omnes ciuitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Haec populus reſpiciens, maluit eum innoxium plecti, quam ſe diutius eſſe in timore.

II. THEMISTOCLES.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Adoleſcens liberius viuit. Exheredatus rei publicae ſe dedit.* II. *Clarus Corcyraeo et Perſico bello. Interpretatur oraculum de muris ligneis, in bello Perſico II. ad ſeruandos ciues eorum.* III. *Secundum proelium ad Artemiſium.* IV. *Dolo Xerxem vincit iuxta Salamina.* V. *Callido nuntio Graeciam liberat.* VI. *Piraeei portum et muros Athenarum exſtruit. Lacedaemonii repugnant.* VII. *Lacedaemonios arte deludit eosque reprehendit.* VIII. *Oſtracismo in exſilium eiectus, varia fuga agitatur.* IX. *Ad Artaxerxen literas dat ſalutis cauſa.* X. *Multis muneribus ab eo ornatur. Magneſiae moritur.*

1 I. THEMISTOCLES *Neoclis filius, Athenienſis.* Huius vitia ineuntis adoleſcentiae magnis ſunt emendata virtutibus, adeo vt anteferatur huic nemo, pauci

pares putentur. Sed ab initio eſt ordiendum. Pater eius Neocles generoſus fuit. Is vxorem Halicarnaſſiam ciuem duxit, ex qua natus eſt Themiſtocles. Qui quum minus eſſet probatus parentibus, quod et liberius viuebat, et rem familiarem negligebat, a patre exheredatus eſt. Quae contumelia non fre-3 git eum, ſed erexit. Nam quum iudicaſſet, ſine ſumma induſtria non poſſe eam exſtingui, totum ſe dedidit rei publicae, diligentius amicis famaeque ſeruiens. Multum in iudiciis priuatis verſabatur; ſaepe in concionem populi prodibat; nulla res maior ſine eo gerebatur, celeriterque, quae opus erant, reperiebat. Neque minus in rebus gerendis prom-4 tus, quam excogitandis, erat; quod et de inſtantibus (vt ait Thucydides) veriſſime iudicabat, et de futuris callidiſſime coniiciebat. Quo factum eſt, vt breui tempore inluſtraretur.

II. Primus autem gradus fuit capeſſendae rei-1 publicae bello Corcyraeo: ad quod gerendum praetor a populo factus, non ſolum praeſenti bello, ſed etiam reliquo tempore, ferociorem reddidit ciuitatem. Nam quum pecunia publica, quae ex metal-2 lis redibat, largitione magiſtratuum quotannis interiret, ille perſuaſit populo, vt ea pecunia claſſis centum nauium aedificaretur. Qua celeriter effecta,3 primum Corcyraeos fregit; deinde, maritimos praedones conſectando, mare tutum reddidit. In quo cum diuitiis ornauit, tum etiam peritiſſimos belli naualis fecit Athenienſes. Id quantae ſaluti fuerit4 vniuerſae Graeciae, bello cognitum eſt Perſico, quum Xerxes et mari et terra bellum vniuerſae in- A. Ch. ferret Europae, cum tantis copiis, quantas neque n. 482. antea, neque poſtea habuit quisquam. Huius enim5 claſſis mille et ducentarum nauium longarum fuit, quam duo millia onerariarum ſequebantur; terreſtres autem exercitus ſeptingentorum millium peditum,

6equitum quadringentorum millium fuerunt. Cuius de aduentu quum fama in Graeciam esset perlata, et maxime Athenienses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, vt moenibus ligneis se mu-
7nirent. Id responsum quo valeret, quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, vt in naues se suaque conferrent: eum enim a Deo significari murum ligneum. Tali con-
A. Ch. silio probato, addunt ad superiores totidem naues
n. 481. triremes; suaque omnia, quae moueri poterant, partim Salamina, partim Troezena absportant; arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt.

1 III. Cuius consilium plerisque ciuitatibus *dis-*
A. Ch. plicebat, et in terra dimicari magis placebat. Ita-
n. 481. que missi sunt delecti cum Leonida Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas obcuparent, longiusque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt, eoque loco omnes inte-
2rierunt. At classis communis Graeciae trecentarum nauium, in qua ducentae erant Athenienſium, primum apud Artemisium, inter Euboeam continentemque terram, cum classiariis Regis conflixit. Angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitu-
3dine circumiretur. Hic etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quod erat periculum, ne, si pars nauium aduersariorum Euboeam superasset, ancipiti premerentur periculo.
4Quo factum est, vt ab Artemisio discederent, et ex aduersum Athenas apud Salamina classem suam constituerent.

1 IV. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus adcessit astu, idque nullis defendentibus, inter-

fectis ſacerdotibus, quos in arce inuenerat, incendio deleuit. Cuius fama perterriti claſſiarii, quum manere non auderent, et plurimi hortarentur, vt domos ſuas discederent, moenibusque ſe defenderent, Themiſtocles vnus reſtitit, et vniuerſos eſſe pares aiebat, diſperſos teſtabatur perituros; idque Eurybiadi, regi Lacedaemoniorum, qui tum ſummae imperii praeerat, fore adfirmabat. Quem quum minus, quam vellet, moueret, noctu de ſeruis ſuis, quem habuit fideliſſimum, ad regem miſit, vt ei nuntiaret ſuis verbis, aduerſarios eius in fuga eſſe: qui ſi diſceſſiſſent, maiore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, quum ſingulos conſectari cogeretur: quos ſi ſtatim adgrederetur, breui vniuerſos obpreſſurum. Hoc eo valebat, vt ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita, barbarus, nihil doli ſubeſſe credens, poſtridie alieniſſimo ſibi loco, contra obportuniſſimo hoſtibus, adeo anguſto mari conflixit, vt eius multitudo nauium explicari non potuerit. Victus ergo eſt magis conſilio Themiſtoclis, quam armis Graeciae.

V. Hic etſi male rem geſſerat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, vt etiam cum his obprimere poſſet hoſtes. Interim ab eodem gradu depulſus eſt. Nam Themiſtocles verens, ne bellare perſeueraret, certiorem eum fecit, id agi, vt pons, quem ille in Hellesponto fecerat, diſſolueretur, ac reditu in Aſiam excluderetur; idque ei perſuaſit. Itaque qua ſex menſibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Aſiam reuerſus eſt; ſeque a Themiſtocle non ſuperatum, ſed conſeruatum, iudicauit. Sic vnius prudentia Graecia liberata eſt, Europaeque ſubcubuit Aſia. Haec altera victoria, quae cum Marathonio poſſit comparari tropaeo. Nam pari modo apud Salamina paruo numero na-

vium maxima post hominum memoriam classis ei deuicta.

1 VI. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec
A. Ch. minor in pace. Quum enim Phalerico portu neque
n. 477. magno, neque bono, Athenienses vterentur, huius consilio triplex Piraeei portus constitutus est; isque moenibus circumdatus, vt ipsam vrbem dignitate 2aequipararet, vtilitate superaret. Idemque muros Athenienſium restituit praecipuo periculo suo. Namque Lacedaemonii causam idoneam nacti propter barbarorum excursiones, qua negarent, oportere extra Peloponnesum vllam vrbem habere, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, Athenienses 3aedificantes prohibere sunt conati. Hoc longe alio spectabat, atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, vt intelligerent Lacedaemonii, de principatu sibi cum 4his certamen fore; quare eos quam infirmissimos esse volebant. Postquam autem audierunt, muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His praesentibus desierunt, ac, se de ea re 5legatos ad eos missuros, dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles, et solus primo profectus est. Reliqui legati vt tum exirent, quum satis altitudo muri exstructa videretur, praecepit: interim omnes serui atque liberi opus facerent, neque vlli loco parcerent, siue sacer esset, siue profanus, siue priuatus, siue publicus, et vndique, quod idoneum 6ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est, vt Athenienſium muri ex sacellis sepulcrisque constarent.

1 VII. Themistocles autem, vt Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit, et dedit operam, vt quam longissime tempus duceret, causam 2interponens, se conlegas exspectare. Quum Lace-

daemonii quererentur, opus nihilominus fieri, eumque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti. A quibus quum audisset, non multum superesse munitionis, ad ephoros Lacedaemoniorum adcessit, penes quos summum imperium erat, atque apud eos contendit, falsa his esse delata: quare aequum esse, illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent: interea se oblidem retinerent. Gestus est 3 ei mos, tresque legati, functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his conlegas suos Themistocles iussit proficisci, eisque praedixit, vt ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus. Hos postquam Athenas perue- 4 nisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit, et apud eos liberrime professus est: Athenienses suo consilio, quod communi iure gentium facere possent, deos publicos suosque patrios ac Penates, quo facilius ab hoste possent defendere, muris sepsisse: neque eo, quod inutile esset Graeciae, feciisse: nam illorum vrbem, vt propugna- 5 culum, obpositam esse barbaris, apud quam iam bis classes regias feciisse naufragium: Lacedaemonios 6 autem male et iniuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod vniuersae Graeciae vtile esset: quare si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent: aliter illos numquam in patriam recepturi.

VIII. Tamen non effugit ciuium suorum inui- 1 diam. Namque ob eumdem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testarum subfragiis e ciuitate eiectus, Argos habitatum concessit. Hic quum pro- 2 pter multas eius virtutes magna cum dignitate viueret, Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem adcusarent, quod societatem cum rege Persarum ad Graeciam obprimendam feciisset.

3Hoc crimine abſens proditionis eſt damnatus. Id
A. Ch. vt audiuit, quod non ſatis tutum ſe Argis videbat,
n. 471. Corcyram demigrauit. Ibi quum eius principes ciuitatis animaduertiſſet timere, ne propter ſe bellum his Lacedaemonii et Athenienſes indicerent, ad Admetum Moloſſorum regem, cum quo ei hospitium 4fuerat, confugit. Huc quum veniſſet et in praeſentia rex abeſſet, quo maiore religione ſe receptum tueretur, filiam eius paruulam adripuit, et cum ea ſe in ſacrarium, quod ſumma colebatur cerimonia, coniecit. Inde non prius egreſſus eſt, quam rex eum data dextra in fidem reciperet, quam praeſtitit. 5Nam quum ab Athenienſibus et Lacedaemoniis expoſceretur publice, ſubplicem non prodidit, monuitque, vt conſuleret ſibi; difficile enim eſſe, in tam propinquo loco tuto eum verſari. Itaque Pydnam eum deduci iuſſit, et, quod ſatis eſſet praeſi- 6dii, dedit. Hic in nauem omnibus ignotus adſcendit; quae quum tempeſtate maxima Naxum ferretur, vbi tunc Athenienſium erat exercitus, ſenſit Themiſtocles, ſi eo perueniſſet, ſibi eſſe pereundum. Hac neceſſitate coactus, domino nauis, qui ſit, ape- 7rit, multa pollicens, ſi ſe conſeruaſſet. At ille clariſſimi viri captus miſericordia, diem noctemque procul ab inſula in ſalo nauem tenuit in ancoris, neque quemquam ex ea exire paſſus eſt. Inde Epheſum peruenit, ibique Themiſtoclem exponit; cui ille pro meritis gratiam poſtea retulit.

1 IX. Scio, plerosque ita ſcripſiſſe, Themiſtoclem, Xerxe regnante, in Aſiam transiiſſe. Sed ego potiſſimum Thucydidi credo, quod aetate proximus erat de iis, qui illorum temporum hiſtoriam reliquerunt et eiusdem ciuitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum veniſſe, atque his verbis epi- 2ſtolam miſiſſe: Themiſtocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli,

quum mihi neceſſe fuit, aduerſus patrem tuum bellare, patriamque meam defendere. Idem multo3 plura bona feci, poſtquam in tuto ipſe, et ille in periculo eſſe coepit. Nam quum in Aſiam reuerti vellet, proelio apud Salamina facto, literis eum certiorem feci, id agi, vt pons, quem in Helleſponto fecerat, diſſolueretur, atque ab hoſtibus circumiretur. Quo nuntio ille periculo eſt liberatus. Nunc confugi ad te, exagitatus a cuncta Graecia,4 tuam petens amicitiam: quam ſi ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus eſt. Ea autem rogo, vt de his rebus, de quibus tecum conloqui volo, annuum mihi tempus des, eoque transacto, [me] ad te venire patiaris.

X. Huius rex animi magnitudinem admirans,1 cupiensque talem virum ſibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus literis ſermonique Perſarum dedit; quibus adeo eruditus eſt, vt multo commodius dicatur apud regem verba feciſſe, quam hi poterant, qui in Perſide erant nati. Hic quum2 multa regi eſſet pollicitus, gratiſſimumque illud, ſi ſuis vti conſiliis vellet, illum Graeciam bello obpreſſurum; magnis muneribus ab Artaxerxe donatus, in Aſiam rediit, domicilioque Magneſiae ſibi conſtituit. Namque hanc vrbem ei Rex donarat,3 his vſus verbis, quae ei panem praeberet; ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant; Lampſacum, vnde vinum ſumeret; Myunta, ex qua opſonium haberet. Huius ad noſtram memoriam monimenta manſerunt duo: ſepulcrum A. Ch. prope oppidum, in quo eſt ſepultus; ſtatuae in foro n. 406. Magneſiae. De cuius morte multis modis apud4 plerosque ſcriptum eſt; ſed nos eumdem potiſſimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magneſiae morbo mortuum, neque negat, fuiſſe

famam, venenum ſua ſponte ſumſiſſe, quum ſe, quae Regi de Graecia obprimenda pollicitus eſſet, praeſtare poſſe deſperaret. Idem oſſa eius clam in Attica ab amicis ſepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis eſſet damnatus, memoriae prodidit.

III. ARISTIDES.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Aemulus Themiſtoclis, mulctatur exſilio.* II. *Ante tempus reuocatur; praetor contra Mardonium; imperium Atheniēſibus conciliat.* III. *Aerario praeeſt; pauper moritur.*

1 ARISTIDES, *Lyſimachi filius, Athenienſis,* aequalis fere fuit Themiſtocli. Itaque cum eo de principatu 2contendit; namque obtrectarunt inter ſe. In *his* autem cognitum eſt, quanto anteſtaret eloquentia innocentiae. Quamquam enim adeo excellebat Ariſtides abstinentia, vt vnus poſt hominum memoriam, quod quidem nos audierimus, cognomine *Iuſtus* ſit adpellatus; tamen a Themiſtocle conlabefactus teſtula illa, exſilio decem annorum multatus 3eſt. Qui quidem, quum intelligeret, reprimi con-
A. Ch. n. 483. citatam multitudinem non poſſe, cedensque animadverteret quemdam ſcribentem, vt patria pelleretur, quaeſiſſe ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Ariſtides commiſiſſet, cur tanta poena dignus 4duceretur? Cui ille reſpondit: ſe ignorare Ariſtidem, ſed ſibi non placere, quod tam cupide elabo-5raſſet, vt praeter ceteros iuſtus adpellaretur. Hic decem annorum legitimam poenam non pertulit. Nam poſtquam Xerxes in Graeciam deſcendit, ſexto fere anno, quam erat expulſus, populi ſcito in patriam reſtitutus eſt.

1 II. Interfuit autem pugnae nauali apud Salamina, quae facta eſt prius, quam poena liberaretur.

Idem praetor fuit Athenienſium apud Plataeas in proelio, quo Mardonius fuſus barbarorumque exercitus interfectus eſt. Neque aliud eſt vllum huius in re militari inluſtre factum, quam huius imperii memoria; iuſtitiae vero et aequitatis et innocentiae multa: in primis quod eius aequitate factum eſt, quum in communi claſſe eſſet Graeciae ſimul cum Pauſania, quo duce Mardonius erat fugatus, vt ſumma imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienſes; namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii. Tum autem et intemperantia Pauſaniae, et iuſtitia factum eſt Ariſtidis, vt omnes fere ciuitates Graeciae ad Athenienſium ſocietatem ſe adplicarent, et aduerſus barbaros hos duces deligerent ſibi, quo facilius repellerent, ſi forte bellum renouare conarentur.

III. Ad claſſes aedificandas exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque ciuitas daret, Ariſtides delectus eſt, qui conſtitueret. Eius arbitrio quadringena et ſexagena talenta quotannis Delum ſunt conlata. Id enim commune aerarium eſſe voluerunt. Quae omnis pecunia poſtero tempore Athenas translata eſt. Hic qua fuerit abstinentia, nullum eſt certius indicium, quam quod, quum tantis rebus praefuiſſet, in tanta paupertate deceſſit, vt, qui efferretur, vix reliquerit. Quo factum eſt, vt filiae eius publice alerentur, et de communi aerario, dotibus datis, conlocarentur. Deceſſit autem fere poſt annum quartum, quam Themiſtocles Athenis erat expulſus. A. Ch. n. 467.

IV. PAVSANIAS.

ARGVMENTVM.

Cap. I. Pugna ad Plataeas. II. Byzantium expugnat, Xerxi fauet, Graeciae futurus proditor. III. Peregre abſentis mores et carcer. IV. Literarum commercium cum hoſte; perturbatus ſe ipſe indicat. V. In aede Mineruae obſtruitur et mox interit.

1 I. PAVSANIAS *Lacedaemonius* magnus homo, ſed varius in omni genere vitae fuit. Nam vt virtutibus eluxit, ſic vitiis eſt obrutus. Huius inluſtriſ-
A. Ch. ſimum eſt proelium apud Plataeas. Namque illo
n. 479. duce Mardonius, ſatrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Perſarum et manu fortis et conſilii plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, et viginti [millibus] equitum, haud ita magna manu Graeciae fugatus eſt, eoque ipſe dux cecidit proelio. Qua victoria elatus plurima miſcere coepit, et maiora concupiſcere. Sed primum in eo eſt reprehenſus, quod ex praeda tripodem aureum Delphis poſuiſſet, epigrammate ſcripto, in quo erat haec ſententia: SVO DVCTV BARBAROS APVD PLATAEAS ESSE DELETOS, EIVSQVE VICTORIAE ERGO APOLLINI DONVM DEDISSE. Hos verſus Lacedaemonii exſculpſerunt, neque aliud ſcripſerunt, quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Perſae erant victi.

1 II. Poſt id proelium eumdem Pauſaniam cum
A. Ch. claſſe communi Cyprum atque Hellespontum miſe-
n. 477. runt, vt ex his regionibus barbarorum praeſidia depelleret. Pari felicitate in ea re vſus, elatius ſe gerere coepit maioresque adpetere res. Nam quum, Byzantio expugnato, cepiſſet complures Perſarum nobiles atque in his nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remiſit, ſimilans ex vinculis publicis effugiſſe; et cum his Gongylum Eretrienſem, qui literas regi redderet, in quibus haec fuiſſe

ſcripta Thucydides memoriae prodidit: *Pauſanias*3 *dux Spartae, quos Byzantii ceperat, poſtquam propinquos tuos cognouit, tibi muneri miſit, ſeque tecum adfinitate coniungi cupit: quare, ſi tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum. Id ſi feceris, et*4 *Spartam et ceteram Graeciam ſub tuam poteſtatem, ſe adiuuante, te redacturum, pollicetur. His de rebus ſi quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face, cum quo conloquatur.* Rex, tot homi-5 num ſalute, tam ſibi neceſſariorum, magnopere gaviſus, confeſtim cum epiſtola Artabazum ad Pauſaniam mittit; in qua eum conlaudat ac petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quae polliceatur. Si fecerit, nullius rei a ſe repulſam laturum. Huius6 Pauſanias voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, in ſuſpicionem cecidit Lacedaemoniorum. In quo facto domum reuocatus, adcuſatus capitis, abſoluitur; mulctatur tamen pecunia. Quam ob cauſſam ad claſſem remiſſus non eſt.

III. At ille poſt non multo ſua ſponte ad exer-1 citum rediit, et ibi non callida, ſed dementi ratione, cogitata patefecit. Non enim mores patrios ſolum, ſed etiam cultum veſtitumque mutauit. Ad-2 paratu regio vtebatur, veſte Medica; ſatellites Medi et Aegyptii ſequebantur; epulabatur more Perſarum luxurioſius, quam, qui aderant, perpeti poſſent: 3 aditum petentibus conueniendi non dabat; ſuperbe reſpondebat, et crudeliter imperabat; Spartam redire nolebat. Colonas, qui locus in agro Troadis eſt, ſe contulerat. Ibi conſilia cum patriae, tum ſibi inimica capiebat. Id poſtquam Lacedaemonii 4 reſciuerunt, legatos ad eum cum ſcytala miſerunt; in qua more illorum erat ſcriptum, *niſi domum reverteretur, ſe capitis eum damnaturos.* Hoc nuntio 5 commotus, ſperans, ſe etiam pecunia et potentia inſtans periculum poſſe depellere, domum rediit.

Huc vt venit, ab ephoris in vincula publica coniectus eſt. Licet enim legibus eorum cuiuis ephoro, hoc facere regi. Hinc tamen ſe expediuit; neque eo magis carebat ſuſpicione. Nam opinio manebat, 6eum cum rege habere ſocietatem. Eſt genus quoddam hominum, quod *Helotae* vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedaemoniorum colit ſeruorumque munere fungitur; hos quoque ſollici- 7tare ſpe libertatis exiſtimabatur. Sed, quod harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui poſſet, non putabant, de tali tamque claro viro ſuſpicionibus oportere iudicari; ſed exſpectandum, dum ſe ipſa res aperiret.

1 IV. Interim Argilius quidam adoleſcentulus, quem puerum Pauſanias amore Venereo dilexerat, quum epiſtolam ab eo ad Artabazum adcepiſſet, eique in ſuſpicionem veniſſet, aliquid in ea de ſe eſſe ſcriptum, quod nemo eorum rediiſſet, qui ſuper tali cauſſa eodem miſſi erant; vincula epiſtolae lacerauit, ſignoque detracto, cognouit, ſi pertuliſſet, 2ſibi eſſe pereundum. Erant in eadem epiſtola, quae ad ea pertinebant, quae inter regem Pauſaniamque 3conuenerant. Has ille literas ephoris tradidit. Non eſt praetereunda grauitas Lacedaemoniorum hoc loco. Nam ne huius quidem indicio inpulſi ſunt, vt Pauſaniam comprehenderent; neque prius vim adhibendam putauerunt, quam ſe ipſe indicaſſet. Itaque huic indici, quid fieri vellent, praeceperunt. 4Fanum Neptuni eſt Taenari, quod violari nefas putant Graeci. Eo ille index confugit; in ara conſedit. Hanc iuxta locum fecerunt ſub terra, ex quo poſſet audiri, ſi quis quid loqueretur cum Ar- 5gilio. Huc ex ephoris quidam deſcenderunt. Pauſanias, vt audiuit, Argilium confugiſſe in aram, perturbatus eo venit. quem quum ſubplicem Dei videret in ara ſedentem, quaerit, cauſſae quid ſit

tam repentino consilio. Huic ille, quid ex literis comperisset, aperit. Multo magis Pausanias pertur-6 batus, orare coepit, ne enuntiaret, nec se, meritum de illo optimo, proderet. Quod si eam veniam sibi dedisset, tantisque inplicitum rebus subleuasset, magno esse ei praemio futurum.

V. His rebus ephori cognitis satius putauerunt, 1 in vrbe eum comprehendi. Quo quum essent profecti, et Pausanias, placato Argilio, vt putabat, Lacedaemonem reuerteretur, in itinere, quum iam in eo esset, vt comprehenderetur, e vultu cuiusdam ephori, qui eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaque paucis ante gradibus, 2 quam qui sequebantur, in aedem Mineruae, quae *Chalcioeces* vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valuas eius aedis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, quo facilius sub diuo interiret. Dicitur, eo tempore matrem Pausaniae 3 vixisse, eamque iam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis, ad filium claudendum, lapidem ad introitum aedis adtulisse. Sic 4 Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculauit. Hic quum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflauit. Cuius mortui corpus 5 quum *eodem* nonnulli dicerent inferri oportere, quo hi, qui ad supplicium essent dati, displicuit pluribus, et procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. Inde posterius Dei Delphici responso erutus, atque eodem loco sepultus, vbi vitam posuerat.

V. CIMON.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Heres paternorum vinculorum, ab vxore liberatur.* II. *Eius virtutes et res gestae: Persas eodem die nauali et terrestri proelio vincit.* III. *Ostracismo eiicitur. Reuocatus pacem cum Lacedaemoniis conciliat. Citii moritur.* IV. *Cimonis encomium.*

1 I. CIMON, *Miltiadis filius, Athenienſis*, duro ad-
A. Ch. modum initio vſus eſt adoleſcentiae. Nam quum
n. 489. pater eius litem aeſtimatam populo ſoluere non potuiſſet, ob eamque cauſſam in vinculis publicis deceſſiſſet, Cimon eadem cuſtodia tenebatur, neque legibus Athenienſibus emitti poterat, niſi pecuniam, 2qua pater mulctatus erat, ſoluiſſet. Habebat autem in matrimonio ſororem germanam ſuam, nomine Elpinicen, non magis amore, quam more ductus. Nam Athenienſibus licet, eodem patre natas vxores 3ducere. Huius coniugii cupidus Callias quidam, non tam generoſus, quam pecunioſus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, vt eam ſibi vxorem daret: id ſi impetraſſet, ſe pro illo 4pecuniam ſoluturum. Is quum talem conditionem adſpernaretur, Elpinice negauit, ſe paſſuram, *Miltiadis* progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere poſſet, ſeque Calliae nupturam, ſi ea, quae polliceretur, praeſtitiſſet.

1 II. Tali modo cuſtodia liberatus Cimon, celeriter ad principatum peruenit. Habebat enim ſatis eloquentiae, ſummam liberalitatem, magnam prudentiam, cum iuris ciuilis, tum rei militaris, quod cum patre a puero in exercitibus fuerat verſatus. Itaque hic et populum vrbanum in ſua tenuit poteſtate, et apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primum imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugauit, oppidum Amphipolin conſtituit, eoque decem millia Athenienſium in coloniam miſit. Idem iterum apud Mycalen Cypriorum et Phoenicum ducentarum nauium claſſem deuictam cepit; eodemque die pari fortuna in terra 3vſus eſt. Namque, hoſtium nauibus captis, ſtatim
A. Ch. ex claſſe copias ſuas eduxit, barbarorumque vno
n. 470. concurſu maximam vim proſtrauit. Qua victoria 4magna praeda potitus, quum domum reuerteretur,

quod iam nonnullae insulae, propter acerbitatem imperii, defecerant, bene animatas confirmauit, alienatas ad officium redire coegit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod contumacius se gesserant, vacuefecit, sessores veteres vrbe insu- A. Ch. laque eiecit, agros ciuibus diuisit; Thasios, opu- n. 464. lentia fretos, suo aduentu fregit. His ex manubiis Athenarum arx, qua ad meridiem vergit, est ornata.

III. Quibus rebus quum vnus in ciuitate maximo floreret, incidit in eamdem inuidiam, quam pater A. Ch. suus ceterique Athenienſium principes. Nam testa- n. 460. rum subfragiis, quod illi *ostracismum* vocant, decem annorum exsilio multatus est. Cuius facti celeriusa Athenienses, quam ipsum, poenituit. Nam quum ille forti animo inuidiae ingratorum ciuium cessisset, bellumque Lacedaemonii Athenienſibus indixissent, confestim notae eius virtutis desiderium consecutum est. Itaque post annum quintum, quam3 expulsus erat, in patriam reuocatus est. Ille, quod hospitio Lacedaemoniorum vtebatur, satius existimans, contendere Lacedaemonem, sua sponte est profectus, pacemque inter duas potentissimas ciui-4 tates conciliauit. Post, neque ita multo, Cyprum A. Ch. cum ducentis nauibus imperator missus, quum eius n. 455. maiorem partem insulae deuicisset, in morbum in- A. Ch. plicitus, in oppido Citio est mortuus. n. 450. A. Ch. n. 449.

IV. Hunc Athenienses non solum in bello, sed in pace, diu desiderauerunt. Fuit enim tanta liberalitate, quum compluribus locis praedia hortosque haberet, vt numquam in eis custodem inposuerit fructus seruandi gratia, ne quis inpediretur, quo minus eius rebus, quibus vellet, frueretur. Semper2 cum pedisequi cum numis sunt secuti, vt, si quis opis eius indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe, quum ali-

quem obsensum fortuna videret minus bene vesti-
3tum, suum amiculum dedit. Quotidie sic coena
ei coquebatur, vt, quos innocatos vidisset in forō,
omnes deuocaret; quod facere nullum diem prae-
termittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli
res familiaris defuit; multos locupletauit: complures pauperes mortuos, qui, vnde efferrentur, non
4reliquissent, suo sumtu extulit. Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita eius fuit secura, et mors acerba.

VI. LYSANDER.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Athenarum victor; decemuiros Graeciae ciuitatibus inponit.* II. *Crudelis in Thasios.* III. *Reges tollere et oraculum corrumpere conatur; adcusatus absoluitur; obciditur a Thebanis.* IV. *Lysander suus ipse adcusator.*

1 I. LYSANDER *Lacedaemonius* magnam reliquit sui famam, magis felicitate, quam virtute partam. Athenienses enim, in Peloponnesios sexto et vice-
2simo anno bellum gerentes, confeciſſe adparet. Id qua ratione consecutus sit, latet. Non enim virtute sui exercitus, sed inmodestia factum est aduersariorum, qui, quod dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris, relictis nauibus, in hostium venerunt potestatem. Quo facto Athe-
3nienses se Lacedaemoniis dediderunt. Hac victoria Lysander elatus, quum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulsit, vt eius opera in maximum odium Graeciae Lacedaemonii peruene-
4rint. Nam quum hanc caussam Lacedaemonii dictitassent sibi esse belli, vt Athenienſium inpotentem
A. Ch. dominationem refringerent, postquam apud Aegos
a. 405. flumen Lysander classis hostium est potitus, nihil

aliud molitus eſt, quam vt omnes ciuitates in ſua teneret poteſtate; quum id ſe Lacedaemoniorum cauſſa facere ſimularet. Namque vndique, qui Athenienſium rebus ſtuduiſſent, eiectis, decem delegerat in vnaquaque ciuitate, quibus ſummum imperium poteſtatemque omnium rerum committeret. Horum in numerum nemo admittebatur, niſi qui aut eius hoſpitio contineretur, aut, ſe illius fore proprium, fide confirmarat.

II. Ita decemuirali poteſtate in omnibus vrbibus conſtituta, ipſius nutu omnia gerebantur. Cuius de crudelitate ac perfidia ſatis eſt vnam rem, exempli gratia, proferre, ne, de eodem plura enumerando, defatigemus lectores. Victor ex Aſia quum reuerteretur, Thaſumque deuertiſſet, quod ea ciuitas praecipua fide fuerat erga Athenienſes, proinde ac ſi iisdem firmiſſimi ſolerent eſſe amici, qui conſtantes fuiſſent inimici, eam peruertere concupiuit. Vidit autem, niſi in eo obcultaſſet voluntatem, futurum, vt Thaſii dilaberentur, conſulerentque rebus ſuis. Itaque ****

III. * Decemuiralem ſuam poteſtatem ſui abi illo conſtitutam ſuſtulerunt. Quo dolore incenſus, iniit conſilia, reges Lacedaemoniorum tollere. Sed ſentiebat, id ſe ſine ope Deorum facere non poſſe, quod Lacedaemonii omnia ad oracula referre conſueuerant. Primum Delphos conrumpere eſt conatus. Quum id non potuiſſet, Dodonam adortus eſt. Hinc quoque repulſus, dixit, ſe vota ſuscepiſſe, quae Ioui Hammoni ſolueret: exiſtimans, ſe Afros facilius conrupturum. Hac ſpe quum profectus eſſet in Africam, multum eum antiſtites Iouis fefellerunt. Nam non ſolum conrumpi non potuerunt, ſed etiam legatos Lacedaemonem miſerunt, qui Lyſandrum adcuſarent, quod ſacerdotes fani conrumpere conatus eſſet. Adcuſatus hoc crimine, iu- A. Ch. n. 402.

A. Ch. n. 396. dicumque absolutus sententiis, Orchomeniis missus subsidio, obsisus est a Thebanis apud Haliartum. Quam vere de eo foret iudicatum, oratio indicio fuit, quae post mortem in domo eius reperta est, in qua suadet Lacedaemoniis, vt, regia potestate dissoluta, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum: sed ita scripta, vt Deorum videretur congruere sententiae, quam ille se habiturum, pecunia fidens, non dubitabat. Hanc ei scripsisse Cleon Halicarnasseus dicitur.

IV. Atque hoc loco non est praetereundum factum Pharnabazi, satrapis regii. Nam quum Lysander, praefectus classis, in bello multa crudeliter auareque fecisset, deque his rebus suspicaretur, ad ciues suos esse perlatum, petiit a Pharnabazo, vt ad ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset sociosque tractasset, deque ea re adcurate scriberet; magnam enim eius auctoritatem in ea re futuram. Huic ille liberaliter pollicetur; librum grauem multis verbis conscripsit, in quo summis eum fert laudibus. Quem quum legisset probassetque, dum obsignatur, alterum pari magnitudine, tanta similitudine, vt discerni non posset, signatum subiecit, in quo adcuratissime eius auaritiam perfidiamque adcusarat. Hinc Lysander domum quum rediisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quae voluerat, dixerat, testimonii loco librum a Pharnabazo datum tradidit. Hunc, submoto Lysandro, quum ephori cognossent, ipsi legendum dederunt. Ita ille inprudens ipse suus fuit adcusator.

IV. Hoc crimine in contentionem ab inimicis 1
compellebatur. Sed inſtabat tempus, ad bellum proficiſcendi. Id ille intuens, neque ignorans ciuium ſuorum conſuetudinem, poſtulabat, vt, ſi quid de ſe agi vellent, potius de praeſente quaeſtio haberetur, quam abſens inuidiae crimine adcuſaretur. Inimici vero eius quieſcendum in praeſenti, quia, 2
noceri non poſſe, intelligebant, et illud tempus exſpectandum decreuerunt, quo exiſſet, vt ſic abſentem adgrederentur; itaque fecerunt. Nam poſt- 3
quam in Siciliam eum peruenisse crediderunt, abſentem, quod ſacra violaſſet, reum fecerunt. Qua de re quum ei nuntius a magiſtratu in Siciliam miſſus eſſet, vt domum ad cauſſam dicendam rediret, eſſetque in magna ſpe prouinciae bene adminiſtrandae, non parere noluit, et in triremem, quae ad eum deportandum erat miſſa, adſcendit. Hac 4
Thurios in Italiam peruectus, multa ſecum reputans de immoderata ciuium ſuorum licentia crudelitateque erga nobiles, vtiliſſimum ratus, inpendentem euitare tempeſtatem, clam ſe a cuſtodibus ſubduxit, et inde primum Elidem, deinde Thebas venit. Poſtquam autem ſe capitis damnatum, bonis 5
publicatis, audiuit, et, id quod vſu venerat, Eumolpidas ſacerdotes a populo coactos, vt ſe deuoverent, eiusque deuotionis, quo teſtatior eſſet memoria, exemplum, in pila lapidea inciſum, eſſe A. Ch.
poſitum in publico, Lacedaemonem demigrauit. n. 415.
Ibi, vt ipſe praedicare conſueuerat, non aduerſus 6
patriam, ſed inimicos ſuos bellum geſſit; quod iidem hoſtes eſſent ciuitati. Nam quum intelligerent, ſe plurimum prodeſſe poſſe rei publicae, ex ea eieciſſe, plusque irae ſuae, quam vtilitati communi paruiſſe. Itaque huius conſilio Lacedaemonii cum 7
Perſarum rege amicitiam fecerunt: deinde Decea- A. Ch.
liam in Attica munierunt, praeſidioque perpetuo n. 415.

ibi posito., in obsidione Athenas tenuerunt. dem opera Ioniam a societate auerterunt nienſium. Quo facto multo ſuperiores bello coeperunt.

1 V. Neque vero his rebus tam amici Alcibi-
A. Ch. ſunt facti, quam timore ab eo alienati. Nam qui
n. 412. acerrimi viri praeſtantem prudentiam in omnib
rebus cognoſcerent, pertimuerunt, ne, caritate pa
triae ductus, aliquando ab ipſis deſciſceret, e
cum ſuis in gratiam rediret. Itaque tempus ei
2interficiendi quaerere inſtituerunt. Id Alcibiadi di
tius celari non pptuit; erat enim ea ſagacitate, v
decipi non poſſet, praeſertim quum animum adten-
3diſſet ad cauendum. Itaque ad Tiſſaphernem, prae-
fectum regis Darii, ſe contulit. Cuius quum in
intimam amicitiam peruenisſet, et Athenienſium,
male geſtis in Sicilia rebus, opes ſeneſcere, contra
Lacedaemoniorum creſcere videret; initio cum Pi-
ſandro praetore, qui apud Samum exercitum habe-
bat, per internuntios conloquitur, et de reditu ſuo
facit mentionem. Erat enim eodem, quo Alcibia-
des, ſenſu, populi potentiae non amicus, et opti-
4matum fautor. Ab hoc deſtitutus, primum per
Thraſybulum, Lyci filium, ab exercitu recipitur,
A. Ch. praetorque fit apud Samum; poſt, ſubfragante The-
n. 408. ramene, populi ſcito reſtituitur, parique abſens im-
perio praeficitur, ſimul cum Thraſybulo et Thera-
5mene. Horum imperio tanta commutatio rerum
facta eſt, vt Lacedaemonii, qui paullo ante victo-
res viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim
erant quinque proeliis terreſtribus, tribus nauali-
bus, in quibus ducentas naues triremes amiſerant,
quae captae in hoſtium venerant poteſtatem. Alci-
6biades ſimul cum conlegis receperat Ioniam, Hel-
lespontum, multas praeterea vrbes graecas, quae
in ora ſitae ſunt Aſiae, quarum expugnarant com-

res; in his Byzantium. Neque minus multas consilio ad amicitiam adiunxerant, quod in captos clementia fuerant vsi. Inde praeda onusti, locu-7 pletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerunt.

VI. His quum obuiam vniuersa ciuitas in Pirae-1 eum deferendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, vt ad eius triremem vulgus confluerei, proinde ac si solus aduenisset. Sic enim populo erat persuasum, et aduersas superiores, et praesentes secundas res adcidisse eius opera. Itaque et Siciliae amissum, et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant, quod talem virum e ciui-tate expulissent. Neque id sine causa arbitrari vi-3 debantur. Nam postquam exercitui praeesse coeperat, neque terra, neque mari hostes pares esse potuerant. Hic vt naui egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant, simulque venerant in Piraeeum, tamen illum vnum omnes prosequebantur; et, id quod numquam antea vsu venerat, nisi Olympiae victoribus, coronis aureis aeneisque vulgo donabatur. Ille lacrumans talem beneuolentiam ciuium suorum adcipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Post-4 quam astu venit, concione aduocata, sic verba fecit, vt nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lacrumarit, inimicumque his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat, proinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tunc flebat, eum sacrilegii damnasset. Restituta ergo huic sunt publice5 bona; iidemque illi Eumolpidae sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, qui eum deuouerant, pilaeque illae, in quibus deuotio fuerat scripta, in mare praecipitatae.

VII. Haec Alcibiadi laetitia non nimis fuit diu-1 turna. Nam quum ei omnes essent honores de-

creti, totaque res publica domi bellique tradita, vnius arbitrio gereretur; et ipse postulasset, vt duo sibi conlegae darentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id negatum esset: classe iam in Asiam profectus, quod apud Cymen minus ex sententia rem gesserat, in inuidiam recidit. Nihil enim eum non efficere posse ducebant. Ex quo fiebat, vt omnia minus prospere gesta eius culpae tribuerent, qui eum aut negligenter, aut malitiose feciſſe loquerentur; sicut tunc accidit. Nam, corruptum a rege capere Cymen noluisse, arguebant. Itaque hunc maxime putamus malo fuisse [cauſſam,] nimiam opinionem ingenii atque virtutis. Timebatur enim non minus, quam diligebatur; ne, secunda fortuna magnisque opibus elatus, tyrannidem concupiſceret. Quibus rebus factum est, vt absenti magistratum abrogarent, et alium in eius locum substituerent. Id ille vt audiuit, domum reuerti noluit, et se Pactyen contulit, ibique tria castella communiuit, Bornos, Bisanthen, Neontichos, manuque conlecta primus Graeciae ciuitatis in Thraciam introiit, gloriosius existimans, barbarorum praeda locupletari, quam Graiorum. Qua ex re creuerat cum fama, tum opibus, magnamque amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraciae pepererat.

VIII. Neque tamen a caritate patriae potuit recedere. Nam quum apud Aegos flumen Philocles, praetor Athenienſium, classem constituisset suam, neque longe abesset Lysander, praetor Lacedaemoniorum, qui in eo erat obcupatus, vt bellum quam diutissime duceret, quod ipsis pecunia a rege subpeditabatur, contra Athenienſibus exhaustis, praeter armata et naues, nihil erat super; Alcibiades ad Athenienſium venit exercitum, ibique praesente vulgo agere coepit: si vellent, se coacturum Lysandrum, aut dimicare, aut pacem petere: Lacedaemonios eo

A. Ch. n. 405.

lle confligere classe, quod pedestribus copiis plus, am nauibus valerent: sibi autem esse facile, Seu-3 en regem Thracum deducere, vt eos terra depel-et: quo facto, necessario aut classe conflicturos, t bellum composituros. Id etsi vere dictum Phi-4 cles animaduertebat, tamen postulata facere no-it, quod sentiebat, se, Alcibiade recepto, nul-as momenti apud exercitum futurum; et si quid undi euenisset, nullam in ea re suam partem re; contra ea, si quid aduersi adcidisset, se vnum as delicti futurum reum. Ab hoc discedens Al-5 biades, quoniam, *inquit*, victoriae patriae re-gnas, illud moneo, iuxta hostes castra habeas nutica: periculum est enim, ne inmodestia mili-m nostrorum occasio detur Lysandro nostri obpri-endi exercitus. Neque ea res illum fefellit. Nam6 ysander, quum per speculatores comperisset, vul-im Athenienstum in terram praedatum exisse, na-esque paene inanes relictas, tempus rei gerendae on dimisit, eoque inpetu totum bellum deleuit.

IX. At Alcibiades, victis Athenienstbus, nonı tis tuta eadem loca sibi arbitratus, penitus in braciam se, supra Propontidem, abdidit, sperans, i facillime suam fortunam obculi posse; falso. am Thraces, postquam eum cum magna pecuniae eniisse senserunt, insidias ei fecerunt; qui ea, quae portarat, abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. le cernens, nullum locum sibi tutum in Graecia, 3 opter potentiam Lacedaemoniorum, ad Pharnaba-m in Asiam transiit. Quem quidem adeo sua cepit manitate, vt eum nemo in amicitia antecederet. amque ei Grunium dederat, in Phrygia castrum, quo quinquagena talenta vectigalis capiebat. Qua 4 rtuna Alcibiades non erat contentus, neque Athe-s victas Lacedaemoniis seruire poterat pati. Ita-e ad patriam liberandam omni ferebatur cogita-

5tione; sed videbat, id sine rege Persarum non p
fieri: ideoque eum amicum sibi cupiebat adiu
neque dubitabat, facile se consecuturum, si m
6eius conueniendi habuisset potestatem. Nam
rum fratrem ei bellum clam parare, Lacedaemo
adiuuantibus, sciebat. Id si [ei] aperuisset, magn
se [ab eo] initurum gratiam videbat.

1 X. Haec quum moliretur, peteretque a Phar
A. Ch. bazo, vt ad regem mitteretur, eodem tempore C
n. 404. tias ceterique tyranni Athenienſium certos homi
ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certi
rem facerent, *nisi Alcibiadem sustulisset, nihil ea*
rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisse
quare, si suas res gestas manere vellet, illum p
2*sequeretur.* His Laco rebus commotus statuit, a
curatius sibi agendum cum Pharnabazo. Huic erg
renuntiat, quae regi cum Lacedaemoniis essent, in
rita futura, nisi Alcibiadem vinum, aut mortuum
3tradidisset. Non tulit hoc Satrapes, et violare cle
mentiam, quam regis opes minui, maluit. Itaqu
misit Syssamithren et Bagaeum ad Alcibiadem inter
ficiendum, quum ille esset in Phrygia iterque
4regem compararet. Missi clam vicinitati, in qu
tum Alcibiades erat, dant negotium, vt eum
terficiant. Illi, quum eum ferro adgredi non
derent, noctu ligna contulerunt circa casam ea
in qua quiescebat, eamque subcenderunt; vt in
dio conficerent, quem manu superari posse diffi
5bant. Ille autem vt sonitu flammae est excitat
etsi gladius ei erat subductus, familiaris sui subal
telum eripuit. Namque erat cum eo quidam
Arcadia hospes, qui numquam discedere voluer
Hunc sequi se iubet, et id, quod in praesentia
stimentorum fuit, adripuit; his in ignem eiect
6flammae vim transiit. Quem vt barbari incendiu
effugisse viderunt, telis eminus missis interfecerun

e eius ad Pharnabazum retulerunt. At mu-
ae cum eo viuere consueuerat, muliebri sua
ntectum, aedificii incendio mortuum cre-
quod ad viuum interimendum erat compa-
Sic Alcibiades, annos circiter quadraginta A. Ch. n. 404.
diem obiit supremum.

Hunc, infamatum a plerisque, tres grauis-1
storici summis laudibus extulerunt: *Thucy-*
qui eiusdem aetatis fuit; *Theopompus*, qui
oft aliquanto natus; et *Timaeus:* qui quin-
10 maledicentissimi, nescio quo modo, in
o laudando conscierunt. Namque ea, quae2
liximus, de eo praedicarunt, atque hoc am-
quum Athenis splendidissima ciuitate natus
omnes splendore ac dignitate vitae superasse;
im inde expulsus Thebas venerit, adeo stu-3
rum inseruisse, vt nemo eum labore corpo-
viribus posset aequiparare. Omnes enim Boeo-
gis firmitati corporis, quam ingenii acumini
iunt. Eumdem apud Lacedaemonios, quo-4
ioribus summa virtus in patientia ponebatur,
itiae se dedisse, vt parcimonia victus atque
omnes Lacedaemonios vinceret; fuisse apud
s, homines vinolentos rebusque Venereis
s; hos quoque in his rebus anteceſſisse: venisse5
sas, apud quos summa laus esset, fortiter ve-
luxurioſe viuere; horum sic imitatum con-
inem, vt illi ipsi eum in his maxime admi-
r. Quibus rebus effecisse, vt, apud quos-6
esset, princeps poneretur, habereturque ca-
s. Sed satis de hoc: reliquos ordiamur.

VIII. THRASYBVLVS.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Patriam a tyrannis liberat.* II. *Phylen confugit; M*
ahiam obcupat; parcit ciuibus. III. *Pace facta, legem fert obl*
nis. IV. *Corona oleagina ornatur. Ad Ciliciam a barbaris i*
ficitur.

1 I. THRASYBVLVS, *Lyci filius, Athenienſis.* Si
A. Ch. ſe virtus ſine fortuna ponderanda ſit, dubito,
n. 401. hunc primum omnium ponam. Illud ſine dub
neminem huic praefero fide, conſtantia, magni
2dine animi, in patriam amore. Nam quod mu
voluerunt, pauci potuerunt, ab vno tyranno
triam liberare; huic contigit, vt a triginta obpu
ſam tyrannis ex ſeruitute in libertatem vindica
3Sed, neſcio quo modo, quum eum nemo antei
his virtutibus, multi nobilitate praecucurrer
Primum Peloponneſio bello multa hic ſine Alcibi
geſſit; ille nullam rem ſine hoc: quae ille vniv
4naturali quodam bono fecit lucri. Sed illa ta
omnia communia imperatoribus cum militib
fortuna; quod in proelii concurſu abit res a c
lio ad vires vimque pugnantium. Itaque iur
nonnulla ab imperatore miles, plurima vero
tuna vindicat, ſeque hic plus valuiſſe, quam
5prudentiam, vere poteſt praedicare. Quare
A. Ch. magnificentiſſimum factum proprium eſt Thraſy
n. 405. Nam quum triginta tyranni, praepoſiti a Lac
moniis, ſeruitute obpreſſas tenerent Athenas,
rimos ciues, quibus in bello parſerat fortuna,
tim patria expuliſſent, partim interfeciſſent, p
morum bona publicata inter ſe diuiſiſſent; non ſ
princeps, ſed et ſolus, initio bellum his indix
1 II. Hic enim quum Phylen confugiſſet,
eſt caſtellum in Attica munitiſſimum, non plu
buit ſecum, quam triginta de ſuis. Hoc ini

nit ſalutis Atticorum; hoc robur libertatis clarisſimae ciuitatis. Neque vero hic non contemtus eſt a
rimo a tyrannis atque eius ſolitudo. Quae quidem res et illis contemnentibus pernicii, et huic
ſpecto ſaluti fuit. Haec enim illos ad perſequendum ſegnes, hos autem, tempore ad comparandum dato, fecit robuſtiores. Quo magis praeceptum illud omnium in animis eſſe debet: *Nihil in bello oportere contemni.* Nec ſine cauſa dici: *Matrem timidi flere non ſolere.* Neque tamen pro opinione Thraſybuli auctae ſunt opes. Nam iam tunc, illis temporibus, fortius boni pro libertate loquebantur, quam pugnabant. Hinc in Piraeeum transit, Munychiamque muniuit. Hanc bis tyranni oppugnare ſunt adorti: ab eaque turpiter repulſi, profecti in vrbem, armis inpedimentisque amiſſis, refugerunt. Vſus eſt Thraſybulus non minus prudentia, quam fortitudine. Nam cedentes violari vetuit. Ciues enim *ciuibus parcere* aequum cenſebat. Neque quisquam eſt vulneratus, niſi qui prior inpugnare voluit. Neminem iacentem veſte ſpoliauit; nil adegit, niſi arma, quorum indigebat, et quae ad victum pertinebant. In ſecundo proelio cecidit Critias, dux tyrannorum, quum quidem ex aduerſus Thraſybulum fortiſſime pugnaret.

III. Hoc deiecto Pauſanias venit Atticis auxilio, rex Lacedaemoniorum. Is inter Thraſybulum et eos, qui vrbem tenebant, fecit pacem, his conditionibus: *ne qui praeter triginta tyrannos, et decem, qui poſtea praetores creati, ſuperioris more crudelitatis erant vſi, adficerentur exſilio: neue bona publicarentur: rei publicae procuratio populo redderetur.* Praeclarum hoc quoque Thraſybuli, quod, reconciliata pace, quum plurimum in ciuitate poſſet, legem tulit: *ne quis ante actarum rerum odcuſaretur, neue multaretur;* eamque illi [legem] *obliuionis* ad-

A. Ch. n. 401.

3pellarunt. Neque vero hanc tantum ferendam contulerauit, sed etiam, vt valeret, effecit. Nam quum quidam ex his, qui simul cum eo in exsilio fuerant, caedem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publice prohibuit, et id, quod pollicitus erat, praestitit.

1 IV. Huic pro tantis meritis honoris corona a populo data est, facta duabus virgulis oleaginis, quam quod amor ciuium, non vis expresserat, nullam 2habuit inuidiam, magnaque fuit gloria. Bene ergo Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, quum ei Mitylenaei multa millia iugerum agri munera darent, *Nolite, oro vos*, inquit, *id mihi dare, quod multi inuideant, plures etiam concupiscant: quare ex istis nolo amplius, quam centum iugera, quae et mei animi aequitatem, et vestram voluntatem indicent.* Nam parua munera diutina, 3locupletia non propria esse consueuerunt. Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requisiuit, neque quemquam honore se antecessisse 4existimauit. Hic sequenti tempore, quum praetor classem ad Ciliciam adpulisset, neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliae, a barbaris, ex oppido noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est. A. Ch. n. 390.

IX. CONON.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Peloponnesio bello bene meretur de re publica.* II. *Exsul Persis vsui est aduersus Lacedaemonios.* III. *Accusaturus Tissaphernen, per literas agit cum Artaxerxe.* IV. *Vincit Lacedaemonios ad Cnidum. Graecia liberatur, et Athenarum muri reficiuntur.* V. *A Tiribazo in vincula coniicitur.*

1 CONON *Athenienſis* Peloponnesio bello adcessit ad rem publicam, in eoque eius opera magni fuit. Nam

praetor pedestribus exercitibus praefuit, et praefectus classis res magnas mari gessit. Quas ob causas praecipuus ei honos habitus est. Namque omnibus insulis praefuit. In qua potestate Pheras cepit, coloniam Lacedaemoniorum. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello praetor, quum apud Aegos flumen copiae Athenienſium a Lysandro ſunt devictae. Sed tum abfuit, eoque peius res administrata est. Nam et prudens rei militaris, et diligens erat imperii. Itaque nemini erat his temporibus dubium, ſi adfuiſſet, illam Athenienſes calamitatem adcepturos non fuiſſe. A. Ch. n. 405.

II. Rebus autem adflictis quum patriam obſideri audiſſet, non quaeſiuit, vbi ipſe tuto vineret, ſed vnde praeſidio poſſet eſſe ciuibus ſuis. Itaque contulit ſe ad Pharnabazum, ſatrapen Ioniae et Lydiae, eumdemque generum regis et propinquum; apud quem vt multum gratia valeret, multo labore multisque effecit periculis. Nam quum Lacedaemonii, Athenienſibus deuictis, in ſocietate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant, Ageſilaumque bellatum miſiſſent in Aſiam, maxime inpulſi a Tiſſapherne, qui ex intimis regis ab amicitia eius defecerat, et cum Lacedaemoniis coierat ſocietatem: hunc aduerſus Pharnabazus habitus eſt imperator; re quidem vera exercitui praefuit Conon, eiusque omnia arbitrio geſta ſunt. Hic multum ducem ſummum, Ageſilaum, inpediuit, ſaepeque eius conſiliis obſtitit. Neque vero non fuit apertum, ſi ille non fuiſſet, Ageſilaum Aſiam Tauro tenus regi fuiſſe erepturum. Qui poſteaquam domum a ſuis ciuibus reuocatus eſt, quod Boeotii et Athenienſes Lacedaemoniis bellum indixerant; Conon nihilo ſecius apud praefectos regis verſabatur, hisque omnibus maximo erat vſui. A. Ch. n. 399.

1 III. Defecerat a rege Tiſſaphernes, neque ad tum
Artaxerxi, quam ceteris, erat apertum. Multis enim
magnisque meritis apud regem, etiam quum in of-
ficio non maneret, valebat. Neque id mirandum,
ſi non facile ad credendum adducebatur, reminiſ-
2ſcens, eius ſe opera Cyrum fratrem ſuperaſſe. Huius
adcuſandi gratia, Conon, a Pharnabazo ad regem
miſſus, poſteaquam venit, primum ex more Perſa-
rum ad chiliarchum, qui ſecundum gradum impe-
rii tenebat, Tithrauſten adceſſit, ſeque, oſtendit,
3cum rege conloqui velle. Nemo enim ſine hoc ad-
mittitur. Huic ille, *nulla*, inquit, *mora eſt: ſed*
tu delibera, vtrum conloqui malis, an per literas
agere, quae cogitas; neceſſe eſt enim, ſi in conſpec-
tum veneris, venerari te regem: (quod προσκυνεῖν
illi vocant.) *hoc ſi tibi graue eſt, per me nihilo ſe-*
cius, editis mandatis, conficies, quod ſtudes. Tum
4Conon: *Enim vero*, inquit, *non eſt graue, quem-*
vis honorem habere regi: ſed vereor, ne ciuitati meae
ſit obprobrio, ſi, quum ex ea ſim profectus, quae
ceteris gentibus imperare conſueuerit, potius barba-
rorum, quam illius more fungar. Itaque huic, quae
volebat, ſcripta tradidit.

1 IV. Quibus cognitis, rex tantum auctoritate eius
a. Ch. motus eſt, vt et Tiſſaphernem hoſtem iudicauerit,
395. et Lacedaemonios bello perſequi iuſſerit, et ei per-
miſerit, quem vellet, eligere ad dispenſandam pe-
cuniam. Id arbitrium Conon negauit, ſui eſſe con-
ſilii, ſed ipſius, qui optime ſuos noſſe deberet: ſed
2ſe ſuadere, Pharnabazo id negotii daret. Hinc
magnis muneribus donatus ad mare eſt miſſus, vt
Cypriis et Phoenicibus ceterisque maritimis ciui-
tatibus naues longas imperaret, claſſemque, qua pro-
xima aeſtate mare tueri poſſet, compararet, dato
3adiutore Pharnabazo, ſicut ipſe voluerat. Id vt
Lacedaemoniis eſt nuntiatum, non ſine cura rem

diminiſtrarunt, quod maius bellum inminere arbi-
trabantur, quam ſi cum barbaro ſolum contende-
rent. Nam ducem fortem et prudentem regiis opi-
bus praefuturum, ac ſecum dimicaturum, videbant,
quem neque conſilio, neque copiis ſuperare poſſent.
Hac mente magnam contrahunt claſſem; profi- 4
ciſcuntur Piſandro duce. Hos Conon, apud Cni-
dum adortus, magno proelio fugat, multas naues
capit, complures deprimit. Qua victoria non ſo- A. Ch.
lum Athenae, ſed etiam cuncta Graecia, quae ſub n. 395.
Lacedaemoniorum fuerat imperio, liberata eſt. Co- 5
non cum parte nauium in patriam venit; muros A. Ch.
dirutos a Lyſandro, vtrosque et Piraeei, et Athena- n. 394.
rum, reficiendos curat, pecuniaeque quinquaginta
talenta, quae a Pharnabazo adceperat, ciuibus
ſuis donat.

V. Adcidit huic, quod ceteris mortalibus, vt in- 1
conſideratior in ſecunda, quam in aduerſa eſſet for- A. Ch.
tuna. Nam, claſſe Peloponneſiorum deuicta, quum n. 394.
vltum ſe iniurias patriae putaret, plura concupiuit,
quam efficere potuit. Neque tamen ea non pia et
probanda fuerunt, quod potius patriae opes augeri,
quam regis maluit. Nam quum magnam auctori-
tatem ſibi pugna illa nauali, quam apud Cnidum
fecerat, conſtituiſſet, non ſolum inter barbaros, ſed
etiam omnes Graeciae ciuitatis, clam dare operam
coepit, vt Ioniam et Aeoliam reſtitueret Athenien-
ſibus. Id quum minus diligenter eſſet celatum, Ti- 3
ribazus, qui Sardibus praeerat, Cononem euocauit,
ſimulans, ad regem eum ſe mittere velle magna de A. Ch.
re. Huius nuntio parens quum veniſſet, in vincula n. 394.
coniectus eſt; in quibus aliquamdiu fuit. Nonnulli 4
eum ad regem abductum, ibique periiſſe, ſcriptum
reliquerunt. Contra ea Dinon, hiſtoricus, cui nos
plurimum de Perſicis rebus credimus, effugiſſe

ſcripſit: illud addubitat, vtrum Tiribazo ſciente, an inprudente ſit factum.

X. DION.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Dionyſiorum adfinis et intimus.* II. *Platonis diſcipulus et amicus.* III. *Simultas Dionis et Dionyſii iunioris.* IV. *Corinthum deuehitur. Eius filius peſſime educatur.* V. *Syracuſarum potitus, tyrannum ad pactiones adigit.* VI. *Heraclidis caede populum a ſe alienat.* VII. *Tyrannus non ferendus audit.* VIII. *Callicratis conſilio decipitur.* IX. *Domi ſuae die feſto iugulatur.* X. *Tumultus poſt eius mortem, et deſiderium mortui.*

1 I. DION, *Hipparini filius, Syracuſanus*, nobili genere natus, vtraque inplicatus tyrannide Dionyſiorum. Namque ille ſuperior Ariſtomachen, ſororem Dionis, habuit in matrimonio: ex qua duos filios, Hipparinum et Nyſaeum, procreauit; totidemque filias, nomine Sophroſynen et Areten. Quarum priorem Dionyſio filio, eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit; alteram, Areten, Dioni. Dion autem, praeter nobilem propinquitatem generoſamque maiorum fámam, multa alia ab natura habuit bona; in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas; magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendatur; magnas praeterea diuitias a patre relictas, quas ipſe tyranni muneribus 3auxerat. Erat intimus Dionyſio priori, neque minus propter mores, quam adfinitatem. Namque etſi Dionyſii crudelitas ei displicebat, tamen ſaluum [eſſe] propter neceſſitudinem, magis etiam ſuorum cauſa, ſtudebat. Aderat in magnis rebus; eiusque conſilio multum mouebatur tyrannus, niſi qua in 4re maior ipſius cupiditas interceſſerat. Legationes vero omnes, quae eſſent inluſtriores, per Dionem adminiſtrabantur; quas quidem ille diligenter ob-

endo, fideliter administrando, crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tegebat. Hunc a Dionysio missum Karthaginienses suspexerunt, vt neminem vmquam Graeca lingua loquentem magis sint admirati.

II. Neque vero haec Dionysium fugiebant. Nam quanto esset sibi ornamento, sentiebat. Quo fiebat, vt vni huic maxime indulgeret, neque eum secus diligeret, ac filium. Qui quidem, quum, Platonem Tarentum venisse, fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit, quin eum arcesseret, quum Dion eius audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniam, magnaque eum ambitione Syracusas perduxit. Quem Dion adeo admiratus est atque adamauit, vt se totum ei traderet. Neque vero minus Plato delectatus est Dione. Itaque quum a Dionysio tyranno crudeliter violatus esset; quippe quem venum dari iussisset: tamen eodem rediit, eiusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius: quo quum graui conflictaretur, quaesiuit a medicis Dion, *quemadmodum se haberet?* simulque ab his petiit, *si forte maiori esset periculo, vt sibi faterentur: nam velle se cum eo conloqui de partiendo regno; quod sororis suae filios, ex illo natos, partem regni putabat debere habere.* Id medici non tacuerunt, et ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi [cum eo] esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit. Hoc aeger sumto, vt somno sopitus, diem obiit supremum.

III. Tale initium fuit Dionis et Dionysii simultatis, eaque multis rebus aucta est; sed tamen primis temporibus aliquamdiu similata inter eos amicitia mansit. Quumque Dion non desisteret obsecrare Dionysium, *vt Platonem Athenis arcesseret*, et *eius consiliis vteretur:* ille, qui in aliqua re vellet

patrem imitari, morem ei gessit. Eodemque tempore Philistum, historicum, Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis Graecis conscriptus est. Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit, valuitque eloquentia, vt ei persuaserit, tyrannidis facere finem, libertatemque reddere Syracusanis. A qua voluntate Philisti consilio deterritus, aliquanto crudelior esse coepit.

IV. Qui quidem quum a Dione se superari vide- A. Ch. ret ingenio, auctoritate, amore populi, verens, n. 358. ne, si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret obprimendi, nauem ei triremem dedit, qua Corinthum deueheretur; ostendens, se id vtriusque facere causa, ne, quum inter se timerent, alteruter alterum praeobcuparet. Id quum factum multi indignarentur, magnaeque esset inuidiae tyranno, Dionysius omnia, quae moueri poterant Dionis, in naues inposuit, ad eumque misit. Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suae salutis fecisse causa. Postea vero quam audiuit, eum in Peloponneso manum comparare, sibique bellum facere conari; Areten, Dionis vxorem, alii nuptum dedit, filiumque eius sic educari iussit, vt indulgendo turpissimis inbueretur cupiditatibus. Nam puero, priusquam pubes esset, scorta adducebantur: vino epulisque obruebatur, neque vllum tempus sobrio relinquebatur. Is vsque eo vitae statum commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater, (namque adpositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent) vt se de superiore parte aedium deiecerit, atque ita interierit. Sed illuc reuertor.

V. Postquam Corinthum peruenit Dion, et eo- A. Ch. dem perfugit Heraclides, ab eodem expulsus Dio- n. 357.

nyſio, qui praefectus fuerat equitum, omni ratione bellum comparare coeperunt. Sed non multum proficiebant, quod multorum annorum tyrannis magnarum opum putabatur. Quam ob cauſam pauci ad ſocietatem periculi perducebantur. Sed Dion, fretus non tam ſuis copiis, quam odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis nauibus, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis nauibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus obpugnatum, (quod omnibus gentibus admirabile eſt viſum,) adeo facile perculit, vt poſt diem tertium, quam Siciliam adtigerat, Syracuſas introierit. Ex quo intelligi poteſt, nullum eſſe imperium tutum, niſi beneuolentia munitum. Eo tempore aberat Dionyſius, et in Italia claſſem obperiebatur, aduerſariorum ratus neminem ſine magnis copiis ad ſe venturum; quae res eum fefellit. Nam Dion iis ipſis, qui ſub aduerſarii fuerant poteſtate, regios ſpiritus repreſſit, totiusque eius partis Siciliae potitus eſt, quae ſub poteſtate Dionyſii fuerat, parique modo vrbis Syracuſarum, praeter arcem et inſulam adiunctam oppido; eoque rem perduxit, vt talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet: *Siciliam Dion obtineret, Italiam Dionyſius, Syracuſas Apollocrates*, cui maximam fidem vni habebat [Dion].

VI. Has tam proſperas tamque inopinatas res conſecuta eſt ſubita commutatio, quod fortuna ſua mobilitate, quem paulo ante extulerat, demergere eſt adorta. Primum in filio, de quo commemoraui ſupra, ſuam vim exercuit. Nam, quum vxorem reduxiſſet, quae alii fuerat tradita, filiumque vellet reuocare ad virtutem a perdita luxuria, adcepit grauiſſimum parens vulnus morte filii. Deinde orta diſſenſio eſt inter eum et Heraclidem; qui, quod principatum non concedebat, factionem com-

parauit. Neque is minus valebat apud optimates; quorum conſenſu praeerat claſſi, quum Dion exercitum pedeſtrem teneret. Non tulit hoc animo aequo Dion, et verſum illum Homeri retulit ex ſecunda rhapſodia, in quo haec ſententia eſt: *Non poſſe bene geri rem publicam multorum imperiis.* Quod dictum magna inuidia conſecuta eſt. Namque aperuiſſe videbatur, omnia in ſua poteſtate eſſe velle. Hanc ille non lenire obſequio, ſed acerbitate obprimere ſtuduit, Heraclidemque, quum Syracuſas veniſſet, interficiendum curauit.

VII. Quod factum omnibus maximum timorem iniecit. Nemo enim, illo interfecto, ſe tutum putabat. Ille autem, aduerſario remoto, licentius eorum bona, quos ſciebat aduerſus ſe ſenſiſſe, militibus dispertiuit. Quibus diuiſis, quum quotidiani maximi fierent ſumtus, celeriter pecunia deeſſe coepit: neque, quo manus porrigeret, ſubpetebat, niſi in amicorum poſſeſſiones. Id huiusmodi erat, vt, quum milites reconciliaſſet, amitteret optimates. Quarum rerum cura frangebatur, et, inſuetus male audiendi, non aequo animo ferebat, de ſe ab iis male exiſtimari, quorum paullo ante in coelum fuerat elatus laudibus. Vulgus autem, obſenſa in eum militum voluntate, liberius loquebatur, et *tyrannum non ferendum* dictitabat.

VIII. Haec ille intuens, quum, quemadmodum ſedaret, neſciret, et quorſum euaderent, timeret; Callicrates quidam, ciuis Athenienſis, qui ſimul cum eo ex Peloponneſo in Siciliam venerat, homo et callidus, et ad fraudem acutus, ſine vlla religione nec fide, adit ad Dionem et ait: eum [in] magno periculo eſſe, propter obſenſionem populi et odium militum; quod nullo modo euitare poſſet, niſi alicui ſuorum negotium daret, qui ſe ſimilaret illi

inimicum: quem si inueniſſet idoneum, facile
omnium animos cogniturum, aduerſariosque ſub-
laturum, quod inimici eius diſſidenti ſuos ſenſus
aperturi forent. Tali conſilio probato, excipit has 3
partes ipſe Callicrates, et ſe armat inprudentia Dio-
nis; ad eum interficiendum ſocios conquirit; ad-
verſarios eius conuenit, coniurationem confirmat.
Res, multis conſciis, quae gereretur, elata defertur 4
ad Ariſtomachen, ſororem Dionis, vxoremque Are-
ten. Illae, timore perterritae, conueniunt, cuius
de periculo timebant. At ille negat, a Callicrate
fieri ſibi inſidias, ſed illa, quae agerentur, fieri
praecepto ſuo. Mulieres nihilo ſecius Callicratem 5
in aedem Proſerpinae deducunt, ac iurare cogunt,
nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione
non modo [ab incepto] non deterritus, ſed ad ma-
turandum concitatus eſt, verens, ne prius conſilium
ſuum aperiretur, quam conata perfeciſſet.

IX. Hac mente proximo die feſto, quum a con- 1
uentu remotum ſe Dion domi teneret, atque in A. Ch.
conclaui edito recubuiſſet; conſciis loca munitiora n. 355.
oppidi tradit, domum cuſtodibus ſepit, a foribus
qui non discedant, certos praeficit; nauem triremem 2
armatis ornat, Philoſtratoque fratri ſuo tradit;
eamque in portu agitari iubet, vt ſi exercere remi-
ges vellet; cogitans, ſi forte conſiliis obſtitiſſet for-
tuna, vt haberet, quo fugeret ad ſalutem. Suorum 3
autem e numero Zacynthios adoleſcentes quosdam
eligit, cum audaciſſimos, tum viribus maximis,
hisque dat negotium, ad Dionem eant inermes, ſic
vti conueniendi eius gratia viderentur venire. Hi 4
propter notitiam ſunt intromiſſi. At illi, vt limen
eius intrarunt, foribus obſeratis, in lecto cubantem
inuadunt: conligant: ſit ſtrepitus, adeo vt exaudiri
poſſet foris. Hic, ſicut ante dictum eſt, quam in- 5
viſa ſit ſingularis potentia, et miſeranda vita, qui

se metui, quam amari malunt, cuiuis facile intel-
6lectu fuit. Namque illi ipsi custodes, si propitia
fuissent voluntate, foribus effractis, seruare eum
potuissent, quod illi inermes, telum foris flagitan-
tes; viuum tenebant. Cui quum subcurreret nemo,
Lyco quidam, Syracusanus, per fenestras gladium
dedit, quo Dion interfectus est.

1 X. Confecta caede, quum multitudo visendi gra-
tia introisset, nonnulli ab insciis pro noxiis conci-
duntur: nam celeri rumore dilato, Dioni vim ad-
latam, multi concurrerant, quibus tale facinus dis-
plicebat. Hi, falsa suspicione ducti, inmerentes,
2vt sceleratos, obcidunt. Huius de morte vt palam
factum est, mirabiliter vulgi mutata est voluntas.
Nam, qui viuum eum *tyrannum* vocitarant, iidem
liberatorem patriae tyrannique expulsorem praedi-
cabant. Sic subito misericordia odio subcesserat, vt
eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cupe-
3rent redimere. Itaque in vrbe, celeberrimo loco,
elatus publice, sepulcri monimento donatus est.
Diem obiit circiter annos quinquaginta quinque
natus, quartum post annum, quam ex Peloponneso
in Siciliam redierat.

XI. IPHICRATES.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Disciplina militari nobilis.* II. *Eius expeditiones bellicae. Ad Corinthum. Aduersus Aegyptios. Aduersus Arcadas.* III. *Eius indoles et dotes.*

1 I. Iphicrates, *Athenienſis*, non tam magnitu-
dine rerum gestarum, quam disciplina militari no-
bilitatus est. Fuit enim talis dux, vt non solum
aetatis suae cum primis compararetur, sed ne de
maioribus natu quidem quisquam anteponeretur.

Multum vero in bello eſt verſatus; ſaepe exercitibus praefuit; nusquam culpa ſua male rem geſſit; ſemper conſilio vicit, tantumque eo valuit, vt multa in re militari partim noua adtulerit, partim meliora fecerit. Namque ille pedeſtria arma mutauit, 3 quum ante illum imperatorem maximis clypeis, breuibus haſtis, minutis gladiis vterentur. Ille e contrario peltam pro parma fecit, a quo poſtea *peltaſtae* pedites adpellantur, vt ad motus concurſusque eſſent leuiores. Haſtae modum duplicauit; gladios longiores fecit. Idem genus loricarum mutauit, et pro ſertis atque aeneis linteas dedit. Quo 4 facto expeditiores milites reddidit. Nam pondere detracto, quod aeque corpus tegeret et leue eſſet, curauit.

II. Bellum cum Thracibus geſſit: Seuthen, ſo- 1 cium Athenienſium, in regnum reſtituit. Apud A. Ch. n. 393. Corinthum tanta ſeueritate exercitui praefuit, vt nullae vmquam in Graecia neque exercitatiores copiae, neque magis dicto audientes fuerint duci; in 2 tamque conſuetudinem adduxit, vt, quum proelii ſignum ab imperatore eſſet datum, ſine ducis opera ſic ordinatae conſiſterent, vt ſinguli ab peritiſſimo imperatore diſpoſiti viderentur. Hoc exercitu mo- 3 rata Lacedaemoniorum intercepit; quod maxime tota celebratum eſt Graecia. Iterum eodem bello omnes copias eorum fugauit: quo facto magnam adeptus eſt gloriam. Quum Artaxerxes Aegyptio 4 regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Athenien- A. Ch. n. 374. ſibus petiuit ducem, quem praeficeret exercitui conductitio, cuius numerus duodecim milium fuit. Quem quidem ſic omni diſciplina militari erudiuit, vt, quemadmodum quondam *Fabiani* milites Romani adpellati ſunt, ſic *Iphicratenſes* apud Graecos in ſumma laude fuerint. Idem, ſubſidio Lacedae- 5 moniis profectus, Epaminondae retardauit inpetus: A. Ch. n. 369.

nam nisi eius aduentus adpropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quam captam incendio delessent.

1 III. Fuit autem et animo magno, et corpore imperatoriaque forma, vt ipso adspectu cuiuis inferre admirationem sui. Sed in labore remissus nimis parumque patiens, vt Theopompus memoriae prodidit; bonus vero ciuis, fideque magna. Quod quum in aliis rebus declarauit, tum maxime
A. Ch. n. 370. in Amyntae Macedonis liberis tuendis. Namque Eurydice, mater Perdiccae et Philippi, cum his duobus pueris, Amynta mortuo, ad Iphicratem confu-
3 git, eiusque opibus defensa est. Vixit ad senectutem, placatis in se suorum ciuium animis. Causam capitis semel dixit, bello sociali, simul cum Timo-
4 theo, eoque iudicio est absolutus. Menesthea filium
A. Ch. n. 356. reliquit ex Thressa, Coti regis filia. Is quum interrogaretur, vtrum pluris patrem matremne faceret; matrem, inquit. Id quum omnibus mirum videretur: at, ille, merito, inquit, facio. Nam pater, quantum in se fuit, Thracem me genuit; contra ea mater Athenienſem.

XII. CHABRIAS.

ARGVMENTVM.

Cap. I. Nouo pugnandi genere celeber. II. Eius bella in Aegypto; in Cypro; classi Aegyptiae praeest. III. Domum reuocatur; propter inuidiam plerumque abest. IV. In bello sociali obcumbit, desertus a suis.

1 I. CHABRIAS, *Athenienſis.* Hic quoque in summis habitus est ducibus, resque multas memoria dignas gessit. Sed ex his elucet maxime inuentum eius in proelio, quod apud Thebas fecit, quum
2 Boeotiis subsidio venisset. Namque in eo, victoria
A. Ch. n. 377. fidente summo duce Agesilao, fugatis iam ab eo

conductitiis cateruis, reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixoque genu ſcuto, proiecta haſta impetum excipere hoſtium docuit. Id nouum Ageſilaus contuens, progredi non eſt auſus, ſuosque iam incurrentes tuba reuocauit. Hoc vsque eo totaz Graecia fama celebratum eſt, vt illo ſtatu Chabrias ſibi ſtatuam fieri voluerit, quae publice ei ab Athenienſibus in foro conſtituta eſt. Ex quo factum eſt, vt poſtea athletae ceterique artifices his ſtatibus in ſtatuis ponendis vterentur, in quibus victoriam eſſent adepti.

II. Chabrias autem multa in Europa bella admi- 1
niſtrauit, quum dux Athenienſium eſſet; in Aegypto A. Ch. n. 362.
ſua ſponte geſſit. Nam Nectanabin adiutum profectus, regnum ei conſtituit. Fecit idem Cypri, 2
ſed publice ab Athenienſibus Euagorae adiutor da- A. Ch. n. 387.
tus: neque prius inde diſceſſit, quam totam inſulam bello deuinceret; qua ex re Athenienſes magnam gloriam ſunt adepti. Interim bellum inter Aegyptios 3
et Perſas conflatum eſt. Athenienſes cum Artaxerxe A. Ch. n. 377.
ſocietatem habebant; Lacedaemonii cum Aegyptiis, a quibus magnas praedas Ageſilaus rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias, quum in re nulla Ageſilao cederet, ſua ſponte eos adiutum profectus, Aegyptiae claſſi praefuit: pedeſtribus copiis Ageſilaus.

III. Tum praefecti regis Perſiae legatos miſe- 1
runt Athenas queſtum, quod Chabrias aduerſum regem bellum gereret cum Aegyptiis. Athenienſes diem certam Chabriae praeſtituerunt, quam ante domum niſi rediſſet, capitis ſe illum damnaturos, denuntiarunt. Hoc ille nuntio Athenas rediit, neque ibi diutius eſt moratus, quam fuit neceſſe. Nouo enim libenter erat ante oculos ciuium ſuorum; quod et viuebat laute, et indulgebat ſibi liberalius, quam vt inuidiam vulgi poſſet effugere. Eſt enim 3

hoc commune vitium in magnis liberisque ciuitatibus, vt inuidia gloriae comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius: neque animo aequo pauperes alienam opulentium intuuntur fortunam. Itaque Chabrias, quoad ei licebat, plurimum aberat. Neque vero solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes fecerunt idem; quod tantum se ab inuidia putabant futuros, quantum a conspectu suorum recessissent. Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigeo. Dissimilis quidem Chares eorum et factis et moribus, sed tamen Athenis et honoratus et potens.

IV. Chabrias autem periit bello sociali tali modo. Obpugnabant Athenienses Chium. Erat in classe Chabrias priuatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat; eumque magis milites, quam qui praeerant, adspiciebant. Quae res ei maturauit mortem. Nam dum primus studet portum intrare, et gubernatorem iubet eo dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit. Quum enim eo penetrasset, ceterae non sunt secutae. Quo facto, circumfusus hostium concursu, quum fortissime pugnaret, nauis, rostro percussa, coepit sidere. Hinc refugere quum posset, si se in mare deiecisset, quod suberat classis Athenienstum, quae exciperet natantis; perire maluit, quam, armis abiectis, nauem relinquere, in qua fuerat vectus. Id ceteri facere noluerunt, qui nando in tutum peruenerunt. At ille, praestare honestam mortem existimans turpi vitae, cominus pugnans telis hostium interfectus est.

A. Ch. n. 358.

XIII. TIMOTHEVS.

ARGVMENTVM.

Cap. I. Eius virtutes et facta bellica. II. Ipsi, Lacedaemoniorum victori, statua ponitur. III. Senex, Menesitheo praetori in consilium datur. A Charete, praetore, adcusatus damnatur. IV. Filius eius Conon muros reficere cogitur. Singularis amicitiae testimonium Iasonis erga Timotheum.

I. TIMOTHEVS, *Cononis filius, Athenienſis.* Hici a patre adceptam gloriam multis auxit virtutibus. Fuit enim diſertus, inpiger, laborioſus, rei militaris peritus, neque minus ciuitatis regendae. Multas huius ſunt praeclare facta, ſed haec maxime inluſtria. Olynthios et Byzantios bello ſubegit: Samum A. Ch. n. 364. cepit, in qua obpugnanda ſuperiore bello Athenienſes mille et ducenta talenta conſumſerant. Id ille ſine vlla publica inpenſa populo reſtituit. Aduerſum Cotum bella geſſit, ab eoque mile et ducenta talenta praedae in publicum detulit. Cyzicum ob-3 ſidione liberauit: Ariobarzani ſimul cum Ageſilao auxilio profectus eſt; a quo, quum Laco pecuniam numeratam adcepiſſet, ille ciues ſuos agro atque vrbibus augeri maluit, quam id ſumere, cuius partem domum ſuam ferre poſſet. Itaque adcepit Crithoten et Seſtum.

II. Idem, claſſi praefectus, circumuehens Pelo-1 ponneſum, Laconicen populatus, claſſem eorum A. Ch. n. 376. fugauit: Corcyram ſub imperium Athenienſium redegit: ſociosque idem adiunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omnesque eas gentes, quae mare illud adiacent. Quo facto Lacedaemonii de diutina contentione deſtiterunt, et ſua ſponte Athenienſibus imperii maritimi principatum conceſſerunt, pacemque his legibus conſtituerunt, vt Athenienſes mari duces eſſent. Quae victoria tantae fuit Atticis laetitiae, vt tunc primum arae Paci publice ſint factae,

3eique Deae puluinar ſit inſtitutum. Cuius laudis vt memoria maneret, Timotheo publice ſtatuam in foro poſuerunt; qui honos huic vni ante hoc tempus contigit, vt, quum patri populus ſtatuam poſuiſſet, filio quoque daret. Sic iuxta poſita recens filii veterem patris renouauit memoriam.

1 III. Hic quum eſſet magno natu, et magiſtratus
A. Ch. gerere deſiſſet, bello Athenienſes vndique premi
a. 356. ſunt coepti. Defecerat Samus: deſcierat Hellespontus: Philippus iam tum valens [Macedo] multa moliebatur; cui obpoſitus Chares quum eſſet, non ſatis
2in eo praeſidii putabatur. Fit Meneſtheus praetor, filius Iphicratis, gener Timothei, et, vt ad bellum proficiſcatur, decernitur. Huic in conſilium dantur duo vſu ſapientiaque praeſtantes, [quorum conſilio vteretur] pater et ſocer; quod in his tanta erat auctoritas, vt magna ſpes eſſet, per eos amiſſa poſſe
3recuperari. Hi quum Samum profecti eſſent, et eodem Chares, aduentu eorum cognito, cum ſuis copiis proficiſceretur, ne quid abſente ſe geſtum videretur, adcidit, quum ad inſulam adpropinquarent, vt magna tempeſtas oriretur; quam euitare duo veteres imperatores vtile arbitrati, ſuam claſſem ſub-
4preſſerunt. At ille, temeraria vſus ratione, non ceſſit maiorum natu auctoritati, et, vt in ſua naui eſſet fortuna, quo contenderat, peruenit; eodemque vt ſequerentur, ad Timotheum et Iphicratem nuntium miſit. Hinc male re geſta, compluribus amiſſis nauibus, eodem, vnde erat profectus, ſe recepit, literasque Athenas publice miſit, ſibi procliue fuiſſe, Samum capere, niſi a Timotheo et Iphicrate deſer-
5tus eſſet. Ob eam rem in crimen vocabantur. Populus acer, ſuſpicax, mobilis, aduerſarius, inuidus etiam potentiae, domum reuocat: adcuſantur proditionis. Hoc iudicio damnatur Timotheus, lisque

eius aestimatur centum talentis. Ille, odio ingratae ciuitatis coactus, Chalcidem se contulit.

IV. Huius post mortem, quum populum iudicii sui poeniteret, mulctae nouem partes detraxit, et decem talenta Cononem, filium eius, ad muri quamdam partem reficiendam iussit dare; in quo fortunae varietas est animaduersa. Nam quos auus Conon muros ex hostium praeda patriae restituerat, eosdem nepos, cum summa ignominia familiae, ex sua re familiari reficere coactus est. Timothei autem moderatae sapientisque vitae quum pleraque possimus proferre testimonia, vno erimus contenti: quod ex eo facile coniici poterit, quam carus suis fuerit. Quum Athenis adolescentulus causam diceret, non solum amici priuatique hospites ad eum defendendum conuenerunt, sed etiam in eis Iason, tyrannus, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic, quum in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine vllo praesidio venit, tantique hospitem fecit, vt mallet, se capitis periculum adire, quam Timotheo, de fama dimicanti, deesse. Hunc aduersus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit, patriaeque sanctiora iura, quam hospitii, esse duxit. Haec extrema fuit aetas imperatorum Athenienſium, Iphicratis, Chabriae, Timothei: neque post illorum obitum quisquam dux in illa vrbe fuit dignus memoria.

XIV. DATAMES.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Inter barbarorum duces facile clarissimus. Bello contra Cadusios meretur partem Ciliciae.* II. *Thyum dynastem Paphlagoniae vium capit.* III. *Captum ad regem adducit. Copiis ad bellum Aegyptium praeficitur.* IV. *Reuocatur. Aspim Cappadocem capit.* V. *Aulicorum insidias edoctus, Cappadociam sibi et Paphlagoniam occupat.* VI. *In bello aduersus Pisidas amittit filium. Proditores et*

hoſtes Piſidas ſuperat. VII. *A filio natu maximo proditur.* VIII. *Ducem Perſarum contra ſe miſſum vincit.* IX. *Regis inſidias callide declinat.* X. *Mithridatis dolo capitur.* XI. *In conloquio per fraudem obciditur.*

1 I. Venio nunc ad fortiſſimum virum maximique conſilii omnium barbarorum, exceptis duobus Karthaginienſibus, Hamilcare et Hannibale. De quo hoc plura referemus, quod et obſcuriora ſunt eius geſta pleraque, et ea, quae proſpere ei ceſſerunt, non magnitudine copiarum, ſed conſilii, quo tunc omnes ſuperabat, adciderunt; quorum niſi ratio 3explicata fuerit, res adparere non poterunt. DATAMES, patre Camiſſare, natione Care, matre Scythiſſa natus, primum militum numero fuit apud Artaxerxem, eorum, qui regiam tuebantur. Pater eius Camiſſares, quod et manu fortis, et bello ſtrenuus, et regi multis locis fidelis erat repertus, habuit prouinciam, partem Ciliciae iuxta Cappadociam, 4quam incolunt Leucoſyri. Datames, militare munus fungens, primum, qualis eſſet, aperuit in bello, quod rex aduerſus Caduſios geſſit. Namque hic, multis milibus regiorum interfectis, magni fuit eius opera. Quo factum eſt, vt, quum in eo bello cecidiſſet Camiſſares, paterna ei traderetur prouincia.

1 II. Pari ſe virtute poſtea praebuit, quum Autophradates iuſſu regis bello perſequeretur eos, qui defecerant. Namque eius opera hoſtes, quum caſtra iam intraſſent, profligati ſunt, exercitusque reliquus conſeruatus regis eſt. Qua ex re maioribus 2rebus praeeſſe coepit. Erat eo tempore Thyus, dynaſtes Paphlagoniae, antiquo genere natus a Pylaemene illo, quem Homerus Troico bello a Patroclo 3interfectum ait. Is regi dicto audiens non erat; quam ob cauſam bello eum perſequi conſtituit, eique rei praefecit Datamen, propinquum Paphlagonis. Namque ex fratre et ſorore erant nati. Quam

ob cauſam Datames omnia primum experiri voluit, vt ſine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem quum veniſſet ſine praeſidio, quod ab amico nullas vereretur inſidias, paene interiit. Nam Thyus eum clam interficere voluit. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis. Ea, quid ageretur, reſciit, filiumque monuit. Ille fuga periculum euitauit, bellumque indixit Thyo. In quo quum ab Ariobarzane, praefecto Lydiae et Ioniae totiusque Phrygiae, deſertus eſſet, nihilo ſegnius perſeuerauit, viuumque Thyum cepit cum vxore et liberis.

III. Cuius facti ne prius fama ad regem, quam ipſe, perueniret, dedit operam. Itaque, omnibus inſciis, eo, vbi erat rex, venit: poſteroque die Thyum, hominem maximi corporis terribilique facie, quod et niger, et capillo longo, barbaque erat promiſſa, optima veſte texit, quam ſatrapae regii gerere conſueuerant: ornauitque etiam torque et armillis aureis, ceteroque regio cultu. Ipſe agreſtia duplici amiculo circumdatus hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clauam, ſiniſtra copulam, qua vinctum ante ſe Thyum agebat, vt ſi feram beſtiam captam duceret. Quem quum omnes proſpicerent propter nouitatem ornatus ignotamque formam, ob eamque rem magnus eſſet concurſus, fuit non nemo, qui adnoſceret Thyum, regique nuntiaret. Primo non adcredidit. Itaque Pharnabazum miſit exploratum: a quo vt rem geſtam comperit, ſtatim admitti iuſſit, magnopere delectatus cum facto, tum ornatu; in primis quod nobilis rex in poteſtatem inopinanti venerat. Itaque magnifice Datamen donatum ad exercitum miſit, qui tum contrahebatur, duce Pharnabazo et Tithrauſte, ad bellum Aegyptium; parique eum, atque illos, imperio eſſe iuſſit. Poſtea

vero, quam Pharnabazum rex reuocauit, illi ſumma imperii tradita eſt.

1 IV. Hic quum maximo ſtudio compararet exercitum, Aegyptumque proficiſci pararet: ſubito a rege literae ſunt ei miſſae, vt Aſpim adgrederetur, qui Cataoniam tenebat; quae gens iacet ſupra Ciliciam, confinis Cappadociae. Namque Aſpis, ſaltuoſam regionem caſtellisque munitam incolens, non ſolum imperio regis non parebat, ſed etiam finitimas regiones vexabat, et, quae regi portarentur, 2abripiebat. Datames, etſi longe aberat ab his regionibus, et a maiore re abstrahebatur, tamen re-3gis voluntati morem gerendum putauit. Itaque cum paucis, ſed viris fortibus, nauem conſcendit, exiſtimans, id quod adcidit, facilius ſe inprudentem paruâ manu obpreſſurum, quam paratum, 4quamuis magno exercitu. Hac delatus in Ciliciam, egreſſuś inde, dies nootesque iter faciens, Taurum transit, eoque, quo ſtuduerat, venit: quaerit, quibus locis ſit Aſpis: cognoſcit, haud longe abeſſe, profectumque eum venatum. Quem dum ſpeculatur, aduentus eius cauſa cognoſcitur. Piſidas cum iis, quos ſecum habebat, ad reſiſtendum Aſpis com-5parat. Id Datames vbi audiuit, arma ſumit, ſuosque ſequi iubet: ipſe equo concitato ad hoſtem vehitur. Quem procul Aſpis conſpiciens ad ſe ferentem, pertimeſcit, atque, a conatu reſiſtendi deterritus, ſeſe dedit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati.

1 V. Haec dum geruntur, Artaxerxes, reminiſcens, a quanto bello ad quam paruam rem principem ducum miſiſſet, ſe ipſe reprehendit, et nuntium ad exercitum Acen miſit, quod nondum Datamen profectum putabat, qui diceret, ne ab exercitu diſcederet. Hic, priusquam perueniret, quo erat profectus, in itinere conuenit, qui Aſpin ducebant,

Qua celeritate quum magnam beneuolentiam regis Datames conſecutus eſſet, non minorem inuidiam aulicorum excepit, qui illum vnum pluris, quam ſe omnes, fieri videbant. Quo facto cuncti ad eum obprimendum conſenſerunt. Haec Pandates, gazae cuſtos regiae, amicus Datami, perſcripta ei mittit; in quibus docet, *eum magno fore periculo, ſi quid illo imperante in Aegypto aduerſi adcidiſſet. Nam* 4 *que eam eſſe conſuetudinem regum, vt caſus adverſos hominibus tribuant, ſecundos fortunae ſuae: quo fieri, vt facile inpellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male geſtae nuntientur. Illum hoc maiore fore in discrimine, quod, quibus rex maxime obediat, eos habeat inimiciſſimos.* Talibus 5 ille literis cognitis, quum iam ad exercitum Acen veniſſet, quod non ignorabat, ea vere ſcripta, deſciſcere a rege conſtituit. Neque tamen quidquam fecit, quod fide ſua eſſet indignum. Nam Man- 6 droclem Magnetem exercitui praefecit; ipſe cum ſuis in Cappadociam discedit, coniunctamque huic Paphlagoniam obcupat, celans, qua voluntate eſſet in regem: clam cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, vrbes munitas ſuis tuendas tradit. A. Ch. n. 362.

VI. Sed haec propter hiemale tempus minus 1 proſpere procedebant. Audit, Piſidas quasdam copias aduerſus ſe parare. Filium eo Arſidaeum cum exercitu mittit. Cadit in proelio adoleſcens. Proficiſcitur eo pater, non ita cum magna manu, celans, quantum vulnus adcepiſſet; quod prius ad hoſtem peruenire cupiebat, quam de re male geſta fama ad ſuos peruenirent, ne, cognita filii morte, animi debilitarentur militum. Quo contenderat, 2 peruenit, hisque locis caſtra ponit, vt neque circuiri multitudine aduerſariorum poſſet, neque inpediri, quo minus ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Mithrobarzanes, ſocer

eius, praefectus equitum. Is, desperatis ge
rebus, ad hostes transfugit. Id Datames vt
diuit, sensit, si in turbam exisset, ab homine t
necessario se relictum, futurum, vt ceteri co
4lium sequerentur. In vulgus edit, suo iussu
throbarzanem profectum pro perfuga, quo facil
receptus interficeret hostes; quare relinqui e
non par esse, et omnes confestim sequi. Q
si animo strenuo feciſſent, futurum, vt aduers
non possent resistere, quum et intra vallum
5foris caederentur. Hac re probata, exercitum e
cit, Mithrobarzanem persequitur. Qui tant
quod ad hostes peruenerat, Datames signa inf
iubet. Pisidae, noua re commoti, in opinion
adducuntur, perfugas mala fide composito que
6ciſſe, vt recepti essent maiori calamitati. Primi
eos adoriuntur. Illi, quum, quid ageretur,
quare fieret, ignorarent, coacti sunt cum
pugnare, ad quos transierant; ab hisque sta
quos reliquerant. Quibus quum neutri parcere
7celeriter sunt conciſi. Reliquos Pisidas resisten
Datames inuadit: primo inpetu pellit, fugien
persequitur, multos interficit, castra hostium ca
8Tali consilio vno tempore et proditores percu
et hostes profligauit, et, quod ad perniciem fue
cogitatum, id ad salutem conuertit. Quo neq
acutius vllius imperatoris cogitatum, neque ce
rius factum vsquam legimus.

1 VII. Ab hoc tamen viro Scismas, maximo na
filius, desciit, ad regemque transiit, et de de
ctione patris detulit. Quo nuntio Artaxerxes co
motus, quod intelligebat, sibi cum viro forti
strenuo negotium esse, qui, quum cogitasset, face
auderet, et prius cogitare, quam conari, cō
2sueſſet; Autophradatem in Cappadociam mittit. E
ne intrare posset, saltum, in quo Ciliciae port

ſunt ſitae, Datames praeobcupare ſtuduit. Sed 3
tam ſubito copias contrahere non potuit. A qua
re depulſus, cum ea manu, quam contraxerat,
locum delegit talem, vt neque circuiretur ab hoſti-
bus, neque praeteriret aduerſarius, quin ancipiti-
bus locis premeretur; et, ſi dimicare cum eo vellet,
non multum obeſſe multitudo hoſtium ſuae pau-
citati poſſet.

VIII. Haec etſi Autophradates videbat, tamen 1
ſtatuit congredi, quam cum tantis copiis refugere,
aut tam diu vno loco ſedere. Habebat barbaro- 2
rum equitum viginti, peditum centum milia, quos
illi Cardacas adpellant; eiusdemque generis tria
funditorum: praeterea Cappadocum octo, Arme-
niorum decem, Paphlagonum quinque, Phrygum
decem, Lydorum quinque, Aſpendiorum et Piſi-
darum circiter tria, Cilicum duo, Captianorum to-
tidem, ex Graecia conductorum tria: leuis arma-
turae maximum numerum. Has aduerſus copias 3
ſpes omnis conſiſtebat Datami in ſe locique na-
tura. Namque huius partem non habebat viceſi-
mam militum. Quibus fretus conſiixit, aduerſa-
riorumque multa milia concidit, quum de ipſius
exercitu non amplius hominum mile cecidiſſet.
Quam ob cauſam poſtero die tropaeum poſuit, quo
loco pridie pugnatum erat. Hinc quum caſtra 4
mouiſſet, ſemperque inferior copiis, ſuperior omni-
bus proeliis discederet: quod numquam manum
conſereret, niſi quum aduerſarios locorum an-
guſtiis clauſiſſet; quod perito regionum callide-
que cogitanti ſaepe adcidebat; Autophradates, quum 5
bellum duci maiore regis calamitate, quam aduer-
ſariorum, videret, ad pacem amicitiamque horta-
tus eſt, vt cum rege in gratiam rediret. Quam 6
ille etſi fidam non fore putabat, tamen conditio-
nem adcepit, ſeque ad Artaxerxem legatos miſſu-

rum dixit. Sic bellum, quod rex aduerſus Datamen ſuſceperat, ſedatum. Autophradates in Phrygiam ſe recepit.

1 IX. At rex, quod inplacabile odium in Datamen ſuſceperat, poſtquam bello eum obprimi non poſſe animaduertit, inſidiis interficere ſtuduit. 2 Quas ille plerasque vitauit. Sicut quum nuntiatum eſſet, quosdam ſibi inſidiari, qui in amicorum erant numero: (de quibus, quod inimici detulerant, neque credendum, neque negligendum, putauit,) experiri voluit, verum falſumne ſibi eſſet 3 relatum. Itaque eo profectus eſt, in quo itinere futuras inſidias dixerant. Sed elegit corpore et ſtatura ſimillimum ſui, eique veſtitum ſuum dedit, atque eo loco ire, quo ipſe conſueuerat, iuſſit. Ipſe autem ornatu [veſtituque] militari inter cor- 4 poris cuſtodes iter facere coepit. At inſidiatores, poſtquam in eum locum agmen peruenit, decepti ordine atque veſtitu, in eum faciunt inpetum, qui ſubpoſitus erat. Praedixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, vt parati eſſent facere, 5 quod ipſum vidiſſent. Ipſe, vt concurrentes inſidiatores animaduertit, tela in eos coniecit. Hoc idem quum vniuerſi feciſſent, priusquam perueniret ad eum, quem adgredi volebant, confixi ceciderunt.

1 X. Hic tamen tam callidus vir extremo tempore captus eſt Mithridatis, Ariobarzanis filii, dolo. Namque is pollicitus eſt regi, ſe eum interfecturum, ſi ei rex permitteret, vt, quodcumque vellet, liceret inpune facere, fidemque de eâ re, more 2 Perſarum, dextra dediſſet. Hanc vt adcepit a rege miſſam, copias parat, et abſens amicitiam cum Datame facit: regis prouincias vexat, caſtella expugnat, magnas praedas capit: quarum partem ſuis dispertit, partem ad Datamen mittit. Pari

do complura caſtella ei tradit. Haec diu fa-3
ido perſuaſit homini, ſe infinitum aduerſus
em ſuscepiſſe bellum; quum nihilo magis, ne
m ſuſpicionem illi praeberet inſidiarum, neque
loquium eius petiuit, neque in conſpectum
ire ſtuduit. Sic abſens amicitiam gerebat, vt
beneficiis mutuis, ſed odio communi, quod
regem ſusceperant, contineri viderentur.
XI. Id quum ſatis ſe confirmaſſe arbitratus eſt, 1
iorem facit Datamen, tempus eſſe, maiores
citus parari, et bellum cum ipſo rege ſuscipi;
ie ea re, ſi ei videretur, quo loco vellet, in
loquium veniret. Probata re, conloquendi tem-
ſumitur, locusque, quo conueniretur. Huc
hridates cum vno, cui maximam habebat fidem,
aliquot dies venit, compluribusque locis ſe-
tim gladios obruit, eaque loca diligenter notat.
autem conloquendi die vtrique, locum qui
orarent, atque ipſos ſcrutarentur, mittunt.
ide ipſi ſunt congreſſi. Hic quum aliquamdiu 3
onloquio fuiſſent, et diuerſi diſceſſiſſent, iam-
procul Datames abeſſet, Mithridates, prius-
n ad ſuos perueniret, ne quam ſuſpicionem
ret, in eumdem locum reuertitur, atque ibi,
telum erat inpoſitum, reſedit, vt ſi a laſſitu-
cuperet adquieſcere; Datamenque reuocauit,
lans, ſe quiddam in conloquio eſſe oblitum.
rim telum, quod latebat, protulit, nudatum- 4
vagina veſte texit, ac Datami venienti ait, di-
ientem ſe animaduertiſſe locum quemdam, qui
in conſpectu, ad caſtra ponenda eſſe ido-
n. Quem quum digito demonſtraret, et ille 5
piceret, auerſum ferro transfixit, priusque,
n quisquam poſſet ſubcurrere, interfecit. Ita
qui multos conſilio, neminem perfidia cepe-
ſimilata captus est amicitia.

XV. EPAMINONDAS.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *De moribus Graecorum animaduerſio.* II. *Epaminondae pueritia et adoleſcentia.* III. *Eius animi virtutes.* IV. *Exemplum eius abſtinentiae.* V *Eius dicendi vis.* VI. *Exempla huius eloquentiae. Pugna ad Leuctra.* VII. *Iniuriarum inmemor exercitum inolumem domum reducit; in Peloponneſo bellum gerit.* VIII. *Adeſtus feliciter a iudicio capitis ſe liberat.* IX. *Apud Mantineam inuictus moritur.* X. *Coelibatus criminatio diluta. Horror a ciuili caede. Thebarum gloria.*

1 I. EPAMINONDAS, *Polymnis filius, Thebanus.* De hoc priusquam ſcribamus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad ſuos referant; neue ea, quae ipſis leuiora ſunt, pari modo 2 apud ceteros fuiſſe arbitrentur. Scimus enim, Muſicen noſtris moribus abeſſe a principis perſona; ſaltare vero etiam in vitiis poni. Quae omnia apud Graecos et grata, et laude digna ducuntur. 3 Quum autem exprimere imaginem conſuetudinis atque vitae velimus Epaminondae, nihil videmur debere praetermittere, quod pertineat ad eam de- 4 clarandam. Quare dicemus primum de genere eius; deinde, quibus diſciplinis, et a quibus ſit eruditus; tum de moribus ingeniique facultatibus, et ſi qua alia digna memoria erunt; poſtremo de rebus geſtis, quae a plurimis omnium anteponuntur virtutibus.

1 II. Natus igitur patre, quo diximus, honeſto genere, pauper iam a maioribus relictus. Eruditus autem ſic, vt nemo Thebanus magis. Nam et citharizare, et cantare ad chordarum ſonum doctus eſt a Dionyſio qui non minore fuit in Muſicis gloria, quam Damon, aut Lamprus, quorum peruulgata ſunt nomina; [carmina] cantare tibiis 2 ab Olympiodoro; ſaltare a Calliphrone. At philoſophiae praeceptorem habuit Lyſin Tarentinum,

Pythagoreum: cui quidem ſic fuit deditus, vt adoleſcens triſtem et ſeuerum ſenem omnibus aequalibus ſuis in familiaritate antepoſuerit, neque prius eum a ſe dimiſerit, quam in doctrinis tanto anteceſſerit condiſcipulos, vt facile intelligi poſſet, pari modo ſuperaturum omnes in ceteris artibus. Atque[3] haec ad noſtram conſuetudinem ſunt leuia, et potius contemnenda; at in Graecia, vtique olim, magnae laudi erant. Poſtquam ephebus factus eſt,[4] et palaeſtrae dare operam coepit, non tam magnitudini virium ſeruiuit, quam velocitati. Illam enim ad athletarum vſum, hanc ad belli exiſtimabat vtilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimum[5] currendo et luctando ad eum finem, quoad ſtans complecti poſſet atque contendere. In armis plurimum ſtudii conſumebat.

III. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam[1] animi bona adceſſerant. Erat enim modeſtus, prudens, grauis, temporibus ſapienter vtens, peritus belli, fortis manu, animo maximo: adeo veritatis diligens, vt ne ioco quidem mentiretur. Idem con-[2] tinens, clemens, patiensque admirandum in modum: non ſolum populi, ſed etiam amicorum ferens iniurias: in primisque commiſſa celans; quod interdum non minus prodeſt, quam diſerte dicere. Studioſus audiendi; ex hoc enim facillime diſci ar-[3] bitrabatur. Itaque quum in circulum veniſſet, in quo aut de re publica disputaretur, aut de philoſophia ſermo haberetur, numquam inde prius diſceſſit, quam ad finem ſermo eſſet adductus. Paupertatem[4] adeo facile perpeſſus eſt, vt de re publica nihil, praeter gloriam, ceperit. Amicorum in ſe tuendo carnit facultatibus. Fide ad alios ſubleuandos ſaepe ſic vſus eſt, vt poſſit iudicari, omnia ei cum amicis fuiſſe communia. Nam quum aut ciuium ſuorum[5] aliquis ab hoſtibus eſſet captus, aut virgo amici nu-

bilis propter paupertatem conlocari non poſſet, amicorum concilium habebat, et, quantum quisque daret, pro cuiusque facultatibus imperabat. Eamque ſummam quum fecerat, priusquam adciperet pecuniam, adducebat eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant, eique vt ipſi numerarent, faciebat; vt ille, ad quem ea res perueniebat, ſciret, quantum cuique deberet.

IV. Tentata autem eius eſt abstinentia a Diomedonte Cyziceno. Namque is, rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecunia conrumpendum ſusceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, et Micythum adoleſcentulum quinque talentis ad ſuam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam conuenit, et cauſam aduentus Diomedontis oſtendit. At ille Diomedonte coram: *Nihil*, inquit, *opus pecunia eſt. Nam ſi ea rex vult, quae Thebanis ſint vtilia, gratis facere ſum paratus: ſin autem contraria, non habet auri atque argenti ſatis. Namque orbis terrarum diuitias adcipere nolo pro patriae caritate. Te, qui me incognitum tentaſti, tuique ſimilem exiſtimaſti, non miror; tibique ignoſco. Sed egredere propere, ne alios conrumpas, quum me non potueris. Tu, Micythe, argentum huic redde: niſi id confeſtim facis, ego te tradam magiſtratui.* Hunc Diomedon quum rogaret, *vt tuto exire, ſuaque, quae adtuliſſet, liceret efferre: Illud*, inquit, *faciam; neque tua cauſa, ſed mea; ne, ſi tibi ſit pecunia ademta, aliquis dicat, id ad me ereptum peruenisse, quod delatum adcipere noluiſſem.* A quo quum quaeſiſſet, *quo ſe deduci vellet*, et ille, *Athenas*, dixiſſet; praeſidium dedit, vt eo tuto peruenire. Neque vero id ſatis habuit, ſed etiam, vt inuiolatus in nauem adſcenderet, per Chabriam Athenienſem, de quo ſupra mentionem fecimus,

cit. Abstinentiae erit hoc satis testimonium. Plu- 6
a quidem proferre possemus, sed modus adhi-
dus est; quoniam vno hoc volumine vitas excel-
tium virorum concludere constituimus; quorum
ratim multis milibus versuum complures scrip-
s ante nos explicarunt.

V. Fuit et disertus, vt nemo Thebanus ei par 1
t eloquentia: neque minus concinnus in breui-
respondendi, quam in perpetua oratione orna-
Habuit obtrectatorem Meneclidam quemdam, 2
idem Thebis, et aduersarium in administranda
ublica, satis exercitatum in dicendo, vt Theba-
n scilicet. Namque illi genti plus inest virium,
m ingenii. Is, quod in re militari florere Epa- 3
nondam videbat, hortari solebat Thebanos, vt
em bello anteferrent, ne illius imperatoris opera
deraretur. Huic ille: *Callis*, inquit, *verbo ci-*
tuos, quod hos a bello auocas: otii enim nomine
itutem concilias: nam paritur pax bello. Itaque 4
ea diutina volunt frui, bello exercitati esse de-
. Quare si principes Graeciae esse vultis, castris
vobis vtendum, non palaestra. Idem ille Mene- 5
as quum huic obiiceret, *quod liberos non habe-*
neque vxorem duxisset; maximeque insolen-
i, quod sibi Agamemnonis belli gloriam videre-
conscatus; at ille: *Desine*, inquit, *Meneclida,*
xore mihi exprobrare: nam nullius in ista re mi-
vti consilio volo. Habebat enim Meneclidas fu-
ionem adulterii. *Quod autem me Agamemno-* 6
aemulari putas, falleris. Namque ille cum vni-
a Graecia vix decem annis vnam cepit vrbem:
contra ex vna vrbe nostra, dieque vno, totam
eciam, Lacedaemoniis fugatis, liberaui.

VI. Idem quum in conuentum veniisset Arcadum, 1
ns, vt societatem cum Thebanis et Argiuis fa-
nt, contraque Callistratus, Athenienſium lega-

tus, qui eloquentia omnes eo praeſtabat tempore, poſtularet, vt potiùs amicitiam ſequerentur Atticorum; et in oratione ſua multa inuectus eſſet in Thebanos et Argiuos, in eisque hoc poſuiſſet: 2*Animaduertere debere Arcadas, quales vtraque ciuitas ciues procreaſſet, ex quibus de ceteris poſſent iudicare: Argiuos enim fuiſſe Oreſtem et Alcmaeonem, matricidas: Thebis Oedipum natum, qui, quum patrem ſuum interfeciſſet, ex matre liberos procreaſſet.* 3Hic in reſpondendo Epaminondas quum de ceteris peroraſſet, poſtquam ad illa duo obprobria peruenit: *Admirari ſe*, dixit, *ſtultitiam rhetoris Attici, qui non animaduerterit, innocentes illos natos, domi ſcelere admiſſo, quum patria eſſent expulſi, receptos* 4*eſſe ab Athenienſibus.* Sed maxime eius eloquentia eluxit Spartae, legati ante pugnam Leuctricam; quo quum omnium ſociorum conueniſſent legati, coram frequentiſſimo legationum conuentu, ſic Lacedae-
A. Ch. moniorum tyrannidem coarguit, vt non minus illa
n. 371. oratione opes eorum concuſſerit, quam Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, quod poſt adparuit, vt auxilio ſociorum Lacedaemonii priuarentur.

1 VII. Fuiſſe patientem ſuorumque iniurias ferentem ciuium, quod ſe patriae iraſci nefas eſſe duceret, haec ſunt teſtimonia. Quum eum propter inuidiam ciues praeficere exercitui noluiſſent, duxque eſſet delectus belli inperitus, cuius errore eo eſſet deducta illa multitudo militum, vt omnes de ſalute pertimeſcerent, quod locorum anguſtiis clauſi ab hoſtibus obſidebantur: deſiderari coepta 2eſt Epaminondae diligentia. Erat enim ibi priuatus numero militis. A quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliae, et exercitum, obſidione liberatum, domum reduxit incolumem. 3Neque vero hoc ſemel fecit, ſed ſaepius. Maxime
A. Ch. autem fuit inluſtre, quum in Peloponneſum exer-
n. 366.

itum duxiſſet aduerſus Lacedaemonios, haberetque onlegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir ortis ac ſtrenuus. Hi cum criminibus aduerſario- um omnes in inuidiam veniſſent, ob eamque rem mperium his eſſet abrogatum, atque in eorum lo- um alii praetores ſubceſſiſſent; Epaminondas po-4 ulíſcito non paruit, idemque vt facerent, perſuaſit onlegis, et bellum, quod ſusceperat, geſſit. Nam- ne animaduertebat, niſi id feciſſet, totum exer- tum propter praetorum inprudentiam inſcien- amque belli periturum. Lex erat Thebis, quae5 iorte mulctabat, ſi quis imperium diutius reti- uiſſet, quam lege praefinitum foret. Hanc Epa- minondas quum rei publicae conſernandae cauſa atam videret, ad perniciem ciuitatis conferre no- uit; et quatuor menſibus diutius, quam populus iſſerat, geſſit imperium.

VIII. Poſtquam domum reditum eſt, conlegaei us hoc crimine adcuſabantur; quibus ille permiſit, mnem vt cauſam in ſe transferrent, ſuaque opera ictum contenderent, vt legi non obedirent. Qua efenſione illis periculo liberatis, nemo Epaminon- am reſponſurum putabat; quod, quid diceret, non aberet. At ille in iudicium venit, nihil eorum egauit, quae aduerſarii crimini dabant, omniaque, uae conlegae dixerant, confeſſus eſt; neque recu- uit, quo minus legis poenam ſubiret: ſed vnum iis petiuit, vt in periculo ſuo inſcriberent: *Epa-3 inondas a Thebanis morte mulctatus eſt, quod eos egit apud Leuctra ſuperare Lacedaemonios, quos* A. Ch. *nte ſe imperatorem nemo Boeotiorum auſus fuit ad-* n. 371. *icere in acie: quodque vno proelio non ſolum The-4 is ab interitu retraxit, ſed etiam vniuerſam Grae- am in libertatem vindicauit, eoque res vtrorumque erduxit, vt Thebani Spartam obpugnarent, Lace- aemonii ſatis haberent, ſi ſalui eſſe poſſent: neque5*

prius bellare deſtitit, quam, Meſſene conſtituta, vrbem eorum obſidione clauſit. Haec quum dixiſſet, riſus omnium cum hilaritate coortus eſt, neque quisquam iudex auſus eſt, de eo ferre ſubfragium. Sic a iudicio capitis maxima diſceſſit gloria.

1 IX. Hic extremo tempore imperator apud Mantineam, quum acie inſtructa audacius inſtaret hoſtibus, cognitus a Lacedaemoniis, quod in vnius pernicie patriae ſitam putabant ſalutem, vniuerſi in vnum impetum fecerunt, neque prius abſceſſerunt, quam, magna caede facta, multisque obciſis, fortiſſime ipſum Epaminondam pugnantem, ſparo emi-
2nus percuſſum, concidere viderunt. Huius caſu aliquantum retardati ſunt Boeotii; neque tamen prius pugna exceſſerunt, quam repugnantes profli-
3garunt. At Epaminondas quum animaduerteret, mortiferum ſe vulnus adcepiſſe, ſimulque, ſi ferrum, quod ex haſtili in corpore remanſerat, extraxiſſet, animam ſtatim emiſſurum, vsque eo retinuit, quoad renuntiatum eſt, viciſſe Boeotios.
4Id poſtquam audiuit; *ſatis*, inquit, *vixi; inuictus enim morior.* Tum ferro extracto, confeſtim exanimatus eſt.

A. C. n. 363.

1 X. Hic vxorem numquam duxit. In quo quum reprehenderetur, quod liberos non relinqueret, a Pelopida, qui filium habebat infamem, *maleque eum in eo patriae conſulere* diceret: *vide*, inquit, *ne tu peius conſulas, qui talem ex te natum relictu-*
2*rus ſis. Neque vero ſtirps mihi poteſt deeſſe. Namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi ſuperſtes, ſed etiam immortalis ſit*
3*neceſſe eſt.* Quo tempore, duce Pelopida, exſules Thebas obcuparunt, et praeſidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt: Epaminondas, quam diu facta eſt caedes ciuium, domo ſe tenuit; quod neque malos defendere volebat, neque inpugnare,

ne manus ſuorum ſanguine cruentaret. Namque omnem ciuilem victoriam funeſtam putabat. Idem, poſtquam ad Cadmeam pugnare cum Lacedaemoniis coepit, in primis ſtetit. Huius de virtutibus vitaque ſatis erit dictum, ſi hoc vnum adiunxero, quod nemo eat inficias, Thebas et ante Epaminondam natum, et poſt eiusdem interitum, perpetuo alieno paruiſſe imperio; contra ea, quam diu ille praefuerit rei publicae, caput fuiſſe totius Graeciae. Ex quo intelligi poteſt, vnum hominem pluris, quam ciuitatem fuiſſe.

XVI. PELOPIDAS.

ARGVMENTVM.

Cap. I. In exſilium eiicitur. II. Cum duodecim adoleſcentibus idem Thebas reuertitur. III. Interfectis tyrannis, libertatem patriae reſtituit. IV. Reliquae eius expeditiones cum Epaminonda. V. Proelio aduerſus Alexandrum Pheraeum cadit.

I. PELOPIDAS, *Thebanus*, magis hiſtoricis, quam vulgo notus. Cuius de virtutibus dubito, quemadmodum exponam, quod vereor, ne, ſi res explicare incipiam, non vitam eius enarrare, ſed hiſtoriam videar ſcribere: ſi tantummodo ſummas adtigero, ne rudibus literarum Graecarum minus lucide adpareat, quantus fuerit ille vir. Itaque vtrique rei obcurram, quantum potero; et medebor cum ſatietati, tum ignorantiae lectorum. Phoebidas Lacedaemonius, quum exercitum Olynthum duceret, iterque per Thebas faceret, arcem oppidi, quae Cadmea nominatur, obcupauit inpulſu perpaucorum Thebanorum, qui, aduerſariae factioni quo facilius reſiſterent, Laconum rebus ſtudebant: idque ſuo priuato, non publico, fecit conſilio. Quo facto eum Lacedaemonii ab exercitu remouerunt, pecuniaque mulctarunt; neque eo magis arcem The- A. Ch. n. 382

banis reddiderunt, quod, susceptis inimicitiis, satius ducebant, eos obsideri, quam liberari. Nam post Peloponnesium bellum Athenasque deuictas, cum Thebanis sibi rem esse, existimabant, et eos
4esse solos, qui aduersus resistere auderent. Hac mente amicis suis summas potestates dederant, alteriusque factionis principes partim interfecerant, alios in exsilium eiecerant: in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus patria carebat.

1 II. Hi omnes fere Athenas se contulerant, non quo sequerentur otium, sed vt, quemque ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare
2niterentur. Itaque quum tempus est visum rei gerendae, communiter cum his, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt, ad inimicos obprimendos ciuitatemque liberandam, eum, quo maximi
3magistratus simul consueuerant epulari. Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae; sed profecto numquam ab tam tenui initio tantae opes sunt profligatae. Nam duodecim adolescentuli coierunt ex his, qui exsilio erant mulctati, quum omnino non essent amplius centum, qui tanto se obferrent periculo. Qua paucitate perculsa est Lacedaemonio-
4rum potentia. Hi enim non magis aduersariorum factioni, quam Spartanis, eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Graeciae; quorum imperii maiestas, neque ita multo post, Leuctrica
5pugna, ab hoc initio perculsa, concidit. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, quum Athenis interdiu exissent, vt, vesperascente caelo, Thebas possent peruenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui quum tempore ipso, quo statuerant, peruenissent, domum Charonis deuenerunt, a quo et tempus et dies erat datus.

III. Hoc loco libet interponere, etsi seiunctum ab re proposita est, nimia fiducia quantae calamitati soleat esse. Nam magistratuum Thebanorum statim ad aures peruenit, exsules in vrbem deuenisse. Id illi, vino epulisque dediti, vsque eo despexerunt, vt ne quaerere quidem de tanta re laborarint. Adcessit etiam, quod magis aperiret eorum dementiam. Adlata est enim epistola Athenis ab Archia, hierophante, Archiae, qui tunc maximum magistratum Thebis obtinebat; in qua omnia de profectione exsulum perscripta erant. Quae quum iam adcubanti in conuiuio esset data, sicut erat signata, sub puluinum subiiciens: *in crastinum*, inquit, *differo res seueras.* At illi omnes, quum iam nox processisset, vinolenti ab exsulibus, duce Pelopida, sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemque vocato, non solum, qui in vrbe erant, sed etiam vndique ex agris concurrerunt, praesidium Lacedaemoniorum ex arce A. Ch. n. 380. pepulerunt, patriam obsidione liberauerunt, auctores Cadmeae obcupandae partim obciderunt, partim in exsilium eiecerunt.

IV. Hoc tam turbido tempore, sicut supra docuimus, Epaminondas, quoad cum ciuibus dimicatum est, domi quietus fuit. Itaque haec liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidae: ceterae fere omnes communes cum Epaminonda. Namque Leuctrica pugna, imperatore Epaminonda, hic fuit A. Ch. n. 371. dux delectae manus, quae prima phalangem prostravit Laconum. Omnibus praeterea periculis adfuit: sicut Spartam quum obpugnauit, alterum tenuit cornu; quoque Messene celerius restitueretur, legatus in Persas est profectus. Denique haec fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita vt proxima esset Epaminondae.

1 V. Conflictatus autem est cum aduersa fortuna. Nam et initio, sicut ostendimus, exsul patria caruit: et quum Thessaliam in potestatem Thebanorum reuerteret redigere, legationisque iure satis tectum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset; a tyranno Alexandro Pheraeo, simul cum Ismenia comprehensus, in vincula coniectus 2est. Hunc Epaminondas recuperauit, bello perse-
A Ch. n. 368. quens Alexandrum. Post id factum numquam is
A. Ch. n. 367. animo placari potuit in eum, a quo erat violatus. Itaque persuasit Thebanis, vt subsidio Thessaliae proficiscerentur, tyrannosque eius expellerent. 3Cuius belli quum ei summa esset data, eoque cum exercitu profectus esset, non dubitauit, simul ac 4conspexit hostem, confligere. In quo proelio Alexandrum vt animaduertit, incensus ira, equum in eum concitauit, proculque degressus a suis, con-
A. Ch. n. 364. iecto telorum confossus cecidit. Atque hoc secunda victoria adcidit: nam iam inclinatae erant tyrannorum copiae. Quo facto omnes Thessaliae ciuitates interfectum Pelopidam coronis aureis et statuis aeneis, liberosque eius multo agro donarunt.

XVII. AGESILAVS.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Cum fratris filio de honore regni contendit.* II. *Pactas cum Tissapherne inducias religiose seruat.* III. *Phrygiam depopulatur. Ephesi hiemat, et militem exercet. Alio se iturum simulat, semper in Asia victor.* IV. *Domum reuocatur. Boeotios vincit, iisque parcit.* V. *Bello circa Corinthum victor, miseratur caedem Graecorum.* VI. *Ad pugnam Leuctricam ire recusat. Spartam seruat singulari commento.* VII. *Patriam subleuat pecunia.* VIII. *Eius corporis et vitae ratio. In portu Menelai morbo decedit.*

1 I. AGESILAVS, *Lacedaemonius*, cum a ceteris scriptoribus, tum eximie a Xenophonte Socratico

conlaudatus est. Eo enim vsus est familiarissime. Hic primum de regno cum Leotychide, fratris filio, habuit contentionem. Mos est enim a maioribus Lacedaemoniis traditus, vt duos haberent semper reges, nomine magis, quam imperio, ex duabus familiis Proclis et Eurysthenis; qui principes ex progenie Herculis Spartae reges fuerunt. Horum ex altera in alterius familiae locum fieri non licebat. Itaque vtraque suum retinebat ordinem. Primum ratio habebatur, qui maximus natu esset ex liberis eius, qui regnans decessisset. Sin is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur, qui proximus esset propinquitate. Mortuus erat Agis rex, frater Agesilai: filium reliquerat Leotychidem, quem ille natum non agnorat, eumdem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao, suo patruo, contendit: neque id, quod petiuit, consecutus est. Nam Lysandro subfragante, homine, vt ostendimus supra, factioso et his temporibus potente, Agesilaus antelatus est.

II. Hic, simul atque imperii potitus est, persuasit Lacedaemoniis, vt exercitum emitterent in Asiam bellumque Regi facerent, docens, satius esse in Asia quam in Europa dimicari. Namque fama exierat, Artaxerxem comparare classem pedestresque exercitus, quos in Graeciam mitteret. Data potestate, tanta celeritate vsus est, vt prius in Asiam cum copiis peruenerit, quam regii satrapae eum scirent profectum. Quo factum est, vt omnes inparatos inprudentesque obfenderet. Id vt cognouit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter praefectos habebat regios, inducias a Lacone petiuit, similans, se dare operam, vt Lacedaemoniis cum Rege conueniret; re autem vera, ad copias comparandas: easque inpetrauit trimestres. Iurauit autem vterque, se sine dolo inducias conseruatu- A. Ch. n. 396.

rum. In qua pactione ſumma fide manſit Ageſilaus: contra ea Tiſſaphernes nihil aliud, quam bellum, comparauit. Id etſi ſentiebat Laco, tamen ius iurandum ſeruabat, multumque in eo ſe conſequi dicebat, quod Tiſſaphernes periurio ſuo et homines ſuis rebus abalienaret, et deos ſibi iratos redderet: ſe autem ſeruata religione confirmare exercitum; quum animaduerteret, deorum numen facere ſecum, hominesque ſibi conciliari amiciores, quod his ſtudere conſueſſent, quos conſeruare fidem viderent.

III. Poſtquam induciarum praeteriit dies, barbarus non dubitans, quod ipſius erant plurima domicilia in Caria, et ea regio his temporibus multo putabatur locupletiſſima, eo potiſſimum hoſtes impetum facturos, omnes ſuas copias eo contraxerat. At Ageſilaus in Phrygiam ſe conuertit, eamque prius depopulatus eſt, quam Tiſſaphernes vsquam ſe moueret. Magna praeda militibus locupletatis, Epheſum hiematum exercitum reduxit, atque ibi officinis armorum inſtitutis, magna induſtria bellum adparauit. Et quo ſtudioſius armarentur inſigniusque ornarentur, praemia propoſuit, quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuiſſet induſtria. Fecit idem in exercitationum generibus, vt, qui ceteris praeſtitiſſent, eos magnis adficeret muneribus. His igitur rebus effecit, vt et ornatiſſimum et exercitatiſſimum haberet exercitum. Huic quum tempus eſſet viſum, copias extrahere ex hibernaculis; vidit, ſi, quo eſſet iter facturus, palam pronuntiaſſet, hoſtes non credituros, aliasque regiones praeſidiis obcupaturos, nec dubitaturos, aliud eſſe facturum, ac pronuntiaſſet. Itaque quum ille Sardes iturum ſe dixiſſet, Tiſſaphernes eamdem Cariam defendendam putauit. In quo quum eum opinio fefelliſſet, victumque ſe vidiſſet conſilio;

fero ſuis praeſidio profectus eſt. Nam quum illo veniſſet, iam Ageſilaus, multis locis expugnatis, magna erat praeda potitus. Laco autem, quum 6 videret hoſtes equitatu ſuperare, numquam in campo ſui fecit poteſtatem, et his locis manum conſeruit, quibus plus pedeſtres copiae valerent. Pepulit ergo, quotiescumque congreſſus eſt, multo maiores adverſariorum copias, et ſic in Aſia verſatus eſt, vt omnium opinione victor duceretur.

IV. Hic quum iam animo meditaretur, proficiſci in Perſas, et ipſum Regem adoriri; nuntius ei domo venit ephorum miſſu, bellum Athenienſes et Boeotios indixiſſe Lacedaemoniis: quare venire ne dubitaret. In hoc non minus eius pietas ſuſpiciendae eſt, quam virtus bellica: qui, quum victori praeeſſet exercitui, maximamque haberet fiduciam regni Perſarum potiundi, tanta modeſtia dicto audiens fuit iuſſis abſentium magiſtratuum, vt ſi priuatus in comitio eſſet Spartae. Cuius exemplum vtinam 3 imperatores noſtri ſequi voluiſſent! Sed illuc redeamus. Ageſilaus opulentiſſimo regno praepoſuit bonam exiſtimationem, multoque glorioſius duxit, ſi inſtitutis patriae paruiſſet, quam ſi bello ſuperaſſet Aſiam. Hac igitur mente Hellespontum co- 4 pias traiecit, tantaque vſus eſt celeritate, vt, quod A. Ch. iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transie- n. 395. rit triginta diebus. Quum iam haud ita longe ab- 5 eſſet a Peloponneſo, obſiſtere ei conati ſunt Athenienſes et Boeotii, ceterique eorum ſocii, apud Coroneam: quos omnes graui proelio vicit. Huius 6 victoriae vel maxima fuit laus, quod, quum plerique ex fuga ſe in templum Mineruae coniecissent, quaerereturque ab eo, quid his fieri vellet; etſi aliquot vulnera adceperat eo proelio, et iratus videbatur omnibus, qui aduerſus arma tulerant, tamen intetulit irae religionem, et eos vetuit violari.

7Neque vero hoc solum in Graecia fecit, vt templa deorum sancta haberet, sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra arasque conserua-
8vit. Itaque praedicabat, mirari se, non sacrilegorum numero haberi, qui subplicibus eorum nocuissent; aut non grauioribus poenis adfici, qui religionem minuerent, quam qui fana spoliarent.

1 V. Post hoc proelium conlatum est omne bellum, circa Corinthum, ideoque *Corinthium* est adpellatum.
2Hic quum vna pugna decem milia hostium, Age-
A. Ch. silao duce, cecidissent, eoque facto opes aduersa-
n. 391. riorum debilitate viderentur; tantum abfuit ab insolentia gloriae, vt commiseratus sit fortunam Graeciae, quod tam multi a se victi vitio aduersariorum concidissent: namque illa multitudine, si sana mens esset Graeciae, subplicium Persas dare potuisse.
3Idem quum aduersarios intra moenia compulisset, et, vt Corinthum obpugnaret, multi hortarentur, negauit, id suae virtuti conuenire. Se enim eum esse dixit, qui ad officium peccantes redire cogeret, non qui vrbes nobilissimas expugnaret Graeciae.
4Nam si, inquit, eos exstinguere voluerimus, qui nobiscum aduersus barbaros steterunt, nosmet ipsi nos expugnauerimus, illis quiescentibus; quo facto, sine negotio, quum voluerint, nos obpriment.

1 VI. Interim adcidit illa calamitas apud Leuctra
A. Ch. Lacedaemoniis; quo ne proficisceretur, quum a
n. 371. plerisque ad exeundum premeretur, vt si de exitu diuinaret, exire noluit. Idem, quum Epaminondas Spartam obpugnaret, essetque sine muris oppidum, talem se imperatorem praebuit, vt eo tempore omnibus adparuerit, nisi ille fuisset, Spartam
2futuram non fuisse. In quo quidem discrimine celeritas eius consilii saluti fuit vniuersis. Nam quum quidam adolescentuli, hostium aduentu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent, et locum extra

vrbem editum cepiſſent, Ageſilaus, qui perniciosiſſimum fore videret, ſi animaduerſum eſſet, quemquam ad hoſtes transfugere conari, cum ſuis eo venit, atque, vt ſi bono animo feciſſent, laudauit conſilium eorum, quod eum locum obcupaſſent, et ſe id quoque fieri debere animaduertiſſe. Sic adoleſcentulos, ſimilata laudatione, recuperauit, et, adiunctis de ſuis comitibus, locum tutum reliquit. Namque illi, aucto numero eorum, qui expertes erant conſilii, commouere ſe non ſunt auſi, eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quae cogitarant.

VII. Sine dubio poſt Leuctricam pugnam Lacedaemonii ſe numquam refecerunt, neque priſtinum imperium recuperarunt: quum interim Ageſilaus non deſtitit, quibuscumque rebus poſſet, patriam iuuare. Nam quum praecipue Laecdaemonii indigerent pecunia, ille omnibus, qui a Rege defecerant, praeſidio fuit; a quibus magna donatus pecunia, patriam ſubleuauit. Atque in hoc illud in primis fuit admirabile. Quum maxima munera ei ab regibus et dynaſtis ciuitatibusque conferrentur, nihil vmquam [in] domum ſuam contulit, nihil de victu, nihil de veſtitu Laconum mutauit. Domo eadem fuit contentus, qua Euryſthenes, progenitor maiorum ſuorum, fuerat vſus; quam qui intrarat, nullum ſignum libidinis, nullum luxuriae videre poterat; contra plurima patientiae atque abstinentiae. Sic enim erat inſtructa, vt nulla in re differret a cuiusuis inopis atque priuati.

VIII. Atque hic tantus vir, vt naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, ſic maleficam nactus eſt in corpore. Nam et ſtatura fuit humili, et corpore exiguo, et claudus altero pede. Quae res etiam nonnullam adferebat deformitatem; atque ignoti, faciem eius quum intuerentur, contemnebant; qui autem virtutes nouerant,

2non poterant admirari ſatis. Quod ei vſu venit, quum annorum octoginta ſubſidio Tacho in Aegyptum iſſet, et in acta cum ſuis adcubuiſſet, ſine vllo tecto; ſtratumque haberet tale, vt terra tecta eſſet ſtramentis, neque huc amplius, quam pellis eſſet iniecta; eodemque comites omnes adcubuiſſent, veſtitu humili atque obſoleto, vt eorum ornatus non modo in his regem neminem ſignificaret, ſed 3hominis non beatiſſimi ſuſpicionem praeberet. Huius de aduentu fama quum ad regios eſſet perlata, celeriter munera eo cuiusque generis ſunt adlata. His, quaerentibus Ageſilaum, vix fides facta eſt, 4vnum eſſe ex his, qui tum adcubabant. Qui quum regis verbis, quae adtulerant, dediſſent, ille praeter vitulina et huiusmodi genera opſonii, quae praeſens tempus deſiderabat, nihil adcepit; vnguenta, coronas, ſecundamque menſam ſeruis diſpertiit; 5cetera referri iuſſit. Quo facto eum barbari magis etiam contemſerunt, quod eum ignorantia bonarum 6rerum illa potiſſimum ſumſiſſe arbitrabantur. Hic quum ex Aegypto reuerteretur, donatus a rege Nectanabide ducentis viginti talentis, quae ille mu-
A. Ch. n. 362. neri populo ſuo daret, veniſſetque in portum, qui Menelai vocatur, iacens inter Cyrenas et Aegyptum, 7in morbum inplicitus deceſſit. Ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre poſſent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.

XVIII. EVMENES.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Eius officia apud reges Macedonum.* II. *Cappadociam ſortitur prouinciam. Carus Perdiccae eſt et fidus.* III. *A Perdicca obpoſitus Europaeis aduerſariis, deuiis itineribus milites ſuos fallit, vt, contra quos ducerentur, reſciſcere non poſſent.* IV. *Vincit Craterum et Neoptolemum.* V. *Abſens capitis damnatur. Obſeſſus*

in Caſtello Nora callide ſe ſuosque liberat. VI. *Olympiadi libertisque Alexandri bene conſulit.* V. *Bellum parat aduerſus Antigonum nomine Alexandri.* VII. *Antigoni victor, cogitur a militibus, copias hiematum diuidere. Antigonus in hibernaculis hoſtem vult aggredi.* IX. *Conſilio callido Antigoni refrenat impetum.* X. *Victor, Antigono victo, a ſuis traditur.* XI. *Inpatiens ſubplicium exoſculat.* XII. *Fame ſaturatus, iugulatur a cuſtodibus.* XIII. *Exſtincto Eumene Praefecti vſurpant nomen regis.*

I. EVMENES *Cardianus.* Huius ſi virtuti par data eſſet fortuna, non ille quidem maior, ſed multo inluſtrior, atque etiam honoratior; quod magnos homines virtute metimur, non fortuna. Nam quum aetas eius incidiſſet in ea tempora, quibus Macedones florerent, multum ei detraxit inter hos viuenti, quod alienae erat ciuitatis; neque aliud huic defuit, quam generoſa ſtirps. Etſi illeg domeſtico ſummo genere erat; tamen Macedones eum ſibi aliquando anteponi indigne ferebant: neque tamen non patiebantur. Vincebat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate et celeritate ingenii. Hic peradoleſcentulus ad amicitiam adcesſit Philippi, Amyntae filii, breuique tempore in intimam peruenit familiaritatem. Fulgebat enim iam in adoleſcentulo indoles virtutis. Itaque eum habuit ad manum ſcribae loco; quod multo apud Graios honorificentius eſt, quam apud Romanos. Nam apud nos, re vera ſicut ſunt, mercenarii ſcribae exiſtimantur: at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, niſi honeſto loco, et fide et induſtria cognita; quod neceſſe eſt, omnium conſiliorum eum eſſe participem. Hunc locum tenuit amicitiae apud Philippum annos ſeptem. Illo interfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Nouiſſimo tempore praefuit etiam alterae equitum alae, quae Hetaerice adpellabatur.

Vtrique autem in consilio semper adfuit, et omnium rerum habitus est particeps.

1 II. Alexandro Babylone mortuo, quum regna
A. Ch. singulis familiaribus dispartirentur, et summa re-
n. 324. rum tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccae; ex quo omnes coniecerant, eum regnum ei commendasse, quoad liberi eius in suam tutelam peruenissent: (aberant enim Craterus et Antipater, qui antecedere hunc videbantur: mortuus erat Hephaestio, quem vnum Alexander, quod facile intelligi posset, plurimi fecerat) hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, siue potius dicta. Nam tunc in hostium
3erat potestate. Hunc sibi Perdiccas adiunxerat magno studio, quod in homine fidem et industriam magnam videbat; non dubitans, si eum pellexisset, magno vsui fore sibi in his rebus, quas adparabat. Cogitabat enim, quod fere omnes in magnis imperiis concupiscunt, omnium partes conripere atque
4complecti. Neque vero hoc ille solus fecit, sed ceteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici. Primus Leonnatus Macedoniam praeobcupare festinauerat. Is multis magnis pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, vt Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. Quum perducere eum non posset, interficere conatus est; et fecisset, nisi ille clam noctu ex praesidiis eius effugisset.

1 III. Interim conflata sunt illa bella, quae ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnesque concurrerunt ad Perdiccam obprimendum. Quem etsi infirmum videbat, quod vnus omnibus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit, neque salutis, quam fidei, fuit cupidior.
2Praefecerat eum Perdiccas ei parti Asiae, quae inter Taurum montem iacet atque Hellespontum, et illum vnum obposuerat Europaeis aduersariis. Ipse

Aegyptum obpugnatum aduerſus Ptolemaeum erat profectus. Eumenes quum neque magnas copias, 3 neque firmas haberet, quod inexercitatae, et non multo ante erant contractae: aduentare autem dicebantur Hellespontumque transiſſe Antipater et Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri cum claritate, tum vſu belli praeſtantes: (Macedones vero milites ea tunc erant fama, qua nunc Romani feruntur: etenim ſemper habiti ſunt fortiſſimi, qui ſummam imperii potirentur:) Eumenes intelligebat, ſi copiae ſuae cognoſſent, aduerſus quos ducerentur, non modo non ituras, ſed ſimul cum nuntio dilabſuras. Itaque hoc eius fuit prudentiſſimum 4 conſilium, vt deuiis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non poſſent; et his perſuaderet, ſe contra quosdam barbaros proficiſci. Itaque te- 5 nuit hoc propoſitum, et prius in aciem exercitum eduxit proeliumque commiſit, quam milites ſui ſcirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum praeobcupatione, vt equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior.

IV. Quorum acerrimo concurſu quum magnam 1 partem diei eſſet pugnatum, cadit Craterus dux et A. Ch. Neoptolemus, qui ſecundum locum imperii tenebat. n. 321. Cum hoc concurrit ipſe Eumenes. Qui quum inter 2 ſe complexi in terram ex equis decidiſſent, vt facile intelligi poſſet, inimica mente contendiſſe, animoque magis etiam pugnaſſe, quam corpore, non prius distracti ſunt, quam alterum anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur, neque eo magis ex proelio exceſſit, ſed acrius hoſtibus inſtitit. Hic equitibus profligatis, interfecto 3 duce Cratero, multis praeterea et maxime nobilibus captis, pedeſter exercitus, quod in ea loca erat deductus, vt inuito Eumene elabi non poſſet, pa-

cem ab eo petiit. Quam quúm impetraſſet, in fide non manſit, et ſe, ſimul ac potuit, ad Antipatrum
4 recepit. Eumenes Craterum, ex acie ſemiuiúum elatum, recreare ſtuduit. Quum id non poſſet, pro hominis dignitate proque priſtina amicitia (namque illo vſus erat, Alexándro viuo, familiariter) amplo funere extulit, oſſaque in Macedoniam vxori eius ac liberis remiſit.

1 V. Haec dum apud Hellespontum geruntur, Per-
A. Ch. n. 322. diccas apud flumen Nilum interficitur a Seleuco et Antigono; rerumque ſumma ad Antipatrum defertur. Hic, qui deſeruerant, exercitu ſubfragium ferente, capitis abſentes damnantur: in his Eumenes. Hac ille perculſus plaga non ſubcubuit, neque eo ſecius bellum adminiſtrauit. Sed exiles res animi magnitudinem, etſi non frangebant, tamen minuebant. Hunc perſequens Antigonus, quum omni genere copiarum abundaret, ſaepe in itineribus vexabatur; neque vmquam ad manum adcedere licebat, niſi his locis, quibus pauci poſſent multis
3 reſiſtere. Sed extremo tempore, quum conſilio capi non poſſet, multitudine circumuentus eſt. Hinc tamen, multis ſuis amiſſis, ſe expediuit, et in caſtellum Phrygiae, quod Nora adpellatur, confugit.
4 In quo quum circumſederetur, et vereretur, ne vno loco manens equos militares perderet, quod ſpatium non eſſet agitandi; callidum fuit eius inuentum, quemadmodum ſtans iumentum calefieri exercerique poſſet, quo libentius et cibo vteretur, et a cor-
5 poris motu non remoueretur. Subſtringebat caput loro altius, quam vt prioribus pedibus plane terram poſſet adtingere; deinde poſt verberibus cogebat exſultare, et calces remittere. Qui motus non minus ſudorem excutiebat, quam ſi in ſpatio decurreret.
6 Quo factum eſt, quod omnibus mirabile eſt viſum, vt iumenta aeque nitida ex caſtello educeret, quum

complures menſes in obſidione fuiſſet, ac ſi in campeſtribus ea locis habuiſſet. In hac concluſione,7 quotiéscumque voluit, adparatum et munitiones Antigoni alias incendit, alias disiecit. Tenuit autem ſe vno loco, quamdiu fuit hiems. Sed quod caſtrum ſubſidia habere non poterat, et ver adpropinquabat, ſimilata deditione, dum de conditionibus tractat, praefectis Antigoni inpoſuit, ſeque ac ſuos omnes extraxit incolumes.

VI. Ad hunc Olympias, mater quae fuerat Ale-1 xandri, quum literas et nuntios miſiſſet in Aſiam, conſultum, vtrum repetitum Macedoniam veniret, (nam tunc in Epiro habitabat) et eas res obcuparet: huic ille primum ſuaſit, ne ſe moueret, et exſpe-2 etaret, quoad Alexandri filius regnum adipiſceretur: ſin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium iniuriarum obliuiſceretur, et in neminem acerbiore vteretur imperio. Horum nihil ea fecit.3 Nam et in Macedoniam profecta eſt, et ibi crudeliſſime ſe geſſit. Petiit autem ab Eumene abſente, ne pateretur, Philippi domus et familiae inimicissimos ſiirpem quoque interimere, ferretque opem liberis Alexandri. Quam veniam ſi ſibi daret, quam primum exercitus pararet, quos ſibi ſubſidio adduceret. Id quo facilius faceret, ſe omnibus prae-4 fectis, qui in officio manebant, miſiſſe literas, vt ei parerent, eiusque conſiliis vterentur. His rebus5 Eumenes permotus, ſatius duxit, ſi ita tuliſſet fortuna, perire, bene meritis referentem gratiam, quam ingratum viuere.

VII. Itaque copias contraxit, bellum aduerſus Antigonum comparauit. Quod vna erant Macedones complures nobiles, in his Peuceſtes, qui corporis cuſtos fuerat Alexandri, tunc autem obtinebat A. Ch. Perſidem, et Antigenes, cuius ſub imperio phalanx n. 319. erat Macedonum: inuidiam verens, quam tamen

effugere non potuit, si potius ipse alienigena summi imperii potiretur, quam alii Macedonum, quorum sibi erat multitudo, in principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate iussit poni, eoque omnes quotidie conuenire, vt ibi de summis rebus consilia caperentur; credens minore se inuidia fore, si specie imperii nominisque similatione Alexandri bellum videretur administrare. Quod et fecit. Nam quum non ad Eumenis principia, sed ad regia conueniretur, atque ibi de rebus deliberaretur, quodam modo latebat; quum tamen per eum vnum gererentur omnia.

VIII. Hic in Paraetacis cum Antigono conflixit, non acie instructa, sed in itinere; eumque male adceptum in Mediam hiematum coegit redire. Ipse in finitima regione Persidis hiematum copias diuisit, non vt voluit, sed vt militum cogebat voluntas. Namque illa phalanx Alexandri Magni, quae Asiam peragrarat deuiceratque Persas, inueterata cum gloria, tum etiam licentia, non parere se ducibus, sed imperare postulabat; vt nunc veterani faciunt nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt sua intemperantia nimiaque licentia, vt omnia perdant, neque minus eos, cum quibus iterint, quam aduersus quos fecerint. Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat, neque rem vllam, nisi tempus, interesse iudicet. Sed ad illos reuertar. Hiberna sumserant non ad vsum belli, sed ad ipsorum luxuriam, longeque inter se discesserant. Hoc Antigonus quum comperisset, intelligeretque, se parem non esse paratis aduersariis, statuit aliquid sibi consilii noui esse capiendum. Duae erant viae, qua ex Medis, vbi ille hiemabat, ad aduersariorum hibernacula posset perueniri. Quarum breuior per loca deserta,

A. Ch. n. 318.

quae nemo incolebat propter aquae inopiam, ceterum dierum erat fere decem: illa autem, qua omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum; ſed erat copioſa, omniumque rerum abundans. Hac ſi proficiſceretur, intelligebat, prius ad-6 verſarios reſcituros de ſuo aduentu, quam ipſe tertiam partem confeciſſet itineris: ſin per loca ſola7 contenderet, ſperabat, ſe inprudentem hoſtem obpreſſurum. Ad hanc rem conficiendam imperauit, quam plurimos vtres atque etiam culleos comparari; poſt haec pabulum, praeterea cibaria cocta dierum decem, vtque quam minime fieret ignis in caſtris. Iter, quod habebat, omnes celat. Sic paratus, qua conſtituerat, proficiſcitur.

IX. Dimidium fere ſpatium confecerat, quum1 ex fumo caſtrorum eius ſuſpicio adlata eſt ad Eumenem, hoſtem adpropinquare. Conueniunt duces; quaeritur, quid opus ſit facto. Intelligebant omnes, tam celeriter copias ipſorum contrahi non poſſe, quam Antigonus adfuturus videbatur. Hic,2 omnibus titubantibus, et de rebus ſummis deſperantibus, Eumenes ait, ſi celeritatem velint adhibere, et imperata facere, quod ante non fecerint, ſe rem expediturum. Nam, quod diebus quinque hoſtis transiſſe poſſet, ſe effecturum, vt non minus totidem dierum ſpatio retardaretur: quare circumirent, ſuas quisque copias contraheret. Ad Anti-3 goni autem refrenandum inpetum tale capit conſilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qui obuii erant itineri aduerſariorum, hisque praecipit, vt prima nocte, quam latiſſime poſſint, ignes faciant quam maximos, atque hos ſecunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant; et adſimilata caſtrorum conſuetudine, ſuſpicionem iniiciant hoſtibus, his locis eſſe caſtra, ac de eorum aduentu praenuntiatum; idemque poſtera nocte faciant.

Quibus imperatum erat, diligenter praeceptum curant. Antigonus, tenebris obortis, ignes conſpicatur: credit de ſuo aduentu eſſe auditum, et aduerſarios illuc ſuas contraxiſſe copias. Mutat conſilium, et, quoniam inprudentes adoriri non poſſet, flectit iter ſuum, et illum anfractum longiorem copioſae viae capit, ibique diem vnum obperitur ad laſſitudinem ſedandam militum, ac reficienda iumenta, quo integriore exercitu decerneret.

X. Hic Eumenes callidum imperatorem vicit conſilio, celeritatemque inpediuit eius; neque tamen multum profecit. Nam inuidia ducum, cum quibus erat, perfidiaque [militum] Macedonum veteranorum, quum ſuperior proelio diſceſſiſſet, Antigono eſt deditus, quum exercitus ei ter ante, ſeparatis temporibus, iuraſſet, ſe eum defenſurum, nec vmquam deſerturum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, vt fidem amittere mallent, quam eum non prodere. Atque hunc Antigonus, quum ei fuiſſet infeſtiſſimus, conſeruaſſet, ſi per ſuos eſſet licitum, quod ab nullo ſe plus adiuuari poſſe intelligebat in his rebus, quas inpendere iam adparebat omnibus. Inminebant enim Seleucus, Lyſimachus, Ptolemaeus, opibus iam valentes, cum quibus ei de ſummis rebus erat dimicandum. Sed non paſſi ſunt hi, qui circa erant: quod videbant, Eumene recepto, omnes prae illo parui futuros. Ipſe autem Antigonus adeo erat inceſſus, vt, niſi magna ſpe maximarum rerum, leniri non poſſet.

XI. Itaque, quum eum in cuſtodiam dediſſet, et praefectus cuſtodum quaeſiſſet, quemadmodum ſeruari vellet? vt acerrimum, inquit, leonem, aut ferociſſimum elephantum. Nondum enim ſtatuerat, conſeruaret eum, nec ne. Veniebat autem ad Eumenem vtrumque genus hominum, et qui propter

A. Ch. u. 316.

odium fructum oculis ex eius casu capere vellent, et qui propter veterem amicitiam conloqui consolarique cuperent; multi etiam, qui eius formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tamdiu, tamque valde timuissent, cuius in pernicie positam spem habuissent victoriae. At Eumenes, quum diutius in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperii erat custodiae, se mirari, quare iam tertium diem sic teneretur: non enim hoc conuenire Antigoni prudentiae, vt sic deuteretur victo; quin aut interfici, aut missum fieri iuberet. Hic quum ferocius Onomarcho loqui videretur, quid? tu, inquit, animo si isto eras, cur non in proelio cecidisti potius, quam in potestatem inimici venires? Huic Eumenes, vtinam quidem istud euenisset! [inquit:] sed eo non accidit, quod numquam cum fortiore fum congressus. Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi subcubuerit. Non enim virtute hostium, sed amicorum perfidia decidi. Neque id falsum. Nam et dignitate fuit honesta, et viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quam figura venusta.

XII De hoc Antigonus quum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hic quum plerique omnes primo perturbati admirarentur, non iam de eo sumtum esse supplicium, a quo tot annos adeo essent male habiti, vt saepe ad desperationem forent adducti; quique maximos duces interfecissent; denique in quo vno esset tantum, vt, quoad ille viueret, ipsi securi esse non possent; interfecto, nihil habituri negotii essent: postremo, si illi redderet salutem, quaerebant, quibus amicis esset vsurus? sese enim cum Eumene apud eum non futuros. Hic, cognita consilii voluntate, tamen vsque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit.

Tum autem, quum iam vereretur, ne qua ſeditio exercitus oriretur, vetuit, ad eum quemquam admitti, et quotidianum victum amoueri iuſſit. Nam negabat, ſe ei vim adlaturum, qui aliquando fuiſſet
4amicus. Hic tamen non amplius, quam triduum,
A. Ch. n. 316. fame fatigatus, quum caſtra mouerentur, inſciente Antigono, iugulatus eſt a cuſtodibus.

1 XIII. Sic Eumenes annorum quinque et quadraginta, quum ab anno vigeſimo, vti ſupra oſtendimus, ſeptem annos Philippo adparuiſſet, et tredecim apud Alexandrum eumdem locum obtinuiſſet, in his vnum equitum alae praefuiſſet, poſt autem Alexandri Magni mortem imperator exercitus duxiſſet, ſummosque duces partim repuliſſet, partim interfeciſſet, captus non Antigoni virtute, ſed Ma-
2cedonum periurio, talem habuit exitum vitae. In quo quanta fuerit omnium opinio eorum, qui poſt Alexandrum Magnum reges ſunt adpellati, ex hoc facillime poteſt iudicari, quod nemo Eumene viuo
3rex adpellatus eſt, ſed praefectus; iidem, poſt huius obcaſum, ſtatim regium ornatum nomenque ſumſerunt: neque, quod initio praedicarunt, ſe Alexandri liberis regnum ſeruare, id praeſtare voluerunt, et, vno propugnatore ſublato, quid ſentirent, aperuerunt. Huius ſceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolemaeus, Seleucus, Lyſimachus,
4Caſſander. Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis eius ſepeliendum tradidit. Hi militari honeſtoque funere, comitante toto exercitu, humauerunt, oſſaque eius in Cappadociam ad matrem atque vxorem liberosque eius deportanda curarunt.

XIX. PHOCION.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Virtutibus ſuis clarior quam re militari.* II. *Senex in odium ciuium peruenit. Eius culpa Nicanor Piraeeo potitur.* III. *Exſilio mulctatur. Cauſam apud Macedones dicere cogitur, et Athenas deducitur.* IV. *Athenis damnatus, ad ſupplicium traditur.*

I. PHOCION, *Athenienſis*, etſi ſaepe exercitibus praefuit ſummosque magiſtratus cepit, tamen multo eius notior integritas vitae, quam rei militaris labor. Itaque huius memoria eſt nulla, illius autem magna fama: ex quo cognomine *Bonus* eſt adpellatus. Fuit enim perpetuo pauper, quum diuitiſſimus eſſe poſſet propter frequentes delatos honores poteſtatesque ſummas, quae ei a populo dabantur. Hic quum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legatique hortarentur adcipere, ſimulque admonerent, ſi ipſe his facile careret, liberis tamen ſuis proſpiceret, quibus difficile eſſet, in ſumma paupertate tantam paternam tueri gloriam: his ille, ſi mei ſimiles erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; ſin diſſimiles ſunt futuri, nolo meis impenſis illorum ali augerique luxuriam.

II. Idem quum prope ad annum octogeſimum proſpera perueniſſet fortuna, extremis temporibus magnum in odium peruenit ſuorum ciuium: primo quod cum Demade de vrbe tradenda Antipatro conſenſerat; eiusque conſilio Demoſthenes cum ceteris, qui bene de re publica mereri exiſtimabantur, populiſcito in exſilium erant expulſi. Neque in eo ſolum obfenderat, quod patriae male conſuluerat, ſed etiam, quod amicitiae fidem non praeſtiterat. Namque, auctus adiutusque a Demoſthene, eum, quem tenebat, adſcenderat gradum, quum aduerſus Charetem eum ſubornaret: ab eodem in iudi-

ciis, quum capitis cauſam diceret, defenſus aliquoties, liberatus diſceſſerat. Hunc non ſolum in periculis non defendit, ſed etiam prodidit. Concidit autem maxime vno crimine, quod, quum apud eum ſummum eſſet imperium populi, et, Nicanorem, Caſſandri praefectum, inſidiari Piraeeo Atheniensium, a Dercyllo moneretur, idemque poſtularet, vt prouideret, ne commeatibus ciuitas priuaretur; huic, audiente populo, Phocion negauit, eſſe periculum, ſeque eius rei obſidem fore pollicitus eſt. Neque ita multo poſt Nicanor Piraeeo eſt potitus. Ad quem recuperandum quum populus armatus concurriſſet, ille non modo neminem ad arma vocauit, ſed ne armatis quidem praeeſſe voluit, [ſine quo Athenae omnino eſſe non poſſunt]. A. Ch. n. 318.

III. Erant eo tempore Athenis duae factiones, quarum vna populi cauſam agebat, altera optimatum. In hac erant Phocion et Demetrius Phalereus. Harum vtraque Macedonum patrociniis nitebatur. Nam populares Polyſperchonti fauebant; optimates cum Caſſandro ſentiebant. Interim a Polyſperchonte Caſſander Macedonia pulſus eſt. Quo facto populus ſuperior factus ſtatim duces aduerſariae factionis, capitis damnatos, patria pepulit; in his Phocionem et Demetrium Phalereum: deque ea re legatos ad Polyſperchontem miſit, qui ab eo peterent, vt ſua decreta confirmaret. Huc eodem profectus eſt Phocion. Quo vt venit, cauſam apud Philippum regem verbo, re ipſa quidem apud Polyſperchontem iuſſus eſt dicere. Namque is tum regis rebus praeerat. Hic ab Agnonide adcuſatus, quod Piraeeum Nicanori prodidiſſet, ex conſilii ſententia in cuſtodiam coniectus, Athenas deductus eſt, vt ibi de eo legibus fieret iudicium.

IV. Huc vbi peruentum eſt, quum propter aetatem pedibus iam non valeret vehiculoque porta-

retur, magni concurſus ſunt facti; quum alii, reminiſcentes veteris famae, aetatis miſererentur, plurimi vero ira exacuerentur, propter proditionis ſuſpicionem Piraeei, maximeque, quod aduerſus populi commoda in ſenectute ſteterat. Qua de re ne perorandi quidem ei data eſt facultas et dicendi cauſam. Inde iudicio, legitimis quibusdam confectis damnatus, traditus eſt vndecim viris, quibus ad ſupplicium, more Athenienſium, publice damnati tradi ſolent. Hic quum ad mortem duceretur, obuius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat vſus. Is quum lacrumans dixiſſet: O quam indigna perpeteris, Phocion! huic ille, at non inopinata, inquit: hunc enim exitum pleriqueclari viri habuerunt Athenienſes. In hoc tantum fuit odium multitudinis, vt nemo auſus ſit eum liber ſepelire. Itaque a ſeruis ſepultus eſt. A. Ch. n. 318.

XX. TIMOLEON.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Liberata patria, fratrem ſuum, tyrannum, interfici iubet.* II. *Dionyſium Sicilia pellit. Hicetam ſuperat. Poenos fugat.* III. *Siculorum rem publicam reſtaurat. Priuatus Syracuſis viuit.* IV. *Oculis captus rei publicae inſeruit.* V. *Eius patientiae exempla. Moritur.*

I. TIMOLEON *Corinthius.* Sine dubio magnus omnium iudicio hic vir exſtitit. Namque huic vni contigit, quod neſcio an nulli, vt et patriam, in qua erat natus, obpreſſam a tyranno liberaret, et a Syracuſis, quibus auxilio erat miſſus, inueteratam ſeruitutem depelleret, totamque Siciliam, multos annos bello vexatam, a barbarisque obpreſſam, ſuo aduentu in priſtinum reſtitueret. Sed in his rebus non ſimplici fortuna conflictatus eſt, et, id quod difficilius putatur, multo ſapientius tulit ſecundam, quam aduerſam fortunam. Nam quum frater eius,

Timophanes, dux a Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios obcupaſſet, particepsque regni poſſet eſſe; tantum abfuit a ſocietate ſceleris, vt antetulerit ſuorum ciuium libertatem fratris ſaluti, et patriae parere legibus, quam impe-
4rare, ſatius duxerit. Hac mente per haruſpicem communemque adfinem, cui ſoror, ex eisdem parentibus nata, nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curauit. Ipſe non modo manus non adtulit, ſed ne adſpicere quidem fraternum ſanguinem voluit. Nam, dum res conficeretur, procul in praeſidio fuit, ne quis ſatelles poſſet ſubcurrere.
5Hoc praeclariſſimum eius facinus non pari modo probatum eſt ab omnibus. Nonnulli enim laeſam ab eo pietatem putabant, et inuidia laudem virtutis obterebant. Mater vero, poſt id factum, neque domum ad ſe filium admiſit, neque adſpexit, quin eum fratricidam inpiumque deteſtans compellaret.
6Quibus rebus ille adeo eſt commotus, vt nonnumquam vitae finem facere voluerit, atque ex ingratorum hominum conſpectu morte decedere.

1 II. Interim Dione Syracuſis interfecto, Dionyſius rurſus Syracuſarum potitus eſt: cuius aduerſarii opem a Corinthiis petierunt, ducemque, quo
2in bello vterentur, poſtularunt. Huc Timoleon
A. Ch. miſſus incredibili felicitate Dionyſium tota Sicilia
n. 345. depulit. Quum interficere poſſet, noluit, tutoque vt Corinthum perueniret, effecit, quod vtrorumque Dionyſiorum opibus Corinthii ſaepe adiuti fuerant, cuius benignitatis memoriam volebat exſtare, eamque praeclaram victoriam ducebat, in qua plus eſſet clementiae, quam crudelitatis; poſtremo, vt non ſolum auribus adciperetur, ſed etiam oculis cerneretur, quem et ex quanto regno ad quam fortunam
3detruſiſſet. Poſt Dionyſii deceſſum cum Hiceta bellauit, qui aduerſatus fuerat Dionyſio, quem non

odio tyrannidis disensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quod ipse, expulso Dionysio, imperium dimittere noluit. Hoc superato, Timoleon maximas 4
copias Karthaginiensium apud Crimissum flumen A. Ch. n. 342.
fugauit, ac satis habere coegit, si liceret Africam obtinere, qui iam complures annos possessionem Siciliae tenebant. Cepit etiam Mamercum, Italicum A. Ch. n. 339.
ducem, hominem bellicosum et potentem, qui tyrannos adiutum in Siciliam venerat.

III. Quibus rebus confectis, quum propter diu- 1
turnitatem belli non solum regiones, sed etiam vrbes desertas videret: conquisiuit, quos potuit, A. Ch. n. 345.
primum Siculos; deinde Corintho arcessiuit colonos, quod ab his initio Syracusae erant conditae. Ciui- 2
bus veteribus sua restituit; nouis bello vacuefactas possessiones diuisit; vrbium moenia disiecta fanaque [deserta] refecit; ciuitatibus leges libertatemque reddidit. Ex maximo bello tantum otium toti insulae conciliauit, vt hic conditor vrbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur. Arcem 3
Syracusis, quam munierat Dionysius ad vrbem obsidendam, a fundamentis disiecit: cetera tyrannidis propugnacula demolitus est, deditque operam, vt quam minime multa vestigia seruitutis manerent. Quum tantis esset opibus, vt etiam inuitis imperare 4
posset; tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, vt, nullo recusante, regnum obtineret: maluit se diligi, quam metui. Itaque, quum primum potuit, imperium deposuit, et priuatus Syracusis, quod reliquum vitae fuit, vixit. Neque vero id inperite fecit. Nam quod ceteri reges im- 5
perio potuerunt, hic beneuolentia tenuit. Nullus honos huic defuit; neque postea res vlla Syracusis gesta est publice, de qua prius sit decretum, quam Timoleontis sententia cognita. Nullius vmquam 6
consilium non modo antelatum, sed ne compara-

tum quidem est. Neque id magis beneuolentia factum est, quam prudentia.

1 IV. Hic quum aetate iam prouectus esset, sine vllo morbo lumina oculorum amisit. Quam calamitatem ita moderate tulit, vt neque eum querentem quisquam audierit, neque eo minus priuatis 2publicisque rebus interfuerit. Veniebat autem in theatrum, quum ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem vectus iumentis iunctis; atque ita de vehiculo, quae videbantur, dicebat; neque hoc illi quisquam tribuebat superbiae. Nihil enim vmquam neque insolens, neque glorioſum, ex ore 3eius exiit. Qui quidem, quum suas laudes audiret praedicari, numquam aliud dixit, quam se in ea re maximas diis gratias agere atque habere, quod, quum Siciliam recreare constituissent, tum se po-4tissimum ducem esse voluissent. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine geri putabat. Itaque suae domi sacellum Αὐτοματίας constituerat, idque sanctissime colebat.

1 V. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles adcesserunt casus. Nam proelia maxima natali die suo fecit omnia; quo factum est, vt eius 2diem natalem festum haberet vniuersa Sicilia. Huic quidam Lamestius, homo petulans et ingratus, vadimonium quum vellet inponere, quod cum illo se lege agere diceret, et complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coercere conarentur; Timoleon orauit omnes, ne id facerent. Namque id vt Lamestio ceterisque liceret, se maximos labores summaque adiisse pericula. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque 3vellet, legibus experiri liceret. Idem, quum quidam Lamestii similis, nomine Demaenetus, in concione populi de rebus gestis eius detrahere coepisset, ac nonnulla inueheretur in Timoleonta, dixit, nunc

demum se voti esse damnatum: namque hoc a diis immortalibus semper precatum, vt talem libertatem restitueret Syracusanis, in qua cuiuis liceret, de quo vellet, inpune dicere. Hic quum diem su-4 premum obiisset, publice a Syracusanis in gymna- A. Ch. sio, quod Timoleonteum adpellatur, tota celebrante n. 337. Sicilia, sepultus est.

XXI. DE REGIBVS.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Spartani reges, nomine tales, non potestate. Excellentissimi Persarum reges.* II. *Macedonum reges clariores. Vnus rex Siciliae vere inlustris.* III. *Reges ex Alexandri amicis.*

I. Hi fere fuerunt Graeciae gentis duces, qui memoria digni videbantur, praeter REGES. Namque eos adtingere noluimus, quod omnium res gestae separatim sunt relatae. Neque tamen hi admodum sunt multi. Lacedaemonius autem Age-2 silaus nomine, non potestate, fuit rex; sicuti ceteri Spartani. Ex his vero, qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt, (vt nos iudicamus,) Persarum Cyrus et Darius, Hystaspis filius: quorum vterque priuatus virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetas in proe- A. Ch. lio cecidit. Darius senectute diem obiit supremum. n. 530. Tres sunt praeterea eiusdem generis; Xerxes et duo3 Artaxerxes, Macrochir et Mnemon. Xerxi maxime A. Ch. est inlustre, quod maximis post hominum memo- n. 486. riam exercitibus terra marique bellum intulit Graeciae. At Macrochir praecipuam habet laudem am-4 plissimae pulcerrimaeque corporis formae, quam incredibili ornauit virtute belli. Namque illo Perses nemo fuit manu fortior. Mnemon autem iustitiae fama floruit. Nam quum matris suae scelere amisisset vxorem, tantum indulsit dolori, vt eum

5pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine morbo naturae debitum reddiderunt: tertius ab Artabano, praefecto, ferro interemtus eſt.

1 II. Ex Macedonum autem genere duo multo ceteros anteceſſerunt rerum geſtarum gloria; Phi-
A. Ch. n. 324. lippus, Amyntae filius, et Alexander Magnus. Horum alter Babylone morbo conſumtus; Philippus Aegis a Pauſania, quum ſpectatum ludos iret, iuxta
2theatrum obciſus eſt. Vnus Epirotes, Pyrrhus, qui
A. Ch. n. 336. cum populo Romano bellauit. Is quum Argos oppidum obpugnaret in Peloponneſo, lapide ictus interiit. Vnus item Siculus, Dionyſius prior. Nam et manu fortis, et belli peritus fuit, et, id quod in tyranno non facile reperitur, minime libidinoſus, non luxurioſus, non auarus, nullius rei denique cupidus, niſi ſingularis perpetuique imperii; ob eamque rem crudelis. Nam dum id ſtuduit munire, nullius pepercit vitae, quem eius inſidiatorem putaret. Hic quum virtute tyrannidem ſibi
3 peperiſſet, magna retinuit felicitate, maiorque annis ſexaginta natu deceſſit florente regno. Neque in tam multis annis cuiusquam ex ſua ſtirpe funus vidit, quum ex tribus vxoribus liberos procreaſſet, multique ei nati eſſent nepotes.

1 III. Fuerunt praeterea magni reges ex amicis Alexandri magni, qui poſt obitum eius imperia ceperunt: in his Antigonus et huius filius Demetrius,
2 Lyſimachus, Seleucus, Ptolemaeus. Ex his Anti-
A. Ch. n. 301. gonus, quum aduerſus Seleucum Lyſimachumque
A. Ch. n. 281. dimicaret, in proelio obciſus eſt. Pari leto adfectus eſt Lyſimachus a Seleuco. Nam, ſocietate dis-
3 ſoluta, bellum inter ſe geſſerunt. At Demetrius, quum filiam ſuam Seleuco in matrimonium dediſſet,
A. Ch. n. 286. neque eo magis fida inter eos amicitia manere potuiſſet, captus bello, in cuſtodia ſocer generi, per-
4iit morbo. Neque ita multo poſt Seleucus a Pto-

lemaeo Cerauno dolo interfectus eſt; quem ille a A. Ch. patre expulſum Alexandrea, alienarum opum indi- n. 280. gentem, receperat. Ipſe autem Ptolemaeus, quum A. Ch. viuus filio regnum tradidiſſet, ab illo eodem vita n. 279. priuatus dicitur. De quibus quoniam ſatis dictum 5 putamus, non incommodum videtur, non praeterire Hamilcarem et Hannibalem; quos et animi magnitudine, et calliditate omnes in Africa natos praeſtitiſſe conſtat.

XXII. HAMILCAR.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Erycem defendit. Pacem conſtantia ſua patriae conciliat.* II. *Remotis a Karthagine militibus mercenariis, otium tuti Africae reſtituit.* III. *Filium ſuum Hannibalem ſecum in Hiſpaniam ducit. Hasdrubal eius gener, et in imperio ſubceſſor.* IV. *In Hiſpania proelio aduerſus Vettones cadit.*

I. HAMILCAR, Hannibalis filius, cognomine Barcas, *Karthaginienſis* primo Poenico bello, ſed A. V. temporibus extremis, admodum adoleſcentulus in c. 489. Sicilia praeeſſe coepit exercitui. Quum ante eius 2 aduentum et mari et terra male res gererentur Kar- A. V. thaginienſium, ipſe, vbi adfuit, numquam hoſti c. 504. ceſſit, neque locum nocendi dedit; ſaepeque e contrario, occaſione data, laceſſiuit, ſemperque ſuperior diſceſſit. Quo facto, quum paene omnia in Sicilia Poeni amiſiſſent, ille Erycem ſic defendit, vt bellum eo loco geſtum non videretur. Interim 3 Karthaginienſes, claſſe apud inſulas Aegates a Caio A. V. Lutatio, Conſule Romanorum, ſuperati, ſtatue- c. 510. runt belli finem facere, eamque rem arbitrio permiſerunt Hamilcaris. Ille, etſi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci ſeruiendum putauit, quod patriam, exhauſtam ſumtibus, diutius calamitatem belli ferre non poſſe intelligebat: ſed ita, vt ſtatim 4

mente agitaret, si paullum modo res essent refectae, bellum renouare, Romanosque armis persequi, donicum aut certe viciſſent, aut victi manus dediſſent. 5Hoc consilio pacem conciliauit: in qua tanta fuit ferocia, vt, quum Catulus negaret, se bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenue-6runt, armis relictis, Sicilia decederent; subcumbente patria, ipse, periturum se potius, dixerit, quam cum tanto flagitio domum rediret. Non enim suae esse virtutis, arma a patria adcepta aduersus hostes aduersariis tradere. Huius pertinaciae cessit Catulus.

1 II. At ille, vt Karthaginem venit, multo aliter, ac sperabat, rem publicam se habentem cognouit. Namque diuturnitate externi mali tantum exarsit intestinum bellum, vt numquam pari periculo fuerit Karthago, nisi quum deleta est. Primo mercenarii milites, qui aduersus Romanos fuerant, de-A. V. c. 512. scisuerunt; quorum numerus erat viginti milium. Hi totam abalienarunt Africam, ipsam Karthagi-3nem obpugnarunt. Quibus malis adeo sunt Poeni perterriti, vt etiam auxilia a Romanis petiuerint eaque inpetrarint. Sed extremo, quum prope iam ad desperationem peruenissent, Hamilcarem impe-4ratorem fecerunt. Is non solum hostes a muris Karthaginis remouit, quum amplius centum milia facta essent armatorum; sed etiam eo compulit, vt, locorum angustiis clausi, plures fame, quam ferro, interirent. Omnia oppida abalienata, in his Vticam atque Hipponem, valentissima totius Africae, 5restituit patriae. Neque eo fuit contentus, sed etiam fines imperii propagauit; tota Africa tantum otium reddidit, vt nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse.

1 III. Rebus his ex sententia peractis, fidenti A. V. c. 516. animo atque infesto Romanis, quo facilius causam

bellandi reperiret, effecit, vt imperator cum exercitu in Hiſpaniam mitteretur, eoque ſecum duxit filium Hannibalem, annorum nouem. Erat praeterea cum eo adoleſcens inluſtris, formoſus Hasdrubal; quem nonnulli diligi turpius, quam par erat, ab Hamilcare, loquebantur. Non enim maledici tanto viro deeſſe poterant. Quo factum eſt, vt a praefecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur eſſe. Huic ille filiam ſuam in matrimonium dedit, quod moribus eorum non poterat interdici ſocero gener. De hoc ideo mentionem fecimus, quod, Hamilcare obciſo, ille exercitui praefuit, resque magnas geſſit; et princeps largitione vetuſtos peruertit mores Karthaginienſium; eiusdemque poſt mortem Hannibal ab exercitu adcepit imperium. 3 A. V. c. 525. A. V. c. 535.

IV. At Hamilcar, poſteaquam mare transiit in Hiſpaniamque venit, magnas res ſecunda geſſit fortuna: maximas bellicoſiſſimasque gentes ſubegit: equis, armis, viris, pecunia, totam locupletauit Africam. Hic quum in Italiam bellum inferre meditaretur, nono anno poſtquam in Hiſpaniam venerat, in proelio pugnans aduerſus Vettones obciſus eſt. Huius perpetuum odium erga Romanos maxime concitaſſe videtur ſecundum bellum Poenicum. Namque Hannibal, filius eius, adſiduis patris obteſtationibus eo eſt perductus, vt interire, quam Romanos non experiri, mallet. 1 2 3 A. V. c. 525.

XXIII. HANNIBAL.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Omnibus ducibus maior, inuidia debilitatur.* II. *Capitalis Romanorum hoſtis.* III. *Imperator Hiſpaniam ſubigit. Saguntum expugnat. Per Alpes in Italiam transit.* IV. *Saepius feliciter pugnat in Italia.* V. *Reliquae res ab eo in Italia geſtae.* VI. *Reuocatus patriam defenſum, a Scipione vincitur.* VII. *Domo ad Antiochum profugit.* VIII. *Suos ciues fruſtra ad bellum inducere tentat.*

Rhodiorum victor. IX. *Cretenſium auaritiam deludit.* X. *Regem Ponti armat aduerſus Romanos.* XI. *Dolo pugnat aduerſus Eumenem.* XII. *Ne tradatur Romanis, veneno hauſto mori mauult.* XIII. *Eius literarum amor.*

1 I. HANNIBAL, Hamilcaris filius, *Karthaginienſis.* Si verum eſt, quod nemo dubitat, vt populus Romanus omnes gentes virtute ſuperarit, non eſt infitiandum, Hannibalem tanto praeſtitiſſe ceteros imperatores prudentia, quanto populus Romanus 2antecedat fortitudine cunctas nationes. Nam quotiescumque cum eo congreſſus eſt in Italia, ſemper diſceſſit ſuperior. Quod niſi domi ciuium ſuorum inuidia debilitatus eſſet, Romanos videretur ſuperare potuiſſe. Sed multorum obtrectatio deuicit 3vnius virtutem. Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos ſic confirmavit, vt prius animam, quam id, depoſuerit: qui quidem quum patria pulſus eſſet, et alienarum opum indigeret, numquam deſtiterit animo bellare cum Romanis.

1 II. Nam vt omittam Philippum, quem abſens A. V. c. 560. hoſtem reddidit Romanis: omnium his temporibus potentiſſimus rex Antiochus fuit. Hunc tanta cupiditate incendit bellandi, vt vsque a rubro mari 2arma conatus ſit inferre Italiae. Ad quem quum legati veniſſent Romani, qui de eius voluntate explorarent darentque operam conſiliis clandeſtinis, vt Hannibalem in ſuſpicionem regi adducerent, tamquam ab ipſis conruptum, alia, atque antea, ſentire; neque id fruſtra feciſſent, idque Hannibal comperiſſet, ſeque ab interioribus conſiliis ſegregari vidiſſet: tempore dato adiit ad regem, eique quum multa de fide ſua et odio in Romanos com3memoraſſet, hoc adiunxit: Pater, inquit, meus Hamilcar, puerulo me, vtpote non amplius nouem annos nato, in Hiſpaniam imperator proficiſcens

Karthagine, Ioui Optimo Maximo hostias inmolavit. Quae diuina res dum conficiebatur, quaesiuit a me, vellemne secum in castra proficisci? Id quum libenter adcepissem, atque ab eo petere coepissem, ne dubitaret ducere; tum ille, faciam, inquit, si fidem mihi, quam postulo, dederis. Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque, ceteris remotis, tenentem iurare iussit, numquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego ius iurandum, patri datum, vsque ad hanc aetatem ita conseruaui, vt nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. Quare, si quid amice de Romanis cogitabis, non inprudenter feceris, si me celaris. Quum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris.

III. Hac igitur, qua diximus, aetate cum patre in Hispaniam profectus est: cuius post obitum, Hasdrubale imperatore subfecto, equitatui omni praefuit. Hoc quoque interfecto, exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Karthaginem delatum, publice comprobatum est. Sic Hannibal, minor quinque et viginti annis natu, imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit: Saguntum, foederatam ciuitatem, vi expugnauit: tres exercitus maximos comparauit. Ex his vnum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, tertium in Italiam secum duxit. Saltum Pyrenaeum transiit. Quacumque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit; neminem, nisi victum, dimisit. Ad Alpes postea quam venit, quae Italiam ab Gallia seiungunt, quas nemo vmquam cum exercitu ante eum, praeter Herculem Graium, transierat: (quo facto is hodie saltus Graius appellatur;) Alpicos, conantes prohibere transitu, concidit, loca patefecit, itinera mu-

A. V. c. 531.

A. V. c. 535.

niit, effecit [que], vt ea elephantus ornatus ire
poſſet, qua antea vnus homo inermis vix poterat
repere. Hac copias traduxit, in Italiamque peruenit.
A. V. c. 533 IV. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione Conſule, eumque pepulerat. Cum hoc
A. V. c. 535 eodem de Claſtidio apud Padum decernit: ſaucium inde ac fugatum dimittit. Tertio idem Scipio cum
A. V. c. 533 conlega Tiberio Longo apud Trebiam aduerſus eum venit. Cum his manum conſeruit: vtrosque profligauit. Inde per Ligures Apenninum transit, pe-
3tens Etruriam. Hoc itinere adeo graui morbo adficitur oculorum, vt poſtea numquam dextro aeque bene vſus ſit. Qua valetudine quum etiam nunc premeretur, lecticaque ferretur, C. Flaminium
A. V. c. 534 Conſulem, apud Traſimenum cum exercitu inſidiis circumuentum, obcidit. Neque multo poſt C. Centenium praetorem, cum delecta manu ſaltus obcu-
4pantem. Hinc in Apuliam peruenit. Ibi obuiam ei venerunt duo Conſules, C. Terentius et L. Paul-
A. V. c. 537 lus Aemilius. Vtriusque exercitus vno proelio fugauit; Paullum Conſulem obcidit, et aliquot praeterea Conſulares, in his Cn. Seruilium Geminum, qui anno ſuperiore fuerat Conſul.

1 V. Hac pugna pugnata, Romam profectus eſt, nullo reſiſtente. In propinquis vrbis montibus moratus eſt. Quum aliquot ibi dies caſtra habuiſſet et reuerteretur Capuam, Q Fabius Maximus, dicta-
2tor Romanus, in agro Falerno ei ſe obiecit. Hic
A. V. c. 534 clauſus locorum anguſtiis, noctu ſine vllo detrimento exercitus ſe expediuit; Fabio, callidiſſimo imperatori, verba dedit. Namque, obducta nocte, ſarmenta in cornibus iuuencorum deligata incendit, eiusque generis multitudinem magnam dispalatam inmiſit. Quo repentino obiectu viſo, tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, vt egredi extra
3vallum nemo ſit auſus. Hanc poſt rem geſtam non

ita multis diebus, M. Minucium Rufum, magiſtrum equitum, pari ac dictatorem imperio, dolo productum in proelium, fugauit: Ti. Sempronium Gracchum, iterum Conſulem, in Lucanis abſens, in A. V. c. 539. inſidias inductum ſuſtulit: M. Claudium Marcellum, quinquies Conſulem, apud Venuſiam pari modo interfecit. Longum eſt enumerare proelia. 4 Quare hoc vnum ſatis erit dictum, ex quo intelligi A. V. poſſit, quantus ille fuerit. Quamdiu in Italia fuit, c. 544. nemo ei in acie reſtitit, nemo aduerſus eum poſt Cannenſem pugnam in campo caſtra poſuit.

VI. Hic inuictus patriam defenſum reuocatus, 1 bellum geſſit aduerſus P. Scipionem, filium eius, A. V. quem ipſe primum apud Rhodanum, iterum apud c. 548. Padum, tertio apud Trebiam fugauerat. Cum hoc, 2 exhauſtis iam patriae facultatibus, cupiuit in praeſentiarum bellum componere, quo valentior poſtea congrederetur. In conloquium conuenit: conditiones non conuenerunt. Poſt id factum, paucis 3 diebus apud Zamam cum eodem conflixit. Pulſus, incredibile dictu, biduo et duabus noctibus Hadrumetum peruenit, quod abeſt a Zama circiter milia paſſuum trecenta. In hac fuga Numidae, qui ſimul 4 cum eo ex acie exceſſerant, inſidiati ſunt ei; quos non ſolum effugit, ſed etiam ipſos obpreſſit. Hadrumeti reliquos ex fuga conlegit. Nouis delectibus paucis diebus multos contraxit.

VII. Quum in adparando acerrime eſſet obcupa- 1 tus, Karthaginienſes bellum cum Romanis compo- A. V. ſuerunt. Ille nihilo ſecius exercitui poſtea praefuit, c. 550. resque in Africa geſſit: itemque Magō, frater eius, vsque ad Publium Sulpicium et Caium Aurelium Conſules. His enim magiſtratibus legati Karthagi 2 nienſes Romam venerunt, qui ſenatui populoque Romano gratias agerent, quod cum his pacem feciſſent, ob eamque rem corona aurea eos donarent,

ſimulque peterent, vt obſides eorum Fregellis eſſent, captiuique redderentur. His ex ſenatus conſulto reſponſum eſt: Munus eorum gratum adceptumque eſſe: obſides, quo loco rogarent, futuros: captivos non remiſſuros, quod Hannibalem, cuius opera ſusceptum bellum foret, inimiciſſimum nomini Romano, et nunc cum imperio apud exercitum haberent, itemque fratrem eius Magonem. Hoc reſponſo Karthaginienſes cognito, Hannibalem domum [Magonemque] reuocarunt. Huc vt rediit, praetor factus eſt, poſtquam rex fuerat anno ſecundo et vigeſimo. Vt enim Romae Conſules, ſic Karthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magiſtratu pari diligentia ſe Hannibal praebuit, ac fuerat in bello. Namque effecit, ex nouis vectigalibus non ſolum vt eſſet pecunia, quae Romanis ex foedere penderetur, ſed etiam ſupereſſet, quae in aerario poneretur. Deinde, anno poſt praeturam, Marco Claudio, Lucio Furio Conſulibus, Romani legati Karthaginem venerunt. Hos Hannibal ſui expoſcendi gratia miſſos ratus, priusquam his ſenatus daretur, nauem conſcendit clam, atque in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palam facta, Poeni naues duas, quae eum comprehenderent, ſi poſſent conſequi, miſerunt: bona eius publicarunt: domum a fundamentis disiecerunt: ipſum exſulem iudicarunt.

VIII. At Hannibal anno tertio poſt, quam domo profugerat, Lucio Cornelio, Quinto Minucio Conſulibus, cum quinque nauibus Africam adceſſit, in finibus Cyrenaeorum, ſi forte Karthaginienſes ad bellum, Antiochi ſpe fiduciaque, inducere poſſet: cui iam perſuaſerat, vt cum exercitibus in Italiam proficiſceretur. Huc Magonem fratrem exciuit. Id vbi Poeni reſciuerunt, Magonem eadem, qua fratrem, abſentem poena adfecerunt. Illi deſperatis

rebus, quum ſoluiſſent naues, ac vela ventis dediſſent, Hannibal ad Antiochum peruenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita eſt. Namque alii naufragio, alii a ſerûis ipſius interfectum eum, ſcriptum reliquerunt. Antiochus autem, ſi tam in3 agendo bello parere voluiſſet conſiliis eius, quam in ſuscipiendo inſtituerat, propius Tiberi, quam Thermopylis, de ſumma imperii dimicaſſet. Quem, etſi multa ſtulte conari videbat, tamen nulla deſeruit in re. Praefuit paucis nauibus, quas ex Syria4 iuſſus erat in Aſiam ducere, hisque aduerſus Rho- A. V. diorum claſſem in Pamphylio mari conflixit. Quo c. 561. quum multitudine aduerſariorum ſui ſuperarent, ipſe, quo cornu rem geſſit, fuit ſuperior.

IX. Antiocho fugato, verens, ne dederetur, quod1 ſine dubio adcidiſſet, ſi ſui feciſſet poteſtatem, Cretam ad Gortynios venit, vt ibi, quo ſe conferret, conſideraret. Vidit autem vir omnium callidiſſi-2 mus, magno ſe fore periculo, niſi quid prouidiſſet, propter auaritiam Cretenſium. Magnam enim ſecum pecuniam portabat, de qua ſciebat exiſſe famam. Itaque capit tale conſilium. Amphoras complures3 complet plumbo; ſummas operit auro et argento. Has, praeſentibus principibus, deponit in templo Dianae, ſimilans, ſe ſuas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis, ſtatuas aeneas, quas ſecum portabat, omnes ſua pecunia complet, easque in propatulo domi abiicit. Gortynii tem-4 plum magna cura cuſtodiunt, non tam a ceteris, quam ab Hannibale, ne quid ille, inſcientibus his, tolleret ſecumque duceret.

X. Sic, conſeruatis ſuis rebus, Poenus, inluſis1 Cretenſibus omnibus, ad Pruſiam in Pontum pervenit. Apud quem eodem animo fuit erga Italiam, neque aliud quidquam egit, quam regem armauit et exercuit aduerſus Romanos. Quem quum vide-

ret domeſticis rebus minus eſſe robuſtum, conciliabat ceteros reges, adiungebatque bellicoſas nationes. Diſſidebat ab eo Pergamenus rex, Eumenes, Romanis amiciſſimus, bellumque inter eos gerebatur et mari et terra; quo magis cupiebat eum Hannibal obprimi. Sed vtrobique Eumenes plus valebat propter Romanorum ſocietatem: quem ſi removiſſet, faciliora ſibi cetera fore, arbitrabatur. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. Claſſe paucis diebus erant decreturi. Superabatur nauium multitudine. Dolo erat pugnandum, quum par non eſſet armis. Imperauit quam plurimas venenatas ſerpentes viuas conligi, easque in vaſa fictilia coniici. Harum quum confeciſſet magnam multitudinem, die ipſo, quo facturus erat nauale proelium, claſſiarios conuocat, hisque praecipit, omnes vt in vnam Eumenis regis concurrant nauem, a ceteris tantum ſatis habeant ſe defendere: id facile illos ſerpentium multitudine conſecuturos. Rex autem in qua naue veheretur, vt ſcirent, ſe facturum; quem ſi aut cepiſſent, aut interfeciſſent, magno his pollicetur id praemio fore.

XI. Tali cohortatione militum facta, claſſis ab vtrisque in proelium deducitur. Quarum acie conſtituta, priusquam ſignum pugnae daretur, Hannibal, vt palam faceret ſuis, quo loco Eumenes eſſet, tabellarium in ſcapha cum caduceo mittit; qui vbi ad naues aduerſariorum peruenit, epiſtolam oſtendens, ſe regem profeſſus eſt quaerere. Statim ad Eumenem deductus eſt, quod nemo dubitabat, aliquid de pace eſſe ſcriptum. Tabellarius, ducis naue declarata ſuis, eodem, vnde ierat, ſe recepit. At Eumenes, ſoluta epiſtola, nihil in ea reperit, niſi quod ad inridendum eum pertineret; cuius etſi cauſam mirabatur, neque reperiebatur, tamen proelium ſtatim committere non dubitauit. Horum in

concurſu Bithyni, Hannibalis praecepto, vniuerſi
nauem Eumenis adoriuntur: quorum vim quum
rex ſuſtinere non poſſet, fuga ſalutem petiit: quam
conſecutus non eſſet, niſi intra ſua praeſidia ſe re-
cepiſſet, quae in proximo litore erant conlocata. 5
Reliquae Pergamenae naues quum aduerſarios pre-
merent acrius, repente in eas vaſa fictilia, de qui-
bus ſupra mentionem fecimus, coniici coepta ſunt.
Quae iacta initio riſum pugnantibus excitarunt: nec,
quare id fieret, poterat intelligi. Poſtquam autem 6
naues completas conſpexerunt ſerpentibus, noua
re perterriti, quum, quid potiſſimum vitarent, non
viderent, puppes auerterunt, ſeque ad ſua caſtra
nautica retulerunt. Sic Hannibal conſilio arma
Pergamenorum ſuperauit: neque tunc ſolum, ſed
ſaepe alias pedeſtribus copiis pari prudentia pepulit
aduerſarios.

XII. Quae dum in Aſia geruntur, adcidit caſu, 1
vt legati Pruſiae Romae apud L. Quinctium Flami-
ninum, Conſularem, coenarent, atque, ibi de Han-
nibale mentione facta, ex his vnus diceret, eum in
Pruſiae regno eſſe. Id poſtero die Flamininus ſena- 2
tui detulit. Patres conſcripti, qui, Hannibale viuo,
numquam ſe ſine inſidiis futuros exiſtimabant, le-
gatos in Bithyniam miſerunt, in his Flamininum,
qui a rege peterent, ne inimiciſſimum ſuum ſecum
haberet, ſibique dederet. His Pruſias negare auſus 3
non eſt: illud recuſauit, ne id a ſe fieri poſtularent,
quod aduerſus ius hoſpitii eſſet: ipſi, ſi poſſent,
comprehenderent; locum, vbi eſſet, facile inuen-
turos. Hannibal enim vno loco ſe tenebat in ca-
ſtello, quod ei ab rege datum erat muneri, idque
ſic aedificarat, vt in omnibus partibus aedificii exi-
tum ſibi haberet, ſemper verens, ne vſu eueniret,
quod adcidit. Huc quum legati Romanorum eue- 4
niſſent, ac multitudine domum eius circumde-

diſſent, puer ab ianua proſpiciens Hannibali dixit, plures praeter conſuetudinem armatos adparere. Qui imperauit ei, vt omnes fores aedificii circumiret, ac propere ſibi renuntiaret, num eodem modo
5 vndique obſideretur. Puer quum celeriter, quid eſſet, renuntiaſſet, omnesque exitus obcupatos oſtendiſſet, ſenſit id non fortuito factum, ſed ſe peti, neque ſibi diutius vitam eſſe retinendam. Quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor priſtinarum virtutum, venenum, quod ſemper ſecum habere conſueuerat, ſumſit.

1 XIII. Sic vir fortiſſimus, multis variisque per-
A. V. functus laboribus, anno adquieuit ſeptuageſimo.
a. 570. Quibus Conſulibus interierit, non conuenit. Nam Atticus, Marco Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone Coſſ. mortuum, in annali ſuo ſcriptum reliquit. At Polybius L. Aemilio Paullo et Cn. Baebio Tamphilo: Sulpicius autem, P. Cornelio Cethego, M.
2 Baebio Tamphilo. Atque hic tantus vir tantisque bellis diſtrictus nonnihil temporis tribuit literis. Namque aliquot eius libri ſunt, Graeco ſermone confecti; in his ad Rhodios de Cn. Manilii Vulſonis
3 in Aſia rebus geſtis. Huius bella geſta multi memoriae prodiderunt: ſed ex his duo, qui cum eo in caſtris fuerunt, ſimulque vixerunt, quam diu fortuna paſſa eſt, Silenus et Soſilus Lacedaemonius. Atque hoc Soſilo Hannibal literarum Graecarum
4 vſus eſt doctore. Sed nos tempus eſt huius libri facere finem, et Romanorum explicare imperatores; quo facilius conlatis vtrorumque factis, qui viri praeferendi ſint, poſſit iudicari.

XXIV. MARCVS PORCIVS CATO.

[EX LIBRO POSTERIORI CORNELII NEPOTIS.]

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Eius Ortus. Adoleſcentia et officia.* II. *Conſul Hiſpaniam citeriorem ſortitus eſt. Cenſor grauiſſimus.* III. *Eius elogium, ſtudia, ſcripta.*

I. CATO, ortus municipio Tuſculo, adoleſcen- 1
tulus, priusquam honoribus operam daret, verſatus eſt in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Hortatu L. Valerii Flacci, quem in conſulatu cenſuraque habuit conlegam, vt M. Perperna Cenſorius narrare ſolitus eſt, Romam demigrauit, in foroque eſſe coepit. Primum ſtipen- 2
dium meruit annorum decem ſeptemque, Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coſſ. Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde vt rediit, caſtra ſecutus eſt C. Claudii Neronis, magnique eius opera exiſtimata eſt in proelio apud Senam; quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quaeſtor obtigit P. Cor- 3
nelio Scipioni Africano, conſuli; cum quo non pro ſortis neceſſitudine vixit: namque ab eo perpetua diſſenſit vita. Aedilis plebis factus eſt cum C. Helvio. Praetor prouinciam obtinuit Sardiniam, ex qua, quaeſtor ſuperiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat; quod non minoris aeſtimamus, quam quemlibet ampliſſimum Sardinienſem triumphum.

A. V. c. 538. A. V. c. 545. A. V. c. 547. A. V. c. 554. A. V. c. 553.

II. Conſulatum geſſit cum L. Valerio Flacco, 1
ſorte prouinciam nactus Hiſpaniam citeriorem, eaque ea triumphum deportauit. Ibi quum diutius 2
moraretur, P. Scipio Africanus, conſul iterum, cuius in priore conſulatu quaeſtor fuerat, voluit

A. V. c. 557.

eum de prouincia depellere, et ipse ei subcedere. Neque hoc per senatum efficere potuit, quum quidem Scipio in ciuitate principatum obtineret; quod tunc non potentia, sed iure res publica administrabatur. Qua ex re iratus senatui, consulatu perzacto, priuatus in Vrbe mansit. At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animaduertit, et multas res nouas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae iam tunc incipiebat pullulare. 4[Circiter annos octoginta, vsque ad extremam aetatem, ab adolescentia, rei publicae causa suscipere inimicitias non destitit. A multis tentatus, non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude creuit.

1 III. In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria. Nam et agricola solers, et rei publicae peritus, et iuris consultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus literarum fuit. 2Quarum studium etsi senior adripuerat, tamen tantum in eis progressum fecit, vt non facile reperire possis, neque de Graecis, neque de Italicis rebus, 3quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani; secundus et tertius, vnde quaeque ciuitas orta sit Italica: ob quam rem omnes Origines videtur adpellasse. In quarto autem bellum Poenicum primum; in quinto secundum. Atque haec omnia capitulatim sunt dicta. Reliquaque
A. V. c. 601. bella pari modo persecutus est, vsque ad praeturam 4Ser. Galbae, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominauit, sed sine nominibus res notauit. In iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria et diligentia comparet, multa doctrina.

Huius de vita et moribus plura in eo libro perſe-
cuti ſumus, quem ſeparatim de eo fecimus rogatu
T. Pomponii Attici. Quare ſtudioſos Catonis ad
illud volumen delegamus.

XXV. T. POMPONII ATTICI VITA EX CORNELIO NEPOTE.

ARGVMENTVM.

Cap. I. *Natus patre generoſo, nactus eſt praeclaras dotes.* II. *Athenas ſe confert. Athenienſes pecunia ſubleuat.* III. *Athenis ante alios cariſſimus.* IV. *Sullae adceptus, Romam remigrat.* V. *Q. Caecilii heres ex dodrante. Eius cum Cicerone et Hortenſio rara amicitiae copula.* VI. *Honoribus, litibus, praefecturis abſtinens, ſoli dignitati ſeruit.* VII. *In ciuili bello neque Pompeium, neque Caeſarem obſendit.* VIII. *Obciſo Caeſare, Brutum pecunia adiuuat.* IX. *Ne quidem Antonio infeſtus eſt, ſed eius vxori et liberis opitulatur.* X. *Antonius officiorum Attici memor.* XI. *Proſcriptis plurimis auxilio eſt.* XII. *Vipſanio et Antonio tantum vtitur in deprecandis amicorum periculis.* XIII. *De vita Attici priuata. Bonus paterfamilias et ciuis.* XIV. *Eius coena ſemper lectione condita; prudens pecuniae vſus.* XV. *Mendacii oſor, et laboris amans.* XVI. *Senibus adoleſcens et adoleſcentibus ſenex pariter iucundus.* XVII. *Eius pietas in matrem.* XVIII. *Antiquitatis amor.* XIX *Morum elegantia peruenit in adfinitatem diui Iulii.* XX. *Caeſaris, et Antonii cum Attico familiaritas.* XXI. *Extremus eius morbus.* XXII. *Eius mors et ſepultura.*

I. T. Pomponivs Atticvs, ab origine vltimae ſtirpis Romanae generatus, perpetuo a maioribus adceptam equeſtrem obtinuit dignitatem. Patres vſus eſt diligente, indulgente, et, vt tunc erant tempora, diti, in primisque ſtudioſo literarum. Hic, prout ipſe amabat literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas inpertiri debet, filium erudiuit. Erat autem in puero, praeter docilitatem ingenii,

ſumma ſuauitas oris ac vocis, vt non ſolum celeriter adciperet, quae tradebantur, ſed etiam excellenter pronuntiaret. Qua ex re in pueritia nobilis inter aequales ferebatur, clariusque exſplendeſcebat, quam generoſi condiſcipuli animo aequo ferre
4poſſent. Itaque incitabat omnes ſtudio ſuo; quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius filius, M. Cicero: quos conſuetudine ſua ſic ſibi deuinxit, vt nemo iis perpetuo fuerit carior.

1 II. Pater mature deceſſit. Ipſe adoleſcentulus propter adfinitatem P. Sulpicii, qui Tribunus plebis interfectus eſt, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii conſobrina, nupſerat M. Seruio, fratri P. Sulpicii. Itaque interfecto Sulpicio, poſteaquam vidit, Cinnano tumultu ciuitatem eſſe perturbatam, neque ſibi dari facultatem pro dignitate viuendi, quin alterutram partem obſenderet, diſſociatis animis ciuium, quum alii Sullanis, alii Cinnanis fauerent partibus: idoneum tempus ratus
A. V c. 665 ſtudiis obſequendi ſuis, Athenas ſe contulit. Neque eo ſecius adoleſcentem Marium, hoſtem iudicatum, iuuit opibus ſuis; cuius fugam pecunia ſubleuauit.
3Ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod adferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit ſuarum. Hic ita vixit, vt vniuerſis
4Athenienſibus merito eſſet cariſſimus. Nam praeter gratiam, quae iam in adoleſcentulo magna erat, ſaepe ſuis opibus inopiam eorum publicam leuauit. Quum enim verſuram facere publice neceſſe eſſet, neque eius conditionem aequam haberent; ſemper ſe interpoſuit, atque ita, vt neque vſuram vmquam ab iis adceperit, neque longius, quam dictum eſſet,
5eos debere paſſus ſit. Quod vtrumque erat iis ſalutare. Nam neque indulgendo inueteraſcere eorum
6aes alienum patiebatur, neque multiplicandis vſuris creſcere. Auxit hoc officium alia quoque libe-

ralitate. Nam vniuerſos frumento donauit, ita vt ſingulis ſeptem modii tritici darentur: qui modus menſurae medimnus Athenis adpellatur.

III. Hic autem ſic ſe gerebat, vt communis in-1 fimis, par principibus videretur. Quo factum eſt, vt huic omnes honores, quos poſſent, publice haberent, ciuemque facere ſtuderent. Quo beneficio ille vti noluit. Quod nonnulli ita interpretantur, amitti ciuitatem Romanam, alia adſcita. Quamdiu2 adfuit, ne qua ſibi ſtatua poneretur, reſtitit: abſens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipſi et Phidiae, locis ſanctiſſimis, poſuerunt. Hunc enim in omni procuratione rei publicae actorem auctoremque habebant. Igitur primum illud munus for-3 tunae, quod in ea potiſſimum vrbe natus eſt, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperii, vt eamdem et patriam haberet et domum. Hoc ſpecimen prudentiae, quod, quum in eam ciuitatem ſe contuliſſet, quae antiquitate, humanitate, doctrina praeſtaret omnes, vnus ei ante alios fuerit cariſſimus.

IV. Huc ex Aſia Sulla decedens quum veniſſet,1 quamdiu ibi fuit, ſecum habuit Pomponium, captus adoleſcentis et humanitate et doctrina. Sic enim Graece loquebatur, vt Athenis natus videretur. Tanta autem ſuauitas erat ſermonis Latini, vt adpareret, in eo natiuum quemdam leporem eſſe, non adſcitum. Idem poemata pronuntiabat et Graece et Latine ſic, vt ſupra nihil poſſet addi. Quibus2 rebus factum eſt, vt Sulla nusquam [eum] ab ſe dimitteret, cuperetque ſecum deducere. Qui quum perſuadere tentaret: Noli, oro te, inquit Pomponius, aduerſum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. At Sulla, adoleſcentis officio conlaudato, omnia munera ei, quae Athenis adceperat, proficiſcens iuſſit deferri. Hic complures annos moratus, quum et rei fami-3

liari tantum operae daret, quantum non indiligens deberet pater familias, et omnia reliqua tempora aut literis, aut Athenienſium rei publicae tribueret, 4nihilo minus amicis vrbana officia praeſtitit. Nam et ad comitia eorum ventitauit, et, ſi qua res maior acta eſt, non defuit; ſicut Ciceroni in omnibus [eius] periculis ſingularem fidem praebuit: cui ex patria fugienti ſeſtertium ducenta et quinquaginta 5milia donauit. Tranquillatis autem rebus Roma-
A. V. nis, remigrauit Romam, vt opinor, L. Cotta et L.
a. 687. Torquato Coſſ.; quem diem ſic vniuerſa ciuitas Athenienſium proſecuta eſt, ut lacrumis deſiderii futuri dolorem indicaret.

1 V. Habebat auunculum Q. Caecilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, diuitem, difficillima natura: cuius ſic aſperitatem veritus eſt, vt, quem nemo ferre poſſet, huius ſine obſenſione ad ſummam ſenectutem retinuerit beneuolentiam. 2Quo facto tulit pietatis fructum. Caecilius enim moriens teſtamento adoptauit eum heredemque fecit ex dodrante; ex qua hereditate adcepit circiter 3centies ſeſtertium. Erat nupta ſoror Attici Q. Tullio Ciceroni; easque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo a condiſcipulatu viuebat coniunctiſſime, multo etiam familiarius, quam cum Quinto; vt iudicari poſſit, plus in amicitia valere ſimilitudinem 4morum, quam adfinitatem. Vtebatur autem intime Q. Hortenſio, qui iis temporibus principatum eloquentiae tenebat, vt intelligi non poſſet, vter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius: et id, quod erat difficillimum, efficiebat, vt, inter quos tantae laudis eſſet aemulatio, nulla intercederet obtrectatio, eſſetque talium virorum copula.

1 VI. In re publica ita verſatus eſt, vt ſemper optimarum partium et eſſet et exiſtimaretur, neque tamen ſe ciuilibus fluctibus committeret, quod non

magis eos in ſua poteſtate exiſtimabat eſſe, qui ſe iis dediſſent, quam qui maritimis iactarentur. Ho-2 nores non petiit, quum ei paterent propter vel gratiam vel dignitatem: quod neque peti more maiorum, neque capi poſſent, conſeruatis legibus, in tam effuſis ambitus largitionibus, neque geri e re publica ſine periculo, conruptis ciuitatis moribus. Ad haſtam publicam numquam adceſſit. Nullius3 rei neque praes, neque manceps factus eſt. Neminem neque ſuo nomine, neque ſubſcribens adcuſavit. In ius de ſua re numquam iit; iudicium nullum habuit. Multorum conſulum praetorumque4 praefecturas delatas ſic adcepit, vt neminem in prouinciam ſit ſecutus, honore fuerit contentus, rei familiaris deſpexerit fructum. Qui ne cum Q. qui- A. V. dem Cicerone voluerit ire in Aſiam, quum apud c. 691. eum legati locum obtinere poſſet. Non enim decere ſe arbitrabatur, quum praeturam gerere noluiſſet, adſeclam eſſe praetoris. Qua in re non ſo-5 lum dignitati ſeruiebat, ſed etiam tranquillitati, quum ſuſpiciones quoque vitaret criminum. Quo fiebat, vt eius obſeruantia omnibus eſſet carior; quum eam officio, non timori, neque ſpei, tribui viderent.

VII. Incidit Caeſarianum ciuile bellum, quum1 haberet annos circiter ſexaginta. Vſus eſt aetatis A. V. vacatione, neque [ſe] quoquam mouit ex Vrbe. Quae c. 703. amicis ſuis opus fuerant ad Pompeium proficiſcentibus, omnia ex ſua re familiari dedit. Ipſum2 Pompeium coniunctum non obſendit, (nullum ab eo habebat ornamentum,) vt ceteri, qui per eum aut honores, aut diuitias ceperant: quorum partim inuitiſſimi caſtra ſunt ſecuti, partim ſumma cum eius obſenſione domi remanſerunt. Attici autem3 quies tantopere Caeſari fuit grata, vt victor, quum priuatis pecunias per epiſtolas imperaret, huic non

ſolum moleſtus non fuerit, ſed etiam ſororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeii caſtris conceſſerit. Sic vetere inſtituto vitae effugit noua pericula.

1 VIII. Secutum eſt illud, obciſo Caeſare, quum
A. V. res publica penes Brutos videretur eſſe et Caſſium,
c. 708. ac tota ciuitas ſe ad eos conuertiſſe. Sic M. Bruto
2 vſus eſt, vt nullo ille adoleſcens aequali familiarius, quam hoc ſene, neque ſolum eum principem con-
3 ſilii haberet, ſed etiam in conuictu. Excogitatum eſt a quibusdam, vt priuatum aerarium Caeſaris interfectoribus ab Equitibus Romanis conſtitueretur. Id facile effici poſſe arbitrati ſunt, ſi et principes illius ordinis pecunias contuliſſent. Itaque adpellatus eſt a C. Flauio, Bruti familiari, Atticus, vt
4 eius rei princeps eſſe vellet. At ille, qui officia amicis praeſtanda ſine factione exiſtimaret, ſemperque a talibus ſe conſiliis remouiſſet, reſpondit: Si quid Brutus de ſuis facultatibus vti voluiſſet, vſurum, quantum eae paterentur: ſe neque cum quoquam de ea re conlocuturum, neque coiturum. Sic ille conſenſionis globus huius vnius diſſenſione dis-
5 iectus eſt. Neque multo poſt ſuperior eſſe coepit Antonius, ita vt Brutus et Caſſius, prouinciarum, quae iis necis cauſa datae erant a conſulibus, de-
6 ſperatis rebus, in exſilium proficiſcerentur. Atticus, qui pecuniam ſimul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abiecto Bruto Italiaque cedenti, ſeſtertium centum milia muneri miſit. Eidem in Epiro abſens trecenta iuſſit dari; neque eo magis potenti adulatus eſt Antonio, neque deſperatos reliquit.

1 IX. Secutum eſt bellum geſtum apud Mutinam. In quo ſi tantum eum prudentem dicam, minus, quam debeam, praedicem, quum ille potius diuinus fuerit; ſi diuinatio adpellanda eſt perpetua naturalis bonitas, quae nullis caſibus neque agitur, neque

minuitur. Hoſtis Antonius iudicatus Italia ceſſerat: 2
ſpes reſtituendi nulla erat. Non ſolum [eius] inimici, qui tunc erant potentiſſimi et plurimi, ſed etiam qui aduerſariis eius ſe dabant, et in eo laedendo ſe aliquam conſecuturos ſperabant commendationem, Antonii familiares inſequebantur, vxorem Fuluiam omnibus rebus ſpoliare cupiebant: liberos etiam exſtinguere parabant. Atticus, quum 3
Ciceronis intima familiaritate vteretur, amiciſſimus eſſet Bruto, non modo nihil iis indulſit ad Antonium violandum, ſed e contrario familiares eius ex Vrbe profugientes, quantum potuit, texit; quibus rebus indigueruut, adiuuit. P. vero Volumnio 4
ea tribuit, vt plura a parente proficiſci non potuerint. Ipſi autem Fuluiae, quum litibus distineretur magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium ſuum praeſtitit, vt nullum illa ſtiterit vadimonium ſine Attico; hic ſponſor omnium rerum fuerit. Quin etiam, quum illa fundum ſe- 5
cunda fortuna emiſſet in diem, neque poſt calamitatem verſuram facere potuiſſet, ille ſe interpoſuit, pecuniamque ſine fenore ſineque vlla ſtipulatione ei credidit, maximum exiſtimans quaeſtum, memorem gratumque cognoſci, ſimulque aperire, ſe non fortunae, ſed hominibus ſolere eſſe amicum. Quae quum faciebat, nemo eum temporis cauſa fa- 6
cere poterat exiſtimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Sed 7
ſenſim is a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odiſſe malos ciues videretur.

X. Ille autem ſui iudicii, potius, quid ſe facere 1
par eſſet, intuebatur, quam quid alii laudaturi forent. Conuerſa ſubito fortuna eſt. Vt Antonius 2
rediit in Italiam, nemo non magno [in] periculo Atticum [futurum] putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis et Bruti. Itaque ad aduentum

imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem, latebatque apud P. Volumnium, cui, vt ostendimus paullo ante, opem tulerat: (tanta varietas iis temporibus fuit fortunae, vt modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio, aut periculo) habebatque secum Q. Gellium Canum, aequalem similimumque sui. Hoc quoque fit Attici bonitatis exemplum, quod cum eo, quem puerum in ludo cognouerat, adeo coniuncte vixit, vt ad extremam aetatem amicitia eorum creuerit. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, vt non solum ei, sed omnibus etiam eius amicis esset inimicus eosque vellet proscribere, multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officii, et ei, quum requisisset, vbinam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimque ad se veniret: se eum et [illius causa] Gellium Canum de proscriptorum numero exemisse. Ac, ne quod in periculum incideret, quod noctu fiebat, praesidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, praesidio fuit. Neque enim suae solum a quoquam auxilium petiit salutis, sed coniunctim; vt adpareret, nullam seiunctam sibi ab eo velle esse fortunam. Quod si gubernator praecipua laude fertur, qui nauem ex hieme marique scopuloso seruat: cur non singularis eius existimetur prudentia, qui ex tot tamque grauibus procellis ciuilibus ad incolumitatem peruenit?

XI. Quibus ex malis vt se emerserat, nihil aliud egit, quam vt plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Quum proscriptos praemiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res vlla defuerit. Nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est; qui etiam, post proelium Philippense interitumque C. Cassii et M. Bruti, L. Iulium Mocillam, praetorium, et eius filium, Aulum-

que Torquatum, ceterosque pari fortuna perculsos, instituerit tueri, atque ex Epiro his omnia Samothraciam subportari iusserit. Difficile est omnia 3
persequi, et non necessaria. Illud vnum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac tempo- 4
ribus iudicari potest, quod non florentibus se venditauit, sed adflictis semper subcurrit: qui quidem Seruiliam, Bruti matrem, non minus post mortem eius, quam florente, coluerit. Sic liberalitate vtens, 5
nullas inimicitias gessit; quod neque laedebat quemquam, neque, si quam iniuriam adceperat, malebat vlcisci, quam obliuisci. Idem inmortali memoria percepta retinebat beneficia; quae autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui adceperat. Itaque hic fecit, vt vere dictum vi- 6
deatur: *Sui cuique mores fingunt fortunam.* Neque tamen prius ille fortunam, quam se ipse, finxit; qui cauit, ne qua in re iure plecteretur.

XII. His igitur rebus effecit, vt M. Vipsanius 1
Agrippa, intima familiaritate coniunctus adolescenti Caesari, quum propter suam gratiam et Caesaris potentiam nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum eius deligeret adfinitatem, praeoptaretque Equitis Romani filiam generosarum nuptiis. Atque harum nuptiarum conciliator fuit 2
(non est enim celandum) M. Antonius, triumuir rei publicae constituendae: cuius gratia quum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate pecuniae, vt nulla in re vsus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. Quod quidem sub ipsa proscriptione perinlustre fuit. 3
Nam quum L. Saufeii, Equitis Romani, aequalis sui, qui [cum eo] complures annos, studio ductus philosophiae, habitabat, habebatque in Italia pretiosas possessiones, triumuiri bona vendidissent, con-

ſuetudine ea, qua tunc res gerebantur; Attici labore atque induſtria factum eſt, vt eodem nuntio Saufeius fieret certior, ſe patrimonium amiſiſſe, et recuperaſſe. Idem L. Iulium Calidum, quem, poſt Lucretii Catullique mortem, multo elegantiſſimum poetam noſtram tuliſſe aetatem, vere videor poſſe contendere, neque minus virum bonum optimisque artibus eruditum, poſt proſcriptionem Equitum, propter magnas eius Africanas poſſeſſiones, in proſcriptorum numerum a P. Volumnio, praefecto fabrum Antonii, abſentem relatum, expediuit. Quod in praeſenti vtrum ei laborioſius, an glorioſius fuerit, difficile fuit iudicare: quod in eorum periculis, non ſecus abſentes, quam praeſentes amicos Attico eſſe curae, cognitum eſt.

XIII. Neque vero minus ille vir bonus paterfamilias habitus eſt, quam ciuis. Nam quum eſſet pecunioſus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. Neque tamen non in primis bene habitauit, omnibusque optimis rebus vſus eſt. Nam domum habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab auunculo hereditate relictam; cuius amoenitas non aedificio, ſed ſilua conſtabat. Ipſum enim tectum, antiquitus conſtitutum, plus ſalis, quam ſumtus habebat: in quo nihil commutauit, niſi ſi quid vetuſtate coactus eſt. Vſus eſt familia, ſi vtilitate iudicandum eſt, optima: ſi forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri literatiſſimi, anagnoſtae optimi, et plurimi librarii, vt ne pediſſequus quidem quisquam eſſet, qui non vtrumque horum pulcre facere poſſet. Pari modo artifices ceteri, quos cultus domeſticus deſiderat, adprime boni. Neque tamen horum quemquam, niſi domi natum domique factum, habuit: quod eſt ſignum non ſolum continentiae, ſed etiam diligentiae. Nam

et non intemperanter concupiſcere, quod a plurimis videas, continentis debet duci; et potius diligentia, quam pretio, parare, non mediocris eſt induſtriae. Elegans, non magnificus; ſplendidus,5 non ſumtuoſus; omni diligentia munditiem, non adfluentiam adfectabat. Supellex modica, non multa, vt in neutram partem conſpici poſſet. Nec6 hoc praeteribo, quamquam nonnullis leue viſum iri putem. Quum in primis lautus eſſet Eques Romanus, et non parum liberaliter domum ſuam omnium ordinum homines inuitaret; ſcimus non amplius, quam terna milia aeris, peraeque in ſingulos menſes, ex ephemeride eum expenſum ſumtui ferre ſolitum. Atque hoc non auditum,7 ſed cognitum praedicamus. Saepe enim, propter familiaritatem, domeſticis rebus interfuimus.

XIV. Nemo in conuiuio eius aliud acroama au-1 diuit, quam anagnoſten; quod nos quidem iucundiſſimum arbitramur. Neque vmquam ſine aliqua lectione apud eum coenatum eſt, vt non minus animo, quam ventre, conuiuae delectarentur. Nam-2 que eos vocabat, quorum mores a ſuis non abhorrerent. Quum tanta pecuniae facta eſſet adceſſio; nihil de quotidiano cultu mutauit, nihil de vitae conſuetudine: tantaque vſus eſt moderatione, vt neque in ſeſtertio vicies, quod a patre adceperat, parum ſe ſplendide geſſerit, neque in ſeſtertio centies adfluentius vixerit, quam inſtituerat; parique faſtigio ſteterit in vtraque fortuna. Nullos habuit,3 hortos, nullam ſuburbanam aut maritimam ſumtuoſam villam, neque in Italia, praeter Ardeatinum et Nomentanum, ruſticum praedium; omnisque eius pecuniae reditus conſtabat in Epiroticis et vrbanis poſſeſſionibus. Ex quo cognoſci poteſt, eum vſum pecuniae non magnitudine, ſed ratione metiri ſolitum.

1 XV. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque eius comitas non ſine ſeueritate erat, neque grauitas ſine facilitate; vt difficile eſſet intellectu, vtrum eum amici magis vererentur, quam amarent. Quidquid rogabatur, religioſe promittebat; quod non liberalis, ſed leuis arbitraba-
2tur, polliceri, quod praeſtare non poſſet. Idem in nitendo, quod ſemel adnuiſſet, tanta erat cura, vt non mandatam, ſed ſuam rem videretur agere. Numquam ſuscepti negotii eum pertaeſum eſt. Suam enim exiſtimationem in ea re agi putabat; qua
3nihil habebat carius. Quo fiebat, vt omnia Ciceronum, Catonis, [Marii, Q.] Hortenſii, Auli Torquati, multorum praeterea Equitum Romanorum negotia procuraret. Ex quo iudicari poterat, non inertia, ſed iudicio fugiſſe rei publicae procurationem.

1 XVI. Humanitatis vero nullum adferre maius teſtimonium poſſum, quam quod adoleſcens idem ſeni Sullae fuerit iucundiſſimus, ſenex adoleſcenti M. Bruto; cum aequalibus autem ſuis, Q. Hortenſio et M. Cicerone, ſic vixerit, vt iudicare difficile
2ſit, cui aetati fuerit aptiſſimus: quamquam eum praecipue dilexit Cicero, vt ne frater quidem ei
3Quintus carior fuerit aut familiarior. Ei rei ſunt indicio, praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus [iam] ſunt editi, ſexdecim volumina epiſtolarum, ab conſulatu eius vsque ad extremum tempus ad Atticum miſſarum: quae qui legat, non multum deſideret hiſtoriam contex-
4tam illorum temporum. Sic enim omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, mutationibus rei publicae perſcripta ſunt, vt nihil in iis non adpareat, et facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodam-
5modo eſſe diuinationem. Non enim Cicero ea ſolum, quae viuo ſe adciderunt, futura prae-

dixit, ſed etiam, quae nunc vſu veniunt, cecinit, vt vates.

XVII. De pietate autem Attici quid plura commemorem? quum hoc ipſum vere gloriantem audierim in funere matris ſuae, quam extulit annorum nonaginta, quum eſſet ipſe ſeptem et ſexaginta, ſe numquam cum matre in gratiam rediſſe, numquam cum ſorore fuiſſe in ſimultate, quam prope aequalem habebat. Quod eſt ſignum, aut nullam vmquam inter eos querimoniam interceſſiſſe, aut hunc ea fuiſſe in ſuos indulgentia, vt, quos amare deberet, iraſci eis nefas duceret. Neque id fecit natura ſolum, quamquam omnes ei paremus, ſed etiam doctrina. Nam et principum philoſophorum ita percepta habuit praecepta, vt iis, ad vitam agendam, non ad oſtentationem, vteretur.

XVIII. Moris etiam maiorum ſummus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, vt eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ornauit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res inluſtris eſt populi Romani, quae non in eo ſuo tempore ſit notata: et, quod difficillimum fuit, ſic familiarum originem ſubtexuit, vt ex eo clarorum virorum propagines poſſimus cognoſcere. Fecit hoc idem ſeparatim in aliis libris; vt, M. Bruti rogatu, Iuniam familiam a ſtirpe ad hanc aetatem ordine enumerauit, notans, qui, a quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepiſſet. Pari modo Marcelli Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornelii, et Fabii Maximi, Fabiorum, et Aemiliorum quoque. Quibus libris nihil poteſt eſſe dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum. Adtigit quoque poeticen; credimus, ne eius expers eſſet ſuauitatis. Namque verſibus, qui honore rerumque geſtarum amplitudine ceteros

6Romani populi praeſtiterunt, expoſuit; ita, vt ſub ſingulorum imaginibus facta magiſtratusque eorum non amplius quaternis quinisue verſibus deſcripſerit. Quod vix credendum ſit, tantas res tam breuiter potuiſſe declarari. Eſt etiam liber Graece confectus de conſulatu Ciceronis. Hactenus, Attico viuo, edita haec a nobis ſunt.

1 XIX. Nunc, quoniam fortuna nos ſuperſtites ei eſſe voluit, reliqua perſequemur: et, quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, ſicut ſupra ſignificauimus, ſuos cuique mores plerumque conciliare fortunam. Namque hic contentus ordine equeſtri, quo erat ortus, in adfinitatem peruenit imperatoris Diui [Iulii] filii, quum iam ante familiaritatem eius eſſet conſecutus, nulla alia re, quam elegantia vitae, qua ceteros ceperat principes ciuitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. Tanta enim proſperitas Caeſarem eſt conſecuta, vt nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit; et conciliarit, quod nemo 3adhuc ciuis Romanus quiuit conſequi. Nata autem eſt Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam conlocarat. Hanc Caeſar, vix anniculam, Tiberio Claudio Neroni, Druſilla nato, priuigno ſuo, deſpondit: quae coniunctio neceſſitudinem eorum ſanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.

1 XX. Quamuis ante haec ſponſalia non ſolum, quum ab Vrbe abeſſet, numquam ad ſuorum quemquam literas miſit, quin Attico mitteret, quid ageret, in primis, quid legeret, quibusque in locis, et quamdiu eſſet moraturus: ſed etiam quum eſſet in Vrbe, et propter ſuas infinitas obcupationes minus ſaepe, quam vellet, Attico frueretur, nullus dies tamen temere interceſſit, quo non ad eum ſcriberet, quum modo aliquid de antiquitate ab eo requireret, modo aliquam ei quaeſtionem

poeticam proponeret, interdum iocans eius verbo-
siores eliceret epistolas. Ex quo adcidit, quum3 aedes Iouis Feretrii, in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur, vt, Attici admonitu, Caesar eam reficiendam curaret. Neque vero ab M. Antonio minus ab-4 sens literis colebatur; adeo, vt adcurate ille ex vltimis terris, quid ageret, quid curae sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, faci-5 lius existimabit is, qui iudicare poterit, quantae sit sapientiae, eorum retinere vsum beneuolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit incidere necesse inter Caesarem atque Antonium, quum se vterque principem non solum vrbis Romanae, sed orbis terrarum, esse cuperet.

XX. Tali modo quum septem et septuaginta1 annos compleſſet, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quam gratia fortunaque, creviſſet, (multas enim hereditates nulla alia re, quam bonitate, est consecutus) tantaque prosperitate vsus esset valetudinis, vt annos triginta medicina non indiguisset; nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contemserunt. Nam pu-2 tarunt esse tenesmon, cui remedia celeria faciliaque proponebantur. In hoc quum tres menses3 sine vllis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumsisset; subito tanta vis morbi in vnum intestinum prorupit, vt extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Atque4 hoc priusquam ei adcideret, postquam in dies dolores adcrescere, febremque adcessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessiri iussit, et cum eo L. Cornelium Balbum Sextumque Peducaeum. Hos5 vt venisse vidit, in cubitum innixus, quantam, inquit, curam diligentiamque in valetudine mea

tuenda hoc tempore adhibuerim, quum vos teſtes habeam, nihil neceſſe eſt pluribus verbis commemorare. Quibus quoniam, vt ſpero, ſatisfeci, me nihil reliqui feciſſe, quod ad ſanandum me pertineret; reliquum eſt, vt egomet mihi conſulam. 6Id vos ignorare nolui. Nam mihi ſtat, alere morbum deſinere. Namque his diebus quidquid cibi potionisque ſumſi, ita produxi vitam, vt auxerim dolores ſine ſpe ſalutis. Quare a vobis peto primum, vt conſilium probetis meum: deinde, ne fruſtra dehortando conemini.

1 XXII. Hac oratione habita, tanta conſtantia
A. V. vocis atque vultus, vt non ex vita, ſed ex domo
c. 721. in domum videretur migrare, quum quidem Agrippa eum flens atque oſculans oraret atque obſecraret, ne ad id, quod natura cogeret, ipſe quoque adceleraret, et, quoniam tunc quoque poſſet temporibus ſupereſſe, ſe ſibi ſuisque reſeruaret; preces 2eius taciturna ſua obſtinatione depreſſit. Sic quum biduum cibo ſe abstinuiſſet, ſubito febris deceſſit, leuiorque morbus eſſe coepit. Tamen propoſitum 3nihilo ſecius peregit. Itaque die quinto poſt, quam id conſilium inierat, pridie Kalendas Apriles, Cn. Domitio, C. Soſio Coſſ. deceſſit. Elatus eſt in lecticula, vt ipſe praeſcripſerat, ſine vlla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus eſt iuxtà viam Appiam, ad quintum lapidem, in monimento Q. Caecilii, auunculi ſui.

CORNELII NEPOTIS
FRAGMENTA
QVAE REPERIRI POTVERVNT OMNIA
ANDREAE SCHOTTI
STVDIO CONLECTA

NVNC PASSIM EMENDATA ET ALICVBI AVCTA.

Chronicorum Lib. I.

CAP. I. De Homero et Hesiodo inter omnes ferei scriptores constitit, vtrumque vixisse ante Romam conditam, vt Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum et sexaginta. Gellius 17, 21, 3.

Nepoti et Lutatio Romam placet conditam a Olympiadis septimae anno secundo. Solinus cap. 2.

Archilochum Nepos Cornelius tradit, Tullo Ho 3 stilio Romae regnante, iam tunc poematis clarum et nobilem. A. Gell. 17, 21, 8.

M. Manlius Romae, qui Gallos in obsidione Ca- 4 pitolii obrepentes per ardua depulerat, conuictus est consilium de regno obcupando iisse: damnatusque capitis, e saxo Tarpeio, vt M. Varro ait, praeceps datus est: vt Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est. Gellius c. l.

Alexander Magnus Pellae oritur, vt Nepos edi- 5 dit, M. Fabio Ambusto, Tito Quinctio Capitolino Coss. post Romam conditam anno trecentesimo octogesimo quinto. Solin. c. 40.

P. Terentius maxime familiariter vixit cum Sci- 6 pione Africano et C. Laelio, etc. quamuis Corne-

lius Nepos omnes aequales fuiſſe tradat. Donatus in vitae Terentii princ.

CORNELII NEPOTIS *Exemplorum* Lib. II.

1 Cap. II. A Virgine Veſtale. Soſipater Chariſius lib. 1. p. 119. ed. Putſch.

Lib. V.

2 Cornelius Nepos exemplorum quinto literis mandauit, multis in Senatu placuiſſe, vt ii, qui redire nollent, datis cuſtodibus ad Hannibalem deducerentur: ſed eam ſententiam numero plurium, quibus id non videretur, ſuperatam; eos tamen, qui ad Hannibalem non rediſſent, vsque adeo inteſtabiles inuiſosque fuiſſe, vt taedium vitae ceperint, necemque ſibi conſciuerint. A. Gell. 7, 18, 11.

CORNELII NEPOTIS *Inluſtrium Virorum* Lib. II.

1 Cap. III. Subinde. Chariſius lib. 2. p. 195. ed. cit.

Lib. XV.

2 Harum partum. Chariſius lib. 1. p. 114.

Lib. XVI.

3 A fratre patruele. Chariſ. lib. 1. p. 113.

Incerta quo libro Virorum Inluſtr. poſita.

4 Karthago antea ſpeciem habuit duplicis oppidi, quaſi aliud alterum amplecteretur. Cuius interior pars Byrſa dicebatur, exterior Magalia. Huius rei teſtis eſt C. Nepos in eo libro, qui Vita Inluſtrium inſcribitur. Serv. ad Virg. 1. Aen. 372.

5 Propius Grammatico adceſſi. Diomedes lib. I. Grammat. p. 405.

6 Albinus, qui cum L. Lucullo conſul fuit, res Romanas oratione Graeca ſcriptitauit. In eius Hiſtoriae principio ſcriptum eſt ad hanc ſententiam: neminem ſubcenſere ſibi conuenire, ſi quid in his

libris parum compoſite, aut minus eleganter ſcriptum foret. Nam ſum, inquit, homo Romanus, natus in Latio: Graeca oratio a nobis alieniſſima eſt. Ideoque veniam gratiamque malae exiſtimationis, ſi quid eſſet erratum, poſtulauit. Ea quum legiſſet M. Cato: Nae tu, inquit, Aule, nimium nugator es, quum maluiſti culpam deprecari, quam culpa vacare. Nam petere veniam ſolemus, aut quum inprudentes errauimus, aut quum expulſi peccauimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, vt id committeres, quod priusquam faceres, peteres, vt ignoſceretur. Scriptum hoc eſt in libro Cornelii Nepotis de inluſtribus viris. Gellius 11, 8. et Macrobius Saturn. prooem. extr.

CORNELII NEPOTIS Lib. I. *de Vita Ciceronis.*

Cap. IV. Cornelius Nepos et rerum memoriae non indiligens, et M. Ciceronis, vt qui maxime, amicus familiaris fuit: atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius compoſuit, erraſſe videtur, quum eum ſcripſit tres et viginti annos natum primam cauſam iudicii publici egiſſe, Sextumque Roſcium parricidii reum defendiſſe. Gellius 15, 28. in.

Fruſtra Tullium ſuſpicimus. Refert enim Cornelius Nepos, ſe praeſente, iisdem paene verbis, quibus edita eſt, eam pro Cornelio, ſeditioſo tribuno, defenſionem peroratam. Hieronymus epiſt. 71. ad Pammachium c. 4.

CORNELII NEPOTIS Lib. I. *Epiſtolarum ad Ciceronem.*

Cap. V. Tantum abeſt, vt ego magiſtrum eſſe putem vitae philoſophiam beataeque vitae perfectricem; vt nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris vivendi, quam plerisque, qui in ea diſputanda verſantur. Video enim magnam partem eorum, qui in ſchola de pudore et continentia praecipiant ar-

gutiſſime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere. Lactant. diuin. inſtit. 3, 15, 10.

M. TVLLII CICERONIS AD CORNELIVM NEPOTEM *Epiſtolarum* Lib. II.

2 Itaque noſtri, quum omnia, quae dixiſſemus, dicta eſſent, quae facete et breuiter et acute loquuti eſſemus, ea proprio nomine adpellari *dicta* voluerunt. Macrobius Saturnal. 2, 1.

Ad eumdem, ex libro incerto.

3* Hoc reſtiterat etiam, vt a te fictis adgrederer donis. Priſcianus Grammat. lib. 8. p. 792.

4 Qui habet, vltro adpetitur: qui eſt pauper, adſpernatur. Idem c. l.

5 Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis ſententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior? Sueton. Caeſ. 55.

6 Vt Tullius docet, crudelitatis increpans Caeſarem in quadam ad Nepotem epiſtola. Neque enim quidquam aliud eſt felicitas, inquit, niſi honeſtarum rerum proſperitas. Vel, vt alio modo definiam, felicitas eſt fortuna adiutrix conſiliorum bonorum: quibus qui non vtitur, felix nullo pacto eſſe poteſt. Ergo in perditis inpiisque conſiliis, quibus Caeſar vſus erat, nulla potuit eſſe felicitas: feliciorque meo iudicio Camillus exſulans, quam temporibus iisdem Manlius, etiamſi, id quod cupierat, regnare potuiſſet. Ammian. Marcellin. lib. 21. extr.

7 Haec quidam veterum formidantes, cognitiones actuum variorum, ſtylis vberibus explicatas, non edidere ſuperſtites, vt in quadam ad Cornelium Nepotem epiſtola Tullius quoque teſtis reuerendus adfirmat. Idem lib. 26. in.

Sententiae illius Tullianae ignarus, docentis, infelices esse eos, qui omnia sibi licere existimarunt. Idem lib. 26. extr. 8

Idem ad Atticum de Nepote Libr. 16. Ep. 5.

Nepotis epistolam exspecto; cupidus ille meorum, qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet? et ais μετ' ἀμύμονα: tu vero ἀμύμων, ille quidem ἄμβροτος. 9

Male narras de Nepotis filio. Valde mehercule moueor, et molestе fero. Nescieram omnino, esse istum puerum. Ep. 14. 10

FRAGMENTA,

INCERTA, PARTIM QVO LIBRO POSITA, PARTIM QVIBVS VERBIS CONCEPTA.

Cap. VI. Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kalend. Martiis admonitum ab vxore, temporius vt discumberet, petiisse, ab ea ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non saepe in scribendo magis subcessisse sibi: deinde rogatum, scripta illa proferret, pronuntiasse versus, qui sunt in ἑαυτοντιμορουμένῳ: 1

Satis pol proterue me Syri promissa huc induxerunt.

Donat. in vita Terentii.

L. Otacilius Pilitus, Rhetoricam professus, Cn. Pompeium Magnum docuit; patris eius res gestas, nec minus ipsius, compluribus libris expositi: primus omnium libertinorum, vt Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam. Suetonius de claris rhetor. cap. 3. 2

3 Cornelius Nepos in libello, quo diſtinguit literatum ab erudito, literatos vulgo quidem adpellari ait eos, qui aliquid diligenter et acute ſcienterque poſſint aut dicere, aut ſcribere: ceterum proprie ſic adpellandos poetarum interpretes, qui a Graecis γραμματικοὶ nominentur. Sueton. de inluſtr. Gramm. c. 4.

1 Cap. VII. Praeter Phyſicos Homerumque, qui vniverſum orbem mari circumfuſum eſſe dixerunt, Cornelius Nepos, vt recentior, ita auctoritate certior; teſtem autem rei Q. Metellum Celerem adiicit, eumque ita retuliſſe commemorat: Quum Galliae proconſul praeeſſet, Indos quosdam a rege Boiorum dono ſibi datos: vnde in eas terras deueniſſent, requirendo, cognoſſe vi tempeſtatum ex Indicis aequoribus abreptos, emenſosque, quae intererant, tandem in Germaniae litora exiiſſe. Mela 3, 5. f. Plin. Hiſt. Nat. 2, 67.

2 Largitudo. Chariſius lib. 1. c. 78.

3 Eudoxus quidam auorum noſtrorum temporibus, quum Lathurum regem Alexandriae profugeret, Arabico ſinu egreſſus, per hoc pelagus, vt Nepos adfirmat, Gades vsque peruectus eſt. Mela 3, 9. Plin. H. N. 2, 67.

4 Paphlagonia inſignis loco Heneto, a quo, vt Cornelius Nepos perhibet, Paphlagones, in Italiam transuecti, mox Veneti ſunt nominati. Solin. cap. 46. f. 44. ex Plinio 6, 2.

5 Fauces Oceani T. Liuius ac Nepos Cornelius latitudinis tradiderunt, vbi minus VII M. paſſ. vbi vero plurimum X M. Plin. 3. prooem.

6 Melpum opulentia praecipuum, quod ab Inſubribus et Boiis et Senonibus deletum eſſe eo die, quo Camillus Veios ceperit, Nepos Cornelius tradidit. Plin. 3, 17. f. 21.

Vltra Aquileiam VI.M. paſſ. Formio amnis, ab Rauenna CLXXXIX paſſ. antiquus auctae Italiae terminus, nunc vero Iſtriae: quam cognominatam a flumine Iſtro in Hadriam effluente a Danubio amne, eodemque Iſtro aduerſum Padi fauces, contrario eorum percuſſu mari interiecto dulceſcente, plerique dixere falſo, et Nepos [Cornelius] etiam Padi adcola. Plin. 3. N. H. 18. ſ. 22.

Cap. VIII. Alpes in longitudinem decies centena milia paſſ. patere a ſupero mari ad inferum, Caelius tradit: Timagenes XXII.M. paſſ. deductis: in latitudinem autem Cornelius Nepos C.M: T. Liuius tria M. ſtadiorum: vterque diuerſis in locis. Plin. 3, 19. ſ. 23.

Inter duos Bosporos, Thracium et Cimmerium, directo curſu, vt auctor eſt Polybius, IoM paſſuum interſunt. Circuitu vero totius Ponti vicies ſemel centena quinquaginta M. vt auctor eſt Varro et fere veteres. Nepos Cornelius trecenta milia quinquaginta adiicit. L. 4, 12. ſ. 24.

In ora Oceani, colonia Auguſti, Iulia Conſtantia, etc. et ab ea XXXII.M. paſſ. colonia a Claudio Caeſare facta Lixos. Ibi regia Antaei, certamenque cum Hercule, et Heſperidum horti etc. Exſtat in ea et ara Herculis, nec praeter oleaſtros aliud, ex narrato illo aurifero nemore. Minus profecto mirentur portentoſa Graeciae mendacia, de iis et amne Lixo prodita, qui cogitent, noſtros nuper paullo minus monſtrifica quaedam de iisdem tradidiſſe: praeualidam hanc vrbem maioremque Karthagine magna: praeterea ex aduerſo eius ſitam et prope inmenſo tractu ab Tingi: quaeque alia Cornelius Nepos auidiſſime credidit. Lib. 5. c. 1.

Aliqui inter Pontum et Caſpium mare CCCLXXV. M. paſſ. non amplius intereſſe tradiderunt: Cornelius Nepos CCL.M. Lib. 6, 11. ſ. 12.

5 Polybius in extrema Mauritania contra montem Atlantem a terra ſtadia octo abeſſe prodidit Cernen. Nepos Cornelius ex aduerſo maxime Karthaginis a continente paſſus mile: non ampliorem circuitu duobus milibus. Lib. 6, 31. ſ. 56.

6 Nepos Cornelius, qui Diui Auguſti principatu obiit: Me, inquit, iuuene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat; nec multo poſt rubra Tarentina. Huic ſubceſſit dibapha Tyria, quae in libras denariis mile non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinther, Aedilis Curulis, primus in praetexta vſus inprobabatur: qua purpura quis non iam, inquit, triclinaria facit? L. 9, 39. ſ. 63.

7 Onychem etiam tunc in Arabiae montibus, nec vsquam aliubi naſci putauere noſtri veteres: Sudines in Germania; potoriis primum vaſis inde factis, dein pedibus lectorum ſellisque. Nepos Cornelius tradit, magno fuiſſe miraculo, quum P. Lentulus Spinther amphoras ex eo Chiorum magnitudine cadorum oſtendiſſet: poſt quinquennium deinde triginta duorum pedum longitudine columnas vidiſſe ſe. Plin. 36, 7. ſ. 12.

1 IX. Νέπως δὲ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν, οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων, Καλλισθένους, διαφθαρέντα. Τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μὲν, ὡς ἀγαπῶτο μᾶλλον ὁ Καλλισθένης ὑπ' αὐτοῦ, τοιαύτην ἔχειν δοκοῦντα τὴν δύναμιν· ἐκστῆσαι δὲ καὶ καταλύσαι τὸν λογισμὸν, ὥστ', ἔτι ζῶντος αὐτοῦ, τὴν οὐσίαν διοικεῖν τὸν ἀδελφόν.

Cornelius Nepos ait, non ſenio, neque morbo alienata mente fuiſſe Lucullum, ſed a quodam liberto Calliſthene venenis conruptum. Datum autem eſſe venenum, vt Calliſthenes inpenſius ab eo diligeretur, quod eiusmodi vi pollere id putaret: ita vero alienaſſe et ſoluiſſe mentem eius, vt adhuc

viuentis facultates frater procuraret. Plutarchus in Lucullo cap. 43.

Νέπως ὁ Κορνήλιός φησιν, οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ θριαμβέυσαντος ἀπὸ Λυσιτανῶν, θυγατέρα γῆμαι Γάϊον.

Cornelius Nepos non Craſſi, ſed Bruti, eius, qui de Luſitanis triumphauit, filiam nuptam Caio datam, ait. Idem in T. Graccho cap. 21.

Ἀννίβας δὲ τῶν μὲν ἄλλων ἐλάχιστος ἦν λόγος, Μάρκελλον δὲ πεπτωκέναι πυθόμενος, αὐτὸς ἐξέδραμεν ἐπὶ τὸν τόπον. καὶ τῷ νεκρῷ παραστὰς, καὶ πολὺν χρόνον τὴν τε ῥώμην τοῦ σώματος καταμαθὼν καὶ τὸ εἶδος, οὔτε φωνὴν ἀφῆκεν ὑπερήφανον, οὔτ' ἀπ' ὄψεως τὸ χαῖρον, ὡς ἄν τις ἐργῴδη πολέμιον καὶ βαρὺν ἀπεκτονὼς ἐξέφηνεν· ἀλλ' ἐπιθαυμάσας τὸ παράλογον τῆς τελευτῆς, τὸν μὲν δακτύλιον ἀφείλετο. τὸ δὲ σῶμα κοσμήσας πρέποντι κόσμῳ, καὶ περιστείλας ἐντίμως, ἔκαυσε· καὶ τὰ λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπην ἀργυρᾶν, καὶ χρυσοῦν ἐμβαλὼν στέφανον, ἀπέστειλε πρὸς τὸν υἱόν. Τῶν δὲ Νομάδων τινὲς περιτυχόντες τοῖς κομίζουσιν, ὥρμησαν ἁφαιρεῖσθαι τὸ τεῦχος· ἀντιλαμβανομένων δ' ἐκείνων, ἐκβιαζόμενοι καὶ μαχόμενοι διέῤῥιψαν τὰ ὀστᾶ. Πυθόμενος δὲ Ἀννίβας, καὶ πρὸς τοὺς παρόντας εἶπων· οὐδὲν ἄρα δυνατὸν γενέσθαι ἄκοντος θεοῦ· τοῖς μὲν Νομάσιν ἐπέθηκε δίκην, οὐκέτι δὲ κομιδῆς, ἢ συλλογῆς τῶν λειψάνων ἐφρόντισεν, ὡς δὴ κατὰ θεόν τινα καὶ τῆς τελευτῆς καὶ τῆς ἀταφίας παραλόγως οὕτω τῷ Μαρκέλλῳ γενομένης. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι· Λίβιος δὲ καὶ Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς κομισθῆναι τὴν ὑθρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι, καὶ ταφῆναι λαμπρῶς.

Hannibal vero quum reliquos minimi faceret, Marcelli caede nuntiata, ipſe ad locum adcurrit,

cadauerique adſiſtens, diuque corporis robur et formam contemplatus, neque ſuperbam vllam emiſit vocem, neque vultu laetitiam (vt conſentaneum erat eum, qui tam moleſtum et grauem hoſtem interfeciſſet) prae ſe tulit, ſed inopinatum viri exitum miratus, annulum ei abstulit, corpus digno habitu ornatum, veſtibusque decentibus amictum cremauit; reliquias in vrnam argenteam lectas, aurea ſuperaddita corona, ad filium miſit. Sed quidam Numidae, quum in ferentes ea incidiſſent, adimere vi conati ſunt: illis reluctantibus, ac vim vi repellentibus, oſſa disiecta ſunt. Hannibal, hoc audito, ad eos, qui aderant: Nihil, inquit, vtique Diis inuitis fieri poteſt: ſumto de Numidis ſubplicio, nullam praeterea de Marcelli reliquiis conligendis curam habuit: vt qui Dei alicuius numine Marcello hunc exitum vitae et ſepulturae priuationem ita praeter omnium opinionem euenisſe crederet. Haec Cornelius Nepos et Valerius Maximus narrant. Liuius et Auguſtus Caeſar, perlatam ad filium Marcelli vrnam, et honorifice ſepultas eius reliquias perhibent. Plutarchus in Marcello cap. 30.

7 Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδὲ ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήττητος ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκιπίωνος. Ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι καὶ Νέπωτι, καὶ τῶν ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν, ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι.

Hannibalem Marcellus, vt Polybius narrat, ne ſemel quidem vicit, ſed inuictus hic vir fuiſſe videtur vsque ad Scipionem. Nos autem Liuio et Caeſari et Nepoti et ex Graecis ſcriptoribus regi Iubae credimus, aliquoties Hannibalem a Marcello victum et in fugam verſum eſſe. Plutarchus in comparatione Pelopidae cum Marcello.

1 Cap. X. Cornelius Nepos, qui Diui Auguſti princi-
patu obiit, quum ſcriberet turdos paullo ante cap-
tos ſaginari, addidit, ciconias magis placere, quam
grues: quum haec nunc ales inter primas expetatur,
illam vero nemo velit adtigiſſe. Plin. 10, 23. f. 30.

2 Apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus ac-
cipenſer, etc. Poſtea praecipuam auctoritatem fuiſſe
lupo et aſellis, Cornelius Nepos et Laberius, poeta
mimorum, tradidere. 9, 17. f. 28.

3 Magnitudo loto arbori, quae piro: quamquam
Nepos Cornelius breuem tradat, etc. Vinum quo-
que exprimitur illi, ſimile mulſo, quod vltra de-
nos dies negat durare idem Nepos; baccasque con-
tuſas cum alica ad cibos dolio condi. Idem 13, 17.
f. 32.

4 Scandula contectam fuiſſe Romam ad Pyrrhi vs-
que bellum annis quadringentis LXX. Cornelius
Nepos auctor eſt. Idem 16, 10. f. 15.

5 Cornelius Nepos tradit, ante Sullae victoriam
duo tantum triclinia Romae fuiſſe argentea. Idem
33, 11. f. 52.

6 Primus inuenit lineas colorare, teſta, vt ferunt,
trita, Cleophantus Corinthius. Hunc aut eodem
nomine alium fuiſſe, quem tradit Cornelius Nepos
ſequutum in Italiam Demaratum, Tarquinii Priſci,
Romani regis, patrem, fugientem a Corintho iniu-
rias Cypſeli tyranni, mox docebimus. Idem 35,
3. f. 5.

7 Primum Romae parietes cruſta marmoris ope-
ruiſſe totius domus ſuae in Coelio monte Cornelius
Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, equi-
tem Romanum, praefectum fabrum C. Caeſaris in
Gallia, etc. Adiecit idem Nepos, eum primum
totis aedibus nullam, niſi e marmore, columnam
habuiſſe, omnes ſolidas e Caryſtio aut Lunenſi.
Idem 36, 6. f. 7.

1 CAP. XI. Aedis Martis est in circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio. Priscianus lib. 8. p. 792. ed. Putsch.

2 Non amplius ter bibere Augustum solitum super coenam, in castris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit. Sueton. Aug. c. 77.

3 In extrema Britanniae parte Memma, quam Cornelius etiam, Annalium scriptor, narrat metallis plurimis copiosam, herbis frequentem, et his feraciorem omnibus, quae pecora magis, quam homines alant. Labi vero per eam multa quam maxima relabique flumina, gemmas margaritasque voluentia. Iornandes de rebus Geticis cap. 2.

EPISTOLA
CORNELIAE MATRIS GRACCHORVM.

1 CAP. XII. Dices pulcrum esse inimicos vlcisci. Id neque maius, neque pulcrius cuiquam, atque esse mihi videtur; sed si liceat re publica salua ea per-
2 sequi. Sed quatenus id fieri non potest, multo tempore multisque partibus inimici nostri non peribunt; atque vti nunc sunt, erunt potius, quam res publica profligetur atque pereat.

Eadem alio loco:

3 Verbis conceptis deierare ausim, praeterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiae tantumque laboris, quan-
4 tum te ob has res, mihi tradidisse: quem oportebat omnium eorum, quos ante habuerim liberos, partis eorum tolerare, atque curare, vt quam minimum solicitudinis in senecta haberem, vtique, quaecumque ageres, ea velles maxime mihi placere; atque vti nefas haberes, rerum maiorum aduersum
5 meam sententiam quidquam facere. Praesertim

mihi, cui parua pars vitae ſupereſt, ne id quidem tam breue ſpatium poteſt opitulari, quin et mihi aduerſeris, et rem publicam profliges. Denique 6
quae pauſa erit? et quando deſinet familia noſtra inſanire? et quando modus ei rei haberi poterit? et quando deſinemus et habentes, et praebentes, moleſtiis deſiſtere? et quando perpudeſcet miſcenda atque perturbanda re publica? Sed ſi omnino id 7
fieri non poteſt; vbi ego mortua ero, petito tribunatum, poſt me facito, quod libebit, quum ego non ſentiam. Vbi mortua ero, parentabis mihi 8
et inuocabis Deum parentem. In eo tempore non pudet te eorum Deum preces expetere, quos, viuos atque praeſentes, relictos atque deſertos habueris? Ne ille ſinat Iupiter, te ea perſeuerare, nec tibi tan- 9
tam dementiam venire in animum; et ſi perſeueras, vereor, in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, vti in nullo tempore tute tibi placere poſſis.

Cap. XIII. Non ignorare debes, vnum hoc genus La- 1
tinarum literarum adhuc non modo non reſpondere Graeciae, ſed omnino rude atque inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit vnus, qui potuerit et etiam debuerit hiſtoriam digna voce pronuntiare: quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus adceptam perpoliuerit, philoſophiam, ante eum incomtam, Latinam ſua conformauerit oratione. Ex quo dubito, interitu eius vtrum res publica, an hiſtoria magis doleat.

Locuples ac diuina natura, quo maiorem ſui 2
pareret admirationem, ponderatioraque ſua eſſent beneficia, neque vni omnia dare, nec rurſus cuiquam omnia voluit negare.

CHRONOLOGIA

RERVM MEMORABILIVM IN NEPOTE

AD

OLYMPIADAS, VRBIS CONDITAE ANNOS EX CATONIANIS RATIONIBVS, QVAE A VARRONIANIS II. ANNIS DISCREPANT, ET CHRISTI NATI DIGESTA.

Olymp.	*A.V.*	*A.Chr.n.*	
7, 2	1.	751.	Ex Varronis rationibus sic habet: Olymp. 5, 4. A. V. 1. A. Chr. n. 753.
27, 2.	81–113.	671.	Tullus Hostilius Romae regnat. Fragm. 1, 3. Cf. Liv. 1, 22.
30, 4.	95.	657.	Demaratus Cypseli tyrannidem fugiens Romam demigrat. Fragm. 10, 6.
41, 3.	138	614 —	Tarquinius Priscus quintus Romanorum
	175	577.	rex. Fragm. 10, 6.
55, 1.	192.	560.	Pisistratus Athenarum tyrannus. Milt. 8, 1.
62, 3.	222	530.	Cyrus in bello contra Massagetas perit. De reg. 1, 2.
64, 4.	231.	521.	Darius Cambysi, Cyri filio, subcedit. Ibid.
68, 1.	244.	508.	Darius Scythis bellum inlaturus pontem in Istro facit. Milt. 3, 1.
68, 2.	245.	507.	Miltiades, Chersoneso relicta, Athenas redit. Milt. 3, 6.
79, 1.	252.	500.	Iones ab Athenienſibus adiuti Sardes expugnant. Milt. 4, 1.
72, 3.	262.	490.	Darii contra Graecos expeditio et in pugna Marathonia clades. Milt. 4 sq.
72, 4.	263.	489.	Miltiades, Parum insulam infeliciter adgressus, in vincula coniicitur, in quibus obit. Milt. c. 7.
73, 3.	266.	486.	Xerxes Dario, Hystaspis filio, mortuo subcedit. De reg. 1, 2.
74, 2.	269.	483.	Aristides ostracismo vrbe expellitur. Aristid. 1, 2. Themistocles portum Piraeei et classem nouam aedificat. Themist. 2, 2.
75, 1.	272.	480.	Xerxes ex Asia in Graeciam transit. Themist. 2, 4. Pugna ad Thermopylas. Ib. 3, 1. ad Artemisium. Ib. 3, 2. Athenae a Persis incensae. Themist. 4, 1. Aristides ante tempus ab exsilio reuocatur.

Olymp.	A.V.	A.Chr.n.	
			Arist. 1, 5. Pugna Salaminia. Themist. 4, 5.
75, 2.	273.	479.	Aristides et Pausanias Mardonium Persarum ducem ad Plataeas vincunt. Arist. 2. 1. Pausan. 1, 2.
75, 3.	274.	478.	Athenienses consilio Themistoclis muros suos inuitis Spartanis instaurant. Themist. 6. 1.
75, 4.	275.	477.	Athenienses auctore Themistocle Piraceă portum absoluunt. Themist. 6, 1 Pausaniam cum classe communi in Cyprum mittunt. Paus. 1, 4. Aristidis aequitate Graeciae principatus ad Athenienses defertur. Aristid. 2, 2. Eiusdem opera aerarium Graeciae in Delo constituitur. Aristid. 3, 1.
77, 2.	281.	471.	Themistocles Athenis expulsus et absens proditionis adcusatus ad Artaxerxem confugit. Themist. 8, 9.
77, 3.	282.	470.	Cimon Persas vincit terra marique eodem die. Cimon 5, 2.
78, 2.	285.	467.	Aristides obit. Aristid. 3, 3.
78, 3.	286.	466.	Themistocles Magnesiae moritur. Themist. 10, 5.
79, 1.	288.	464.	Cimon vincit Thasios, qui ab Athenienfibus defecerant. Cim. 2, 5. Cf. Diodor. 11, 70.
80, 1.	292.	460.	Cimon patria expellitur. Cim. 3, 1.
81, 2.	297.	455.	Cimon reuocatus cum Lacedaemoniis foedus iungit. Cim. 3, 3.
82, 3.	302.	450.	Cimon Persas in Cypro vincit et maris imperium ciuibus suis vindicat. Cim. 3, 4.
82, 4.	303.	449.	Cimon pace cum victis Persis composita in Cypro moritur. Cim. 3, 4.
87, 2.	321.	431.	Peloponnesiaci belli initium. Diodor. 12, 38.
91, 1.	336.	416.	Alcibiades, Nicias et Lamachus duces Athenienfium ad bellum cum Syracusanis gerendum missi. Alcib. 3, 1.
91, 2.	337.	415.	Alcibiades, coniurationis in patriam postulatus, ad Spartanos fugit. Alcib. 3 sq.
91, 3.	338.	414.	Bellum Decelicum. Alcib. 4, 7.
92, 2.	341.	411.	Alcibiades, ab exercitu receptus, post in patriam restitutus, absens vna cum Thrasybulo et Theramene imperio praeficitur, et Lacedaemonios terra marique victos ad pacem cogit. Alcib. 5, 4.
93, 1.	344.	408.	Alcibiades Athenas reuersus summusque imperator, adiunctis Thrasybulo et Adimanto, factus, cum Lacedaemoniis minus commodé confligit et paullo post

Olymp.	*A.V.*	*A.Chr. n.*	
			iterum in exſilium mittitur. Alcib. 6 et 7.
93, 3.	346	406.	Dionyſius ſenior Syracuſis tyrannidem obcupat. Dion. 1. De regib. 2, 2.
93, 4.	347.	405.	Lyſander, Athenienſibus ad Aegos flumen victis, bello Peloponneſio finem inponit. Lyſ. 1. Alcib. 8. 6. Con. 1, 2.
—	—	—	Idem Athenis captis 30 tyrannos inponit. Thraſyb. 1, 5.
94, 1.	348.	404.	Alcibiades in Phrygia, quo confugerat, obprimitur Alcib. 10, 6.
94, 2.	349.	403.	Lyſander adcuſatus abſoluitur. Lyſ. 3, 4.
94, 4.	351.	401.	Thraſybulus deuictis 30 tyrannis Athenienſibus libertatem reſtituit. Thraſyb. 3, 1.
95, 1.	352.	400.	Ageſilaus Agidi fratri ſubcedit. Ageſil. 1.
95, 2.	353.	399.	Conon, Athen. exſul, Perſarum claſſi aduerſus Lacedaemonios praeficitur. Con. 2, 2.
95, 3.	354.	398.	Plato Tarentum venit, inde Syracuſas. Dion. 2, 2.
96, 1.	356.	396.	Ageſilai cum Perſis in Aſia bellum. Con. 2, 2 Ageſil. 2.
—	—	—	Lyſander dux Lacedaemoniorum in proelio cum Thebanis apud Haliartum cadit. Lyſ. 3, 4. Cf. Diodor. 14, 81.
96, 2.	357.	395.	Conon Lacedaemonios Piſandro duce proelio nauali ad Cnidum vincit. Con. 4, 4.
—	—	—	Ageſilaus ex Aſia reuocatus ad Coroneam Athenienſes eorumque ſocios vincit. Ageſil. 4, 5
96, 3.	358.	394.	Conon Athenarum muros ope Thebanorum reficit, et a Tiribazo cuſtodiae traditur. Con. 4, 5. et 5, 3.
—	—	—	Belli Corinthiaci initium. Diodor. 14, 86.
96, 4.	359.	393.	Iphicrates Lacedaemoniorum victor ad Corinthum Iphicrat. 2
—	—	—	Camillus Veios capit. Fragm. 7, 1. Cf. Liv. 5, 21.
—	—	—	Melpum a Gallis deletur. Fragm. 7, 6.
97, 2.	361.	391.	Ageſilaus agrum Corinthium populatur. Ageſil. 5.
97, 3.	362.	390.	Thraſybulus biennio ante Lesbi victor ab Aſpendiis necatur. Thraſyb. 4, 4.
97, 4.	363.	389.	Camillus exſulat. Fragm. 5, 6.
98, 1.	364.	388.	Galli Capitolium obſident Fragm. 6, 6.
98, 2.	365.	387.	Chabrias, Euagorae adiutor miſſus, totam Cyprum ſubigit. Chabr. 2, 2.
98, 4.	367.	385.	Datames ab Artaxerxe Ciliciae praeficitur. Datam. 1, 5.
99, 3.	370.	382.	Lacedaemonii, duce Phoebida, Cadmeam, arcem Thebarum, obcupant. Pelop. 1, 2.

Olymp.	*A.V.*	*A.Chr. n.*	
99, 4.	371.	33 1	Manlius de saxo Tarpeio deiicitur. Fragm. 1, 4, 5, 6. Cf. Liv. 6, 20.
100, 3.	374.	378.	Thebani exsules ope Athenienſium Cadmeam recipiunt. Pelop. 3, 5.
100, 4.	375.	377.	Ageſilai in Boeotiam expeditio, Chabr. 1, 2. Chabriae de eo victoria. Ibid.
—	—	—	Chabrias, Acorin, Aegypti regem, adiutum profectus, Athenas reuocatur. Chabr. 2, 3.
—	—	—	Iphicrates ab Athenienſibus auxilio Artaxerxi, regi Perſarum, mittitur. Iphicr. 2, 4.
101, 1.	376.	376.	Timotheus Lacedaemonios ad Leucaten ſuperat. Timoth. 2, 1.
101, 2.	377.	375.	Lacedaemonii maris imperium (cf. Olymp. 82, 3.) Athenienſibus cedunt. Timoth. 2, 2.
101, 3.	378.	374.	Iphicrates exercitui Perſarum conductitio praefectus aduerſus Aegyptios proficiſcitur. et paullo poſt Athenas reuertitur. Iphicr. 2, 4. Cf. Datam. 3, 5.
102, 2.	381.	371.	Epaminondas Spartanos ad Leuctra profligat. Epamin. 8, 3.
102, 3.	382.	370.	Iphicrates Eurydicen, Macedoniae reginam, viduam, defendit. Iphicr. 3, 2.
102, 4.	383.	369.	Epaminondas Laconiam inuadit, Spartam capit, Meſſenen reſtituit. Epamin. 7, 3. 8, 4. Pelop. 4, 3.
—	—	—	Idem cum Pelopida Arcadibus in bello cum Lacedaemoniis auxilio a Thebanis mittitur. Pelop. 4, 2. Iphicrates contra Arcadas. Iphicr. 2, 5.
103, 1.	384.	368.	Dionyſio patri ſubcedit Dionyſius iunior. De reg. 2, 2. Dion. 2, 8.
—	—	—	Pelopidas ab Alexandro Pheraeo in vincula coniicitur. Pelop. 5, 1.
103, 2.	385.	367.	Epaminondas exercitum Thebanum, ab hoſtibus obſeſſum, incolumem reducit domum. Epamin. 7, 2.
—	—	—	Idem Pelopidam ex vinculis liberat. Pel. 5, 2.
103, 3.	386.	366.	Epaminondas bellum in Peloponneſo gerit. Epamin. 7, 3.
104, 1.	388.	364.	Pelopidas in proelio aduerſus Alexandrum Pheraeum victor cadit. Pelop. 5, 4.
—	—	—	Timotheus cum Olynthiis bellum gerit. Timoth. 1, 2.
104, 2.	389.	363.	Epaminondas Spartam iterum tentat, Lacedaemonios ad Mantineam vincit, victorque cadit. Epamin. 9, 1.
104, 3.	390.	362.	Ageſilaus Laced. et Chabrias Athen. a rege Perſarum ad Taohum, Aegypti regem, deficiunt. Chabr. 2, 3. Ageſil. 8, 2.

Olymp.	*A.V.*	*A.Chr.n.*	
104, 3.	390.	362.	Datames ab Artaxerxe deficit. Datam. 5, 5.
—	—	—	Chabrias Nectanebo regnum constituit. Chabr. 2, 1.
—	—	—	Agesilaus moritur. Agesil. 8, 6.
105, 1.	392.	360.	Philippus in Macedonia regnare incipit. De reg. 2, 1.
105, 3.	394.	358.	Chabrias cum Charete aduersus Atheniensium socios, Chios, Rhodios, Coos et Byzantios missus in proelio obcumbit. Chabr. 4, 5.
—	—	—	Dionis fuga et praeparatio ad bellum cum Dionysio. Dion. 4, 1.
105, 4.	395.	357.	Dionis felix cum Dionysio bellum et huius fuga in Italiam. Dion. 5, 3 sq.
—	—	—	Alexandri Pheraei interitus. Diodor. 16, 14.
106, 1.	396.	356.	Athenienses ducibus Charete, Iphicrate et Timotheo cum sociis acriter pugnant. Timoth. 1, 2.
—	—	—	Iphicrates et Timotheus ab Athenienſibus multantur. Iphicr. 3, 3. Timoth. 3, 5.
106, 2.	397.	355.	Dion Syracusis interficitur. Dion. 9, 6. Timol. 2, 1.
107, 2.	401.	351.	Alexander M. nascitur. De reg. 2, 1. Fragm. 1, 5.
108, 2.	405.	347.	Dionysius iunior Syracusas anno decimo post, quam a Dione pulsus erat, recuperat. Timol. 2, 1.
108, 4.	407.	345.	Timoleontis in Siciliam expeditio. Timol. 2, 1.
—	—	—	Idem Hiceta fugato Syracusanis libertatem restituere conatur. Timol. 2, 3. 3, 3.
109, 1.	408.	344.	Timoleon Syracusis a Dionysio ipsi traditis potitus Dionysium dimittit Corinthum. Timol. 2.
109, 3.	410.	342.	Idem rem publicam Syracusanam instaurat, pulsisque Poenis ad Crimissum et pace cum iis inita toti Siciliae pacem et libertatem restituit. Timol. 3.
110, 4.	415.	337.	Timoleon moritur. Timol. 5, 4.
111, 1.	416.	336.	Philippus Macedo a Pausania, satellite, interficitur. De reg. 2, 1.
112, 2.	421.	331.	Alexander M. Darium ad Arbela vincit. Diodor. 17, 59.
113, 3.	426.	326.	Hephaestionis mors. De reg. 2, 1. Eumen. 2, 1.
114, 1.	428.	324.	Alexander M. Babylone moritur. Eumen. 2, 1. De reg. 2, 1.
114, 3.	430.	322.	Athenae, Phocione auctore, Antipatri praesidium recipiunt. Phoc. 2, 2.
—	—	—	Perdiccas interficitur. Eumen. 5, 1.

Olymp.	*A.V.*	*A.Chr. n.*	
114, 4.	431.	321.	Eumenes vincit Craterum et Neoptolemum. Eumen. 3. et 4.
—	—	—	Antipater rebus Macedonicis praeficitur. Eum. 5, 1.
—	—	—	Eumenes ab Alexandri exercitu hoſtis iudicatur et ab Antigono Norae obſidetur. Eum. 5.
115, 2.	433.	319.	Eumenes regum tutor factus bellum aduerſus Antigonum parat. Eumen. 6. et 7.
115, 3.	434.	318.	Nicanor, a Caſſandro Athenas miſſus, Piraeeum obcupat. Phoc. 2, 5.
—	—	—	Phocion necatur. Phoc. 4, 3.
—	—	—	Eumenes in Perſiam copias ſuas hiematum diuidit. Eum. 8, 1.
115, 4.	435.	317.	Eumenes aduerſus Antigonum bellum gerit. Eum. 7.
116, 1.	436.	316.	Eumenes ab Antigono captus obciditur. Eum. 10 ſqq.
119, 4.	451.	301.	Antigonus cadit in proelio ad Ipſum, Phrygiae oppidum. De reg. 3, 2.
123, 3.	466.	286.	Demetrius in cuſtodia Seleuci, generi, morbo perit. De reg. 3, 3.
124, 4.	471.	281.	Lyſimachus obciditur a Seleuco. De reg. 3, 2.
—	—	—	Pyrrhi cum Romanis bellum. De reg. 2, 2. Fragm. 10, 4.
125, 1.	472.	280.	Seleucus a Ptolemaeo interficitur. De reg. 3, 4.
127, 1.	480.	272.	Pyrrhus Argos obpugnans lapide ictus interit. De reg. 2, 2.
128, 4.	487.	265.	Belli Punici primi initium. Hamilc. 1, 1.
133, 1.	504.	248.	Hamilcar in Carthalonis locum claſſi praeficitur. Hamilc. 1, 1. Hoc anno Hannibal natus fertur.
134, 3.	510.	242.	Lutatius, conſul, claſſe Poenos ſuperat ad Aegates inſulas et Sicilia decedere cogit. Hamilc. 1, 3.
134, 4.	511.	241.	Belli Punici primi finis. Hamilc. 1, 3—5.
—	—	—	Bellum Africanum a mercenariis militibus ſtipendii cauſa hoc anno motum quarto poſt ab Hamilcare comprimitur. Hamilc. 2, 1.
135, 3.	514.	238.	Hamilcar imperator in Hiſpaniam mittitur, ſecumque ducit Hannibalem filium annos 9 natum. Hamilc. 3, 1. Hannib. 2, 3.
137, 4.	523.	229.	Hamilcar in proelio contra Vettones cadit, eique Hasdrubal, gener, imperator ſubficitur. Hamilc. 3. et 4.
—	—	—	Hannibal equitatui praeeſt. Hannib. 3, 1.
139, 4.	531.	221.	Hasdrubali interfecto ſubcedit Hannibal annos 26. natus. Hamilc. 3, 3. Hann. 3, 1.

Olymp.	*A.V.*	*A.Chr.n.*	
139, 4.	531.	221.	Hannibal non toto inde triennio totam Hiſpaniam ſubigit. Hannib. 3, 7.
140, 1.	532.	220.	Hannibal expugnat deletque Saguntum. Hann. 3, 2.
140, 2.	533.	219.	Belli Punici ſecundi per annos 17. tracti initium.
—	—	—	Hannibal ex Hiſpania per Gallos et Alpes transit in Italiam. Hann. 3, 3.
—	—	—	Idem confligit cum Scipione COS ad Rhodanum. Ib. 4, 1. cum eodem ad Padum. 4, 1. cum eodem eiusque conlega ad Trebiam. 4, 2.
140, 3.	534.	218.	Idem confligit cum Flaminio COS. apud Traſimenum. 4, 3. cum Centenio praetore. 4, 3. Fabium dictatorem eludit 5. 1. (inepto quidem loco refertur) Rufum magiſtrum equitum fugat. 5, 3.
140, 4.	535.	217.	Pugna Cannenſis, in qua Varro et Paullus CSS. ab Hannibale vincuntur. 4, 4. Fragm. 2, 2.
141, 3.	538.	214.	Fabio et Marcello CSS. Cato tribunus militum. Cat. 1, 2.
141, 4.	539.	213.	Gracchus conſul II. ab Hannibale interficitur. Hann. 5, 3.
143, 1.	544.	208.	Marcellus quintum conſul ab Hannibale interficitur. 5, 3.
143, 2.	545.	207.	Hasdrubal, frater Hannibalis, cadit in proelio apud Sęnam victus a Nerone CS. cui intereſt Cato. Cat. 1, 2.
144, 4.	547.	205.	P. Scipio, poſt Africanus maior dictus, bellum transfert in Africam. Hann. 6, 1. Cato eius quaeſtor. Cat. 1, 3.
144, 1.	548.	204.	Hannibal patriam defenſum ex Italia in Africam reuocatur. Hann. 6, 1.
144, 2.	549.	203.	Hannibal vincitur a Scipione ad Zamam. 6, 3.
144, 3.	550.	202.	Belli Punici ſecundi finis. 7, 1.
145, 1.	552.	200.	Hannibal exercitui praeeſt cum Magone fratre resque in Africa gerit vsque ad conſulatum Sulpicii et Aurelii. 7, 1.
—	—	—	Cum Magone domum reuocatur. 1, 4.
145, 3.	554.	198.	Cato praetor factus Sardiniam prouinciam obtinet. Cat. 1, 4. Cf. Liv. 32, 7. f. et c. 8, 5.
146, 1.	556.	196.	M. Marcello L. Furio CSS. Hannibal, domo profugus, ad Antiochum, Syriae regem, abit. 7, 6.
146, 2.	557.	195.	M. Cato L. Flaccus CSS. Cat. 1, 1. 2, 1.
146, 3.	558.	194.	M. Cato ex Hiſpania triumphat. Cat. 4, 1. Cf. Liv. 34, 46, 2.

Olymp.	*A.V.*	*A.Chr.n.*	
146, 3.	558.	194.	Scipio Africanus CS. iterum. Cat. 2, 1.
146, 4.	559.	193.	Cornelius Merula, Minucius Thermus CSS. Hannib. 8, 1.
—	—	—	Hannibal nauibus ad Africam adcedens Magonem fratrem, domo excitum, secum abducit. Hann. 8, 2.
147, 1.	560.	192.	Antiochus ab Hannibale, qui in Syriam redierat, ad bellum contra Romanos concitatur. Hann. 8, 3. et 2, 1.
147, 2.	561.	191.	Hannibal classis parti ab Antiocho praefectus contra Rhodios, Romanorum socios, pugnat. 8, 4.
—	—	—	Antiochus ad Thermopylas a Glabrione caeditur. Ib. 8, 3.
147, 3.	562.	190.	Hannibal, Antiocho victo, ad Prusiam, Bithyniae regem, confugit. Ib. 9. et 10.
—	—	—	Idem pugnat contra Eumenem. Ib. 10 et 11.
149, 1.	568.	184.	M. Cato, L. Flaccus censores. Cat. 1, 1. 2, 2.
149, 3.	570.	182.	Hannibal hausto veneno perit. Hann. 12. et 13. etsi de vero anno non constat inter auctores. Cf. et Liv. 39, 56. f.
155, 2.	593.	159.	Terentius poeta moritur. Fragm. 16.
157, 2.	601	151.	L. Lucullus, A. Albinus CSS. Fragm. 3, 6.
157, 4.	603.	149.	Cato moritur. Cat. 3, 4. etsi quidam dissentiunt.
161, 4.	619.	133.	Tib. Gracchus, trib. pl. necatur. Fragm. 12, 3.
167, 4.	643.	109.	Atticus nascitur.
173, 1.	664.	88.	P Sulpicius trib. pl. a Sulla CS. occiditur. Att. 2, 1.
173, 2.	665.	87.	Cinna per a. 665 — 668 CS. saevit in Sullanos, qua tempestate Atticus Athenas se confert. Att. 2, 2.
174, 1.	668.	84.	Sulla ex bello Mithridatico rediens Athenas venit. Att. 4, 1.
174, 3.	670.	82.	Sulla Marianarum partium victor et dictator. Fragm. 10, 3.
174, 4.	671.	81.	Cicero Roscium defendit. Fragm. 4, 1.
178, 4.	687.	65.	Cotta et Torquato CSS. Atticus Romam redit. Att. 4, 5.
—	—	—	Cicero defendit Cornelium. Fragm. 4, 2.
179, 2.	689.	63.	Cicero CS. Attic. 18, 6. Lentulus Spinther aedilis splendidus. Fragm. 8, 6. et 7.
179, 3.	690.	62.	Metellus Celer Galliae proconsul. Fragm. 7, 1.
179, 4.	691.	61.	Q. Cicero propraetor Asiae. Attic. 6, 5.
180, 3.	694.	58.	Cicero in exsilium abit. Attic. 4, 5.
—	—	—	Iul. Caesar ab hoc inde anno ad a. V. 705. bellum gerit in Gallia. Fragm. 10, 7.

Olymph.	*A.V.*	*A.Chr.n.*	
182. 4.	703.	49.	Bellum ciuile inter Caesarem et Pompeium. Attic. 7, 1.
183. 1.	704.	48.	Pugna Pharsalica, in qua Pompeius a Caesare vincitur, Att. 7, 3.
184. 1.	708.	44.	Caesar occiditur. Att. 8, 1.
—	—	—	Brutus et Cassius, percussores Caesaris, ad quos se tota ciuitas conuerterat, Antonio superante, in Graeciam et Syriam abeunt. Attic. 8.
184. 2.	709.	43.	Antonius, hostis iudicatus, cedit Italia. Att. 9, 2.
—	—	—	Idem Mutinae obsidetur, vnde bellum Mutinense dicitur. Att. 9, 1. Fragm. 11, 2.
—	—	—	Idem triumuir rei publicae constituendae. Att. 10, 1. 12, 2.
—	—	—	Proscriptiones. Att. 10, 2. 12, 3.
—	—	—	Attici mater moritur, Att. 17, 1.
—	—	—	Cicero occiditur. Fragm. 13, 1.
184. 3.	710.	42.	Proelium Philippense, in quo cadunt Brutus et Cassius. Att. 11, 2.
187. 1.	720.	32.	Atticus moritur. Att. 22, 3.

INDEX SELECTVS

IN

CORNELIVM NEPOTEM.

(Primus numerus indicat *vitam*; secundus *caput*; tertius *paragraphum*, et fr. *Fragmenta*.)

A

A fundamentis disiicere 20, 3, 3. i. e. funditus, Gr. ἐκ θεμελίων. *A stirpe* 25, 18, 3. ab initio, a prima familiae origine.

Ab sequente consona, vt 1, 3, 3. *ab Scythis*; et sic alibi et in aliis auctoribus, vt Lexica docent.

Abdere se in Thraciam 7, 9, 1. obcultae securitatis notionem infert.

Abesse a persona principis, 15, 1, 2. de eo, quod non decet principis dignitatem, ab ea est alienum.

Abripere, quae alicui portentur 14, 4, 1. i. e. vi intercipere. *Abripi* 1, 4, 2. i. e. vi iniecta abduci, alio traiici.

Abstinere se cibo 25, 22, 3.

Ace 14, 5, 1. Phoeniciae vrbs; h. St. Jean d'Acre.

Acerba mors 5, 4, 3. luctuosa. *imperium* 18, 6, 2. crudele. Sic *acerbitas temporis pristini* 7, 6, 3. de iniuria graui antea tolerata. *Acerbitas* et *obsequium* obponuntur 10, 6, 5.

Acheron, fluuius infernalis, vnde *ab Acheronte redimere* 10, 10, 2. i. e. ab inferis, ex sepulcro.

Acroama 25, 14, 1. v. not.

Acta 17, 8, 2. Graecum ἀκτή, i. e. litus.

Actaei 8, 2, 1. Attici, Athenienses.

Acute loqui fr. 5, 2.

Adceptus male 18, 8, 1. qui in proelio cum clade repellitur.

Adferre manus alicui 20, 1, 4. alias inferre, de caede.

Adfluens 25, 13, 5. i. e. abundans.

Adgredi, fr. 5, 3. passiue.

Adiacere mare 13, 2, 1. verbum geographicum in notatione situs.

Adimantus 7, 7, 1. Alcibiadis conlega.

Adire ad 2, 7, 1.

Admetus 2, 8, 3. Molossorum rex, in Epiro.

Administrare bellum 12, 2, 1. de duce, qui id gerit ab aliis demandatum et descriptum; obponitur *sua sponte gerere bellum*.

Admittere 14, 3, 4. de principibus, qui aditum ad se concedunt.

Admodum adolescentulus 22, 1, 1. i. e. valde. Hinc *non admodum multi* 23, 1, 1. paucissimi.

Adnoscere v. *Agnoscere*.

Adoleſcens 25, 8, 1. de viro quadragenario.
Adorior ſequ. infinitiuo 8, 2, 5. 10, 6, 1. acrem, feruidum conatum indicat. *Adoriri Dodonam* 6, 3, 2. de molimine conrumpendi ſacerdotes Dodonaeos.
Adparere 14, 1, 2. 18, 10, 3. clare cognoſci. *a. alicui* 18, 13, 1. miniſtrare, de honoratiore cultu.
Adpellatus eſt, vt vellet 25, 8, 3. compellatus, rogatus.
Adprime bonus 25, 13, 3. i. e. valde.
Adripere celeriter, quae traduntur 25, 1, 3. de viuida ingenii ſolertia.
Adquieſcere 23, 13, 1. ſignificanter de morte poſt vitae labores ſuperatos conſequuta.
Adria v. *Hadria.*
Adrumetum v. *Hadrumetum.*
Adſumtus labor 25, 4, 1. ſtudio, arte quaeſitus, obponitur *natiuo.*
Adfecla praetoris 25, 6, 4. de eius legato.
Adſpernari fr. 5, 4. paſſiue.
Aduerſum tenere proficiſcentibus 1, 1, 5. de vento, qui proficiſcentibus contrarius flat, qui contra ſpirat.
Aedium locus primus praefat. 6. de ea parte quae eſt ad aditum, vel atrium adtingit; obponitur §. 7. *interior pars aedium.*
Aegae 21, 2, 1. Macedoniae oppidum.
Aegates inſulae 22, 1, 3. iuxta Siciliam. v. not.
Aeger vulneribus 1, 7, 5.
Aegos flumen 6, 1, 4. 7, 8, 1. 9, 1, 2. Gr. Αἰγὸς ποταμὸς, aliis flumen, aliis vrbs Helleſponti in Cherſoneſo Thracia.
Aegyptus 18, 3, 2.
Aemilius, v. *Paullus.* De Aemiliorum gente ſcripſit Atticus 25, 18, 4.
Aeneae ſtatuae 16, 5, 5. 23, 9, 3.
Aeolia 9, 5, 2. Aſiae minoris regio ad mare Aegaeum; eadem 1, 3, 1. *Aeolis.*
Aequalis 3, 1, 1. — alicuius ſ. alicui, i. e. eiusdem aetatis. Graec. σύγχρονος.
Aerarium commune 3, 3, 1. ſc. Gr. ciuitatum; *priuatum Caeſaris* 25, 8, 3. Sub Imperatoribus hoc *fiſci* nomine innotuit.
Aeſtimare litem talentis 1, 7, 6. 5, 1, 1. damnato pecuniam multatitiam conſtituere ex damni modo et pretio aequato.
Aetas extrema 24, 2, 4. 25, 10, 3. de ſenectute. *Aetas extrema imperatorum* 13, 4, 4. vbi florere deſierunt. *Aetatis vacatio* 25, 7, 1. immunitas a bello.
Africanae poſſeſſiones 25, 12, 4. in Africa.
Agamemnon 15, 5, 5. in bello Troiano inclaruit.
Ager Troas 4, 3, 3.
Ageſilaus, Lacedaemoniorum rex 17, 1.
Agis 17, 1, 4. rex Lacedaemoniorum.
Agnonides 19, 3, 4. Phocionem proditionis adcuſat.
Agnoſcere aliquem 14, 3, 4. videre et profiteri, talem eſſe vel eumdem, quem noueramus; *natum* 17, 1, 4. deinceps *ſuum eſſe dicere.*
Agrippa, *M. Vipſanius* 25, 12, 1. familiaris et gener Auguſti.
Ala equitum 18, 1, 6. de equitibus, quia dextro ſiniſtroque latere legiones tegebat.
Albinus, *A.* cum L. Lucullo conſul (a. V. Caton. 601. a. Chr. 151.) Graece res Romanas ſcripſit, Fr. 3, 4.

Alcibiades 7, 1. —
Alcmaeon, matricida 15, 6, 2. Obsidit Eriphylen.
Aere morbum 25, 21, 6. fouere.
Alexander M. Babylone moritur 18, 2, 1. *morbo consumitur* 21, 2, 1.
Alexander Pheraeus, *tyrannus* 16, 5, 1. Pherae vrbs Thessaliae.
Alexandrea 21, 3, 4. vrbs Aegypti.
Alexandri M. subcessores 18, 2, 1. 21, 3, 1.
Alienatae insulae 5, 2, 4. quae defecerunt; obp. bene animatae.
Alica, Fr. 10, 3. ptisana ex farre. Gr. χόνδρος.
Alienigena 18, 7, 1. peregrinus, in aliena regione natus.
Alpes Italiam ab Gallia seiungunt 23, 3, 4. *eas transiit Hercules Graius*, *post eum Hannibal*; ib.
Alpici, al. *Alpini* 23, 3, 4. qui in Alpibus habitant.
Altera persona, distinguitur a *secunda* 16, 4, 3. vbi v. not. *Altero tanto longior* 18, 8, 5.
Ambitio 10, 2, 2. quid? v. not.
Amici Alexandri M. 18, 2, 4. 21, 3, 1. *regis* sc. Persarum 1, 3, 2. i. e. consiliarii, praefecti, proceres.
Amissus 7, 6, 2. i. e. amissio, rarissimo exemplo.
Ammon, v. *Hammon*.
Amphipolis 5, 2, 2. oppidum Thraciae.
Amplius, sequente quam 22, 2, 4. eo omisso 16, 2, 3.
Amyntas Macedo 11, 3, 2. i. e. Macedoniae rex. Vid. *Philippus*.
Anagnostes 25, 13, 3. et 14, 1. qui in conuiuio comedentibus librum legebat.
Anastrophe, quando praepositio vel connexum alias vocabulum primario postponitur; v. c. *hunc aduersus* 9, 2, 2. *nihil erat super* 7, 8, 1.
Anceps periculum 2, 3, 3. quod vtrimque obiicitur, instat.
Andocides 7, 3, 2. vnus ex decem claris Graeciae oratoribus, cuius exstant adhuc 4 orationes.
Androcles Magnes 14, 5, 6. ex Magnesia; exercitui a Datame praefícitur.
Anicia 25, 2, 1. Attici consobrina, vxor Serv. Sulpicii.
Anima 23, 1, 3. de vita; et sic passim.
Animatae bene insulae 5, 2, 4. quae in fide et obsequio manent. Contra *alienatae* ib.
Animus 1, 4, 5. 10, 5, 3. i. e. fiducia, constantia. *Animo isto esse* 18, 1, 4. de sensus, studio.
Annibal v. *Hannibal*.
Annulum suum Alexander M. moriens Perdiccae dat 18, 2, 1. signum demandati imperii.
Anno vertente 17, 4, 4. i. e. integro anno; nempe quia denuo vertitur et nouus incipit.
Antaeus, Fr. 8, 3. tyrannus in Africa Tingitana inmani corpore, ab Hercule tandem in lucta obcisus.
Antalcidae pax 7, 7, 1. vid. not.
Ante illum imperatorem 11, 1, 3. antequam ille esset imperator.
Anteferre religionem irae 17, 4, 6. religionis causa et respectu iram cohibere.
Antigonus 21, 3, 1. — ex subcessoribus Alexandri M.
Antiochus 23, 2, 1. — Magnus, rex Syriae.

Antipater 18, 2, 2. et 5, 1. ex amicis et ſubbeſſoribus Alexandri M.
Antiquitatis amator 25, 8, 1. de Attico; quid? vid. not. et cap. 20, 2.
Antiſtare 3, 1, 2. pro *anteſtare* legunt aliqui.
Antiſtites Iouis 6, 3, 3. ſacerdotes.
Antonius M. hoſtis iudicatus cedit Italia 25, 9, 2. *triumuir rei publicae conſtituendae* 25, 12, 2.
Apenninum transit Hannibal 23, 4, 2. Fuit mons, qui mediam Italiam inde ab Alpibus exorſus diuidit.
Aperire 10, 6, 4. oſtendere, declarare. Hinc *aperta*, quae nota ſunt et perſpicua 4, 3, 7. 9, 3, 1.
Apollocrates 10, 5, 6. Dionyſii minoris filius natu maior.
Appia via 25, 22, 4. a Roma in Campaniam et ad mare vsque Brundiſium.
Apulia 23, 4, 4. regio Italiae. H. Puglia.
Aquileia, Fr. 7, 7. oppidum Italiae eodem et nunc nomine.
Arabicus ſinus, Fr. 7, 3.
Aram tenens iurat Hannibal 23, 2, 4. ſanctitatis in hac ſolemnitate augendae momentum.
Arcades 15, 6, 2. — in Peloponneſo. Hinc *Arcadia* 7, 10, 5.
Archias 16, 3, 2. vnus ex magiſtratibus Thebanorum.
Archilochus, poeta, quando claruerit, Fr. 1, 3.
Ardeatinum praedium 25, 14, 3. iuxta Ardeam, Latii vrbem.
Arete 10, 1, 1. Dionyſii ſuperioris filia, Dionis vxor.
Argi 21, 2, 2. oppidum Peloponneſi, vnde *Argiui* 15, 6, 2.
Argutiſſime in ſchola praecipere de continentia, Fr. 5, 1. de ſubtilibus philoſophorum diſputationibus.
Ariobarzanes, *praefectus Lydiae*, *Ioniae et totius Phrygiae* 14, 2, 5.
Ariſtides 3, 1. —
Ariſtomache 10, 1, 1. Dionyſii ſuperioris vxor, Dionis ſoror.
Arma pedeſtria 11, 1, 3. i. e. peditum. *Arma abiicere* 12, 4, 3. flagitium militis. *Ad arma vocare vulgus* 16, 3, 3. 19, 2, 5. ſc. capienda; in ſubito tumultu, ſeditione —
Armare regem 23, 10, 1. monere, vt arma capiat, bellum ingrediatur. *Armare ſe inprudentia alterius* 10, 8, 2. ex ea robur ſumere, maiorem vim conligere. *Armata nauis* 14, 8, 2.
Armatura leuis 14, 8, 2. qua vtebantur velites, vt iacula, ſagittae.
Armenii 14, 8, 2. in Armenia, Aſiae regione.
Armillae aureae 14, 3, 1.
Ars noua 1, 5, 3. noua ratio, inuentio.
Arſidaeus 14, 6, 1. Datamis filius.
Artabanus 21, 1, 5. praefectus, qui Xerxem interemit.
Artabazus 4, 2, 5. et 4, 1. praefectus Xerxis.
Artaphernes 1, 4, 1. claſſi a Dario praeficitur.
Artaxerxes, *Macrochir et Mnemon* 21, 1, 5. De vtroque paſſim; de illo in Themiſtocle 2, 9, 1. — de hoc in Iphicrate 11, 2, 4. et Datame 14, 1, 3.
Artemiſium 2, 3, 2. Euboeae promontorium.
Artifices, *quos cultus domeſticus deſiderat* 25, 13, 4. v. c. pictores, caelatores.
Arx Athenarum 5, 2, 5. ſimpliciter arx dicitur 2, 2, 8. in nexu *Arx Thebarum*, *quae Cadmea nominatur* 16, 1, 2. *Syracuſarum* 20, 3, 3.

Asia subcubuit Europae 2, 5, 3. de vtriusque populis illo tempore insignioribus, et hinc idem quod: Persae subcubuerunt Graecis.
Aspendii 8, 4, 4. 14, 8, 2. ab Aspendos, quae vrbs fuit Pamphyliae.
Aspis, Cataoniae dynastes 14, 4, 1.
Assecla v. *adsecla*.
Astu f. *Asty* 2, 4, 1. Gr. ἄστυ, de Athenis, vt Vrbs de Roma per praestantiam
Asyli periphrasis 4, 4, 4.
Athamanes 13, 2, 1. gens Epirotica, Acarnaniae et Aetoliae vicina.
Athenae, *ciuitas clarissima* 8, 2, 1. *splendidissima* 7, 11, 2. *victae Lacedaemoniis seruiunt* 7, 9, 4. 8. 1, 5. Athenae et Athenienses saepissime commemorantur.
Atticus 25, 1 —
Auderi et *audere* 1, 4, 5. v. not.
Audiens dicto duci 11, 2, 1. v. not. ad 1, 6, 2.
Auertere puppes 23, 11, 6. de recedentibus.
Aurelius C. consul 23, 7, 1. a. V. Caton. 552. a. Chr. 200.
Autem, in transitu ad nouam narrationis partem 25, 17, 1.
Αὐτομάτας *sacellum* 20, 4, 4. V. not.
Autophradates, *Lydiae satrapes* 14, 2, 1.

B

Babylon 18, 2, 1. vrbs Chaldaeae primaria, vbi mortuus est Alexander M.
Baebius, *Cn. Baebius Tamphilus*, consul 23, 13, 1. a. V. Caton. 570. a. Chr. 182.
M. Baebius Tamphilus, ibid. consul a. V. Caton. 571. a. Chr. 181.
Balbus, L. Cornelius 25, 21, 4. Attici familiaris.
Barba promissa 14, 3, 1. dependens et hinc longa.
Barcas, *cognomen Hamilcaris* 22, 1, 1.
Beatus 17, 8, 2. dines, rei familiaris copiis instructus.
Bellum Aegyptium 14, 3, 5. *Ciuile Caesarianum* 25, 7, 1. *Corcyraeum* 2, 2, 1. *Corinthium* 17, 5, 1. *Peloponnesiacum* 7, 5, 1. 8, 1, 3. *Persicum* 2, 2, 3. *Punicum*, primum 22, 1, 3. secundum 22, 3, 6. tertium 24, 3, 3. *Sociale* 11, 3, 3. *Troicum*, ad Troiam, 14, 2. 2. *Intestinum* 22, 2, 1. *Nauale* 2, 2, 3.
Bellum agere 23, 8, 3. propellere, sustinere, adiuuare. v. not. *ducere* 7, 8, 1. morari, proferre; *facere alicui* 10, 4, 2. inferre.
Bene meriti 18, 6, 5. qui nobis beneficia contulerunt.
Benignitas 20, 2, 2. ex nexu de praestito auxilio.
Bithyni 23, 11, 4. Bithyniae in Asia minori incolae.
Boeotii bellum indicunt Lacedaemoniis 9, 2, 4. De illorum studiis et virtutibus 7, 11, 3.
Boiorum rex, Fr. 7, 1. v. not.
Bonitas. Quum latissime eius vis pateat, ex nexu definiri in singulis locis debet. Sic 1, 8, 3. de aequitate, lenitate ciuilis imperii.
Bonus ciuis 11, 3, 2. significanter, qui ciuitatis commoda tuetur, sua officia peragit. Cognomen *Bonus* Phocioni datum 19, 1, 1.
Borni 7, 7. 4. castelli nomen, in Thraciae Chersoneso ad Propontidem.

Bosporus Thracius et Cimmerius, Fr. 8, 2. h. fretum Constantinopolitanum et Caffae.
Brutus M. Iunius, interfector Caesaris, et Iun. Brutus 25, 8, 1. — *Byrsa*, Fr. 3, 2. interior pars Carthaginis.
Byssanthe 7, 7, 4. castellum in Chersoneso Thraciae ad Propontidem.
Byzantium expugnatum 4, 2, 2. Vrbs Thraciae, quae post Constantinopolis nomine inclaruit.

C

Cadere 4, 1, 2. de obsis in proelio; quia pugnantes et integri stant in acie. *Res cadit praeter opinionem* 1, 2, 5. euenit. *Cadere in suspicionem* 9, 2, 6. suspectum fieri. *Aetas eius cecidit in ea tempora* 18, 1, 2. al. *incidit*; i. e. vixit illis temporibus.
Cadmea, *arx Thebana* 15, 10, 3.
Caduceus 23, 11, 1. Gr. κηρύκειον, baculus praeconis, legati, pacis insigne.
Caduſii 14, 1, 4. inter mare Caspium et Pontum Euxinum populi.
Caecilius, *Q. eques* Romanus 25, 5, 1.
Caesar, (Iulius) obsisus 25, 8, 2. *Caesar*, de Augusto post dicto, 25, 12, 2
Caesarianum ciuile bellum 25, 7, 1. inter Caesarem et Pompeium.
Calces remittere 18, 5, 5. de equis; v. not.
Calidus, *L. Iulius* 25, 12, 4. poeta.
Callias 5, 1, 3. Athenienses diues.
Callicrates 10, 8, 1. ciuis Athenienses, Dionem interfici curat.
Calliditate omnes vincere 18, 1, 3. de sagacitate, peritia in quamcunque partem conuersa, saepe in peiorem. Sic *callidus vir* 14, 10, 1. *liberalitas*, insidiosa, qua alios captamus 25, 11, 3. *Callide cogitare* 14, 8, 4. omnia sagaciter explorare.
Calliphron 15, 2, 1. saltator, et Epaminondae praeceptor.
Callistratus 15, 6, 1. Athenienſium legatus et eloquentissimus.
Calx v *Calces*.
Camillus felicior Manlio, Fr. 5, 7.
Camissares, *pater Datamis* 14, 1, 3.
Canere 25, 16, 4. verbum solemne de oraculis, vatibus, poetis.
Cannenses pugna 23, 5, 4. et 5. extr. in quo Hannibal Romanos summa clade adfecit. Cannae, Apuliae vicus.
Capessere rem publicam 2, 2, 1. adire magistratum.
Capitolinus v. *Quinctius*.
Capitulatim 24, 3, 4. summatim; Gr. κεφαλαιωδῶς.
Cappadocia (Asiae minoris prouincia) *Eumeni data* 18, 2, 2. vnde *Cappadox* 14, 8, 2.
Captiani, al. *Caspiani* 14, 8, 2. populus Asiae.
Capua 23, 5, 1. vrbs Campaniae.
Caput Graeciae 15, 10, 4 vrbs Graeciae primaria et domina. *Capitis damnari* 7, 4, 5. — *absolui* 1, 7, 6. ex Grammaticis nota.
Cardaces 14, 8, 2. genus militum apud Persas. V. not.
Cardianus 18, 1, 1. ex vrbe Cardia in Chersoneso Thraciae.
Cares 14, 1, 3. Lemni incolae ex Caria Asiae regione *Caria* 17, 3, 1.
Carthago, Fr. 3, 4. vrbs Africae propriae, vbi h. El-Mersa, prope Saka-rah. Hinc *Carthaginienses* saepe.
Carystus, Fr. 10, 7. vrbs Euboeae, h. Caristo.

Caſpium mare, Fr. 8, 4.
Caſſander 18, 3, 3. — vnus ex ſubceſſoribus Alexandri M.
Caſſius, C. 25, 8, 1. 11, 2. interfector Iulii Caeſaris.
Caſtrum 7, 9, 3. locus muro munitus. Inde *caſtellum* 23, 12, 3.
Caſtra nautica 23, 11, 6. de ſtatione nauium. *ponere* 14, 11, 4. *facere idoneo loco* 1, 5, 2. *mouere* 14, 8, 4. caſtris relictis vlterius progredi; *alicuius ſequi* 24, 1, 2. apud aliquem militare.
Cataonia 14, 4, 1. Aſiae regio, iuxta Cappadociam.
Cato, Porcius Cato 24.
Catullus 25, 12, 4. poeta etiam nunc carminibus celeber.
Catulus, C. Lutatius 22, 1, 3. pacem cum Carthaginienſibus facit, et bello Punico I. finem inponit. Conſul a. V. Caton. 510. a. Chr. 242.
Cauſam capitis dicere 19, 2, 3. in cauſa capitali pro ſe verba facere in iudicio. *Cauſam interponere* 2, 7, 1. cauſa praetexta vti in ipſo rei curſu.
Celebritas, Praef. 6. frequentia. *Celebrare* 20, 5, 4. de frequenti funeris comitatu.
Cenſorius 24, 1, 1. qui antea cenſuram geſſit.
Centenius, C. *praetor* 23, 4, 3. ab Hannibale caeſus perit.
Cera circumfunditur, mellis defectu, Ageſilai corpus, arcendae putredinis cauſa 17, 8, 7.
Ceraunus, Ptolemaei cognomen 21, 3, 3.
Cerne, fr. 8, 5. oppidum Mauretaniae.
Certa dies 12, 3, 1. conſtituta. *Certi homines* 7, 10, 1. — quibus fides haberi poſſit.
Cethegus, P. Cornel. conſul 22, 13, 1. a. V. 571. a. Chr. 181.
Chabrias 12.
Chalcioecus 4, 5, 2. v. not.
Chalcis 13, 3, 5. vrbs Euboeae ad Euripum.
Chaones 13, 2, 1. populus Epirotarum.
Chares, Athenis honoratus et potens 12, 3, 4. Athenienſium dux apud Chaeroneam.
Cherſoneſus 1, 1, 1. Thraciae paene inſula, ſic κατ' ἐξοχήν dicta.
Chiliarchus, qui ſecundum gradum imperii tenebat apud Perſas 9, 3, 2.
Chius 12, 4, 4. inſula Aſiae in mari Aegaeo, h. *Scio*.
Cicero 25, 1, 4. M. Tullius, aequalis Attici.
Cicero, Qu. Tullius 25, 16, 3. — prioris frater iunior, Attici ſororem in matrimonio habuit 25, 5, 3.
Ciconiae in deliciis ciborum, Fr. 10, 1.
Cilicia 14, 7, 2. regio Aſiae minoris, vnde *Cilices* 14, 8, 2. *Portae Ciliciae*; vid. infra.
Cimon 5.
Cinnanus tumultus 25, 2, 2. motus a L. Cornelio Cinna, conſule a. V. Caton. 665-668. a. Chr. 87-84.
Circulus 15, 3, 3 coetus coeuntium et circulo quaſi facto confabulantium.
Circus Flaminius, Fr. 11, 1.
Citari victorem, praef. 5. praeconis voce victorem renuntiari.
Citerior Hiſpania 24, 2, 1. Tarraconenſis.
Citharizare 15, 2, 1. cithara canere.
Citium 5, 3, 4. oppidum Cypri.

Ciuitas Romana amittitur alia adſcita 25, 3, 1.
Claſſiarii 1, 7, 3. milites in claſſe pugnantes.
Claſtidium 23, 4, 1. oppidum Galliae Cispadanae; h. Chiaſtezzo.
Claudius, M. Claudius Marcellus, Conſul 23, 7, 6. a. V. Caton. 556. a. Chr. 196.
Cleophantus, Fr. 10, 6. pictor Corinthius.
Clinias 7, 1, 1. Alcibiadis pater.
Cnidus 9, 4, 4. v. not.
Coelius, L. Antipater, Fr. 8, 1. hiſtoricus Latinus.
Cognoſcere librum 6, 4, 3. perlegere; *literas* 14, 5, 5.
Coire 16, 2, 3. conuenire, conſociari in aliqua re perficienda. Cf. 25, 8, 4. 9, 2, 2.
Coli literis ab aliquo 25, 20, 4. ſc. ſtudii, beneuolentiae probandae cauſa.
Collis Quirinalis 25, 3, 2. in vrbe Roma.
Colonae, locus in agro Troadis 4, 3, 3.
Comitium 17, 4, 2. Spartae V. not. *Comitia amicorum* 25, 4, 4. not.
Commeatus 1, 7, 2. 19, 2, 4. annonae ſubuectio.
Commendare alicui regnum 18, 2, 2. ſubceſſorem deſignare.
Commode ſaltare, praef. 1. concinne, eleganter.
Commoueri nuntio 14, 7, 1. excitari; *noua re* 14, 6, 6. perturbari.
Communis infimis 25, 3, 1. eſt, qui parem ſe iis facit, agit.
Comparatiuus abſolute paſſim poſitus, vbi diſerta non adeſt comparatio, ſc. ſolito, iuſto — prout fert nexus. Sic 18, 6, 2. *acerbius imperium*, ſc. iuſto, ſolito acerbius. *Contumacius gerere ſe* 5, 2, 5. et plura alia.
Compellare aliquem fratricidam 20, 1, 5. cum vi et ſignificanter, i. e. increpare, obiurgare. *Compellari crimine* 7, 4, 1. adcuſare, in foro.
Compoſito 14, 6, 5. qu. compoſita re: alias etiam addita praepoſitione *ex compoſito*, vti ſolet Liuius. Sic *compacto* et *de compacto* eodem ſenſu, vti conuenerat.
Conari 14, 7, 2. vbi: *prius cogitare, quam conari*; igitur adire, adgredi, tentare id, quod antea animo verſatum et decretum erat.
Conata perficere 10, 8, 5. quibus duabus formulis rei rite peractae modus a primo momento declaratur. Tum *conata* paſſiue dixit, vt ſupra *adgredi*.
Conceptis verbis deierare auſim, Fr. 12, 3. i. e. verborum formula praeſcripta et ſolemni; de grauiori, ſanctiori adſeueratione.
Concidere multa milia aduerſariorum 14, 8, 3. vt caedere, interficere, i. e. delere. Cf. 23, 3, 4. — De toto exercitu dictum maximam cladem indicat.
Concidit maieſtas imperii 16, 2, 4. perit.
Concinnus in breuitate reſpondendi 15, 5, 1. v. not.
Concurſus 8, 1, 4. — de proelii aditu et conflictu. *Concurſus magnus* 14, 3, 3. ſc. hominum, ſpectandi ſtudio. Vtrumque pro re ſubſtrata et ex nexu.
Concutere opes Lacedaemoniorum 15, 6, 4. labefactare potentiam.
Conditio aequa 25, 2, 4. de verſura, i. e. pactio, conuentio. De matrimoniio 25, 12, 1. quae vxor ducenda obfertur. Cf. ad 5, 1, 4.
Conductitiae caterua 12, 1, 2. de mercenariis militibus. Sic *exercitus conductitius* 11, 2, 4.

Conferre facta clarorum virorum 23, 13, 4. i. e. comparare.
Conficere aliquem 6, 1, 1. — hoſtili ſenſu eſt ita deuincere, vt penitus proſtratus iaceat.
Confidere, non ſolum ſperare, ſed etiam confidere 1. ip. vbi progreſſio notatur.
Confirmare aliquid 14, 11, 1. fidem rei facere.
Congredi 24, 11, 2. ad conloquium; *cum aliquo* 23, 1, 2. 6, 2, in bello, pugnare. V. ſupra *concurrere*.
Conlabefieri ab aliquo 3, 1, 2. dignitate deiici; ex metaphora.
Conon 9.
Conripere partes omnium 18, 2, 3. omnium regiones, quibus praeerant, potentiam ad ſe trahere.
Conrumpere Delphos 6, 3, 1. i. e. ſacerdotes oraculi Delphici.
Conſcripti Patres 23, 17, 2. ſolemnis ſenatus R. compellatio.
Conſilii mei non eſt id arbitrium 9, 4, 1. De eo, etſi libere liceat, datum ſit, nihil certi ſtatuere et iudicare poſſum.
Conſiſtere 11, 2, 1. de acie inſtructa.
Conſtituere vrbem 15, 2, 5. inſtaurare et incolis frequentare. *Conſtituendae rei publicae triumuir* 25, 12, 2. i. e. ordinandae. Et ſic varie in vario nexu.
Conſulere Apollinem 1, 1, 2. conſilium ab eo petere. Cf. 2, 2, 6.
Contendere 15, 8, 1. adfirmare, in oratione, ſermone. *Quo contenderat* 13, 3, 4. quo curſum direxerat; vbi ad locum refertur, quem petimus.
Contineri hoſpitio alicuius 6, 1, 5. de coniunctione ex foedere hoſpitii.
Conuenit hoc inter illos 4, 4, 2. pacti ſunt de hoc inter ſe. Sic res conuenire dicuntur, veluti *conditiones pacis* 23, 6, 2.
Conuiuio vxores Romani adhibebant, Graeci non item, praef. 6.
Corcyraeum bellum 2, 2, 1. *Corcyra* 13, 2, 1. maris Ionii inſula, h. Corfu.
Corinthus 10, 5, 1 vrbs Achaiae in Peloponneſo ad Iſthmum, h. Corinto, vnde *Corinthius*.
Cornelia, Fr. 12. mater Gracchorum.
Cornelius, L. conſul 23, 8, 1. a. V. Caton. 559. a. Chr. 193.
Cornelius Scipio, v. Scipio.
Coronea 17, 4, 5. vrbs Boeotiae.
Cotta, L. Aurelius Cotta, conſul 25, 4, 5. a. V. Caton. 687. a. Chr. 65.
Cotus l. *Cotys* 13, 1, 2. 11, 3, 4. rex Thraciae.
Craterus 18, 1, 2. vnus ex ducibus Alex. M.
Creta 23, 9, 1. inſula maris mediterranei, h. Candia.
Crimiſſus, al. *Crimeſus* 20, 2, 4. Siciliae fluuius, h. Belici; aliis Bractalomeo. Diſſentiunt enim recentiores.
Crithote 13, 1, 3. oppidum Helleſponti in Cherſoneſo Thraciae.
Critias Athenienſium tyrannus 7, 10, 1. 8, 2, 7.
Cruſta marmoris parietes totius domus ſuae primus operuit Mamurra, Fr. 10, 7.
Cullens 18, 8, 7. ſaccus inter vaſa militaria traiiciendo amni.
Cyclades inſulae 1, 2, 5. in mari Aegaeo, ſic dictae, quia in orbem iacent. V. Mela 2, 7, 11.
Cyme 7, 7, 1. vrbs maritima Aeolidis in ora ſinus Smyrnaei, hodie, vt quidam putant, Foia nuoua.

Cyprus 4, 2, 1. insula Asiae iuxta Ciliciam et Syriam.
Cypselus, Fr. 10, 6. Corinthiorum tyrannus.
Cyrenae 17, 8, 6. vrbs Libyae.
Cyrus 21, 1, 2. — rex Persarum.
Cyrus minor 7, 9, 5. 9, 3, 1. Darii Nothi filius, contra Artaxerxen Mnemonem, fratrem, bellum monit.
Cyzicum 13, 1, 3. vrbs paene insulae ad Propontidem in Asia minori; h. Mirabilia et prope Antaki.

D

Damnari timore populi 2, 8, 1. i. e. ob timorem, vt proxime ante. *Damnatus voti* 20, 5, 3. qui tenetur susceptum votum persoluere, quia optata consecutus est; hinc *voti compotem esse factum*, apud auctores etiam alios.
Damon, musicus 15, 2, 1.
Danubius, Fr. 7, 7.
Dare manus 22, 1, 4. ex nexu signum, quo quis victum se esse indicat. *operam honoribus* 24, 1, 1. rei publicae munus adfectare, ad rem publicam adcedere; *vela ventis* 23, 8, 2. de nauibus in altum prouectis; *veniam*; vid. s. l. *crimini* 15, 8, 2. arguere; *dare se alicui* 25, 9, 2. de studio, fauore; *soporem* 10, 2, 5. h. e. medicamentum soporiferum.
Darius Hystaspis filius, *rex Persarum* 21, 1, 2. 1, 3, 2. *Darius* II. Nothus 7, 5, 2.
Datames 14.
Decelia (Δεκέλεια) 7, 4, 7. oppidum et castellum Atticae.
Decernere cum aliquo 23, 4, 1. dimicare.
Decidere 18, 11, 5. metaphorice de fortunae prosperae subuersione; vt labefactare, labi et similia.
Decurrere in spatio 18, 5, 5. de equis qui cursu experiantur.
Deesse alicui de fama dimicanti 13, 4, 3. in iudicio non defendere.
Deferre aliquid senatui 23, 12, 2. exponere; *de aliqua re alicui* 14, 7, 1. nuntiare, narrare.
Deierare, Fr. 12, 3. valde, sancte iurare. V. *conceptis verbis*.
Deinde post 18, 5, 5. pleonastice. v. not.
Delectus noui 23, 6, 4. de militibus recens lectis. *Delecta manus* sc. militum 1, 1, 4. i. e. certa aliqua ad expeditionem adscita.
Delegare alicui a.l *volumen aliquod* 24, 3, 5. monere, vt alius librum adeat et consulat.
Deleti barbari 4, 1, 3. penitus et cum summa clade deuicti. Sic caedere, interficere.
Deliberare 2, 2, 6. Cf. 1, 1, 2. consulere oraculum; ex nexu. Hinc contra *Pythia respondit* 2, 2, 6.
Delphi 1, 1, 2. vrbs Phocidis; pro oraculo Delphico vel eius sacerdotibus 6, 3, 2.
Delus, vbi *commune Graeciae aerarium* 3, 3, 1. Vna Cycladum in mari Aegaeo.
Demades 19, 2, 2. orator Atheniensis; Athenas tradi cupit Antipatro.
Demaenetus 20, 5, 3. Atheniensis, Timoleontis obtrectator.
Demaratus, fl. 10, 6. v. not.
Demergere 10, 3, 1. de fortuna, quae mutata (antea *efferre*) deprimit.

emetrius perit in cuſtodia 21, 3, 1. Antigoni filius.
emetrius Phalereus, Athen. *in factione optimatium erat* 19, 3, 1. Cf. 1, 6, 4.
emocratia Athenis reſtituitur 18, 3, 1.
emoſthenes in exſilium pulſus 19, 2. 2. orator celeberrimus.
eprimere naues 9, 4, 4. i. e. demergere.
eroyllus 19, 2, 4. ab Antipatro praefectus Atticae.
eſcendere in Graeciam 3, 1, 5. de Xerxe ex Perſia; contra *adſcendere*. Sic apte et vere *deſcendere in Piraeeum* 7, 6, 1.
eſtitui ab aliquo 7, 5, 4. de negata opera et auxilio.
eterior peditatu 18, 3, 6. inferior, infirmior.
etrahere de aliquo 12, 3, 3. de inuidioſa obtrectatione.
euerterg Thaſum 6, 2, 2. ex itineris curſu deflectere.
euocare 5, 4, 3. de foro ad coenam vocare.
euouere aliquem 7, 4, 5. de publico deuotionis ritu. Cf. 7, 6, 5.
euti 18, 11, 3. verbum rarum. v. not.
extra 2, 8, 4. 14, 10, 1. — in fidei pignere.
ianae templum 23, 9, 3. apud Gortynios in Creta.
icere cauſam capitis 7, 4, 3. in iudicio capitali verba facere. *Dicere pro ſe* 1, 7, 5. ſc. in iudicio. *Dicere* oratorum, vt *dicendo valere* 7, 1, 2.
icto audiens alicui 6, 1, 2. v. not.
ies, *in diem emere* 25, 9, 5. vt ſoluas poſt aliquod tempus, ad certam diem.
iffertur rumor 10 10, 1. diſpergitur.
gnitas regia 1, 2, 3. poteſtas etiam, quia obponitur *nomen*, *Dignitati ſeruire* 25, 6, 5. honori, exiſtimationi. *Dignitas corporis* 10, 1, 2. de decora corporis forma; etiam de viris. *Dignitas vitae* 7, 11, 2. cum ſplendore coniungitur. *Pro dignitate viuere* 25, 2, 2. qua decet virum honeſtum.
micare de fama 13, 4, 3. in iudicio disceptare.
mittere imperium 20, 2, 3. deponere; *vitam* 23, 12, 5. amittere, negligere.
non hiſtoricus 9, 5, 4. cuius ſcripta interierunt.
on 10.
onyſius prior 10, 1, 2. *Dionyſius filius arceſſit Platonem Athenis*, 10, 3, 1.
onyſius, *Thebanus* 15, 2, 1, muſicus.
ſcedere pari proelio 2, 3, 3. aequo Marte, vt neuter vicerit. Discedere de iis, qui pugnare ceſſant; omnino de euentu certaminum, in iudicio etiam, vt 15, 8, 5.
ſpenſare pecuniam 9, 4, 1. de inpenſae miniſtro et procuratore.
ſſolutus 7, 1, 4. de vita ſine certa legis ratione, quae tenet et quaſi vincit.
uerſi diſcedunt 14, 11, 3. in diuerſas partes.
uinus 25, 9, 1. de eo, qui valet diuinandi ſagacitate et prouidentia, et hinc conſtanti propoſito agit.
ɔcere 1, 6, 1. extra ſcholas, tradere, exponere. Contra fio *diſcere*.
ɔdona 6, 3, 2. vrbs Moloſſorum in Epiro, vbi oraculum et templum Iouis.
ɔdrans, *ex dodrante heres* 25, 5, 2. qui nouem totius hereditatis partes adcipit. V. not.

Dolopes 5, 2, 6. populi Theſſaliae, qui Cimonis tempore Scyrum incoluerunt.
Dolor deſiderii 25, 4, 5. ex deſiderio.
Domitius, Cn. Domitius Ahenobarbus 25, 22, 3. conſul a. V. Caton. 720. a. Chr. 32.
Druſilla, *Liuia*, *natus*, *Tiberius Claudius Nero*, poſt Imperator 25, 19, 3.
Ducere ſocum 22, 3. 1. de contubernio. *Ducere bellum* 7, 8, 1. de mora belli. Sic *ducere tempus* 2, 7, 1.
Dulceſco, Fr. 7, 8.
Duplex agreſte amiculum 14, 3, 2. craſſum duplici filo contextum et humilium.
Dux manus 16, 4, 2. qui exercitus parti praeeſt.
Dynaſtes Paphlagoniae 14, 2, 2.

E

Edere in vulgus 14, 6, 4. ſc. famam, rumorem, i. e. euulgare.
Editus locus 17, 6, 2. altior.
Efferre matrem 25, 17, 1. ſolemne verbum in ſepultura.
Effuſi honores 1, 6, 2. liberalius conlati; *largitiones* 25, 6, 2. immodicae.
Elatius ſe gerere 4, 2, 2. inſolentius.
Elis 7, 4, 4. Elidis ſ. Elese in Peloponneſo vrbs.
Elpinice 5, 1, 2. Cimonis ſoror.
Emax 25, 13, 1. qui emendi ſtudio ducitur.
Emphyletus 19, 4, 3. v. not.
Ennius, Q. *poeta* 24, 1, 3. cuius ſuperſunt fragmenta.
Enuntiare 4, 4, 6. rem ſecretam efferre.
Epaminondas 15.
Epheſus 17, 3, 1. vrbs Ioniae celebris, h. quibusdam Aioſolak.
Ephemeris 25, 13, 6. diarium; v. not.
Ephori Lacedaemoniorum 2, 7, 2. ſummi magiſtratus.
Epiroticae poſſeſſiones 25, 14, 3. in Epiro.
Equeſtris dignitas 25, 1, 1. de ordine inter Senatum R. et plebem medio.
Eretria 1, 4, 2. vrbs Euboeae.
Eryx 22, 1, 2. mons Siciliae; h. Trapani.
Eſſe in eo, *vt* 1, 7, 3. parum abeſſe, de rei perficiendae proximo euentu; *calamitati* 14, 6, 6. inferre; *malo* 7, 7, 3. et ſic alia. *Eſſe cum aliquo* 22, 3, 2. de conuictu.
Etruria 23, 4, 2. Italiae nota regio; h. Toſcana.
Euagoras 12, 2, 2. Cypri rex.
Euboea 1, 4, 2. inſula Graeciae a Boeotia anguſto Euripi freto diuiſa; h. Negroponte.
Eudoxus, Fr. 7, 3.
Eumenes, Cardianus 18.
Eumenes, *rex Pergamenus*, *Romanis amiciſſimus* 23, 10 ſq.
Eumolpidae 7, 4, 5. v. not.
Euocare aliquem 9, 5, 3. ex aliquo loco excitare, arceſſere.
Europae ſubcubuit Aſia 2, 5, 3. v. *Aſia*.
Europaei aduerſarii 18, 3, 2. ab Europa.
Eurybiades, *rex Lacedaemoniorum* 2, 4, 2.

Eurydice, mater Perdiccae et Philippi 11, 3, 2.
Euryſthenes, rex Spartanorum 17, 1, 2.
Exacui ira 19, 4, 1. irritari, exaſperari.
Exaduerſum Athenas 2, 3, 4. e regione.
Excedere pugna 15, 9, 2. deſiſtere a pugna.
Excipere hoſtium inpetum 12, 1, 2. inruenti hoſti ſe obiicere, reſiſtere.
Exemplum deuotionis 7, 4, 5. formula deſcripta.
Exercitus victor 17, 4, 2. i. e. victoriis clarus.
Exhauſtus 7, 8, 1. cuius opes plane ſunt conſumtae; elegans et efficax metaphora, quae priſtinam abundantiam, copiam indicat.
Exiguus 17, 8, 1. breuis ſiaturae.
Exiles res 18, 5, 1. tenues; v. not.
Exire 2, 6, 5. domo proficiſci. Cf. 7, 4, 2. 17, 6, 1. vbi eſt in bellum abire.
Exitus 19, 4, 3. de morte, vitae fine; *aedificii* 23, 12, 3 de foribus.
Expedire rem 18, 9, 2. *ſe* 23, 5, 2. refertur ad ſublata obſtacula, omninoque ea, quae remorantur, retinent. *Expedita ad dimicandum manus* 14, 6, 2. promta, parata. *Expedire relatum in proſcriptorum numerum* 25, 12, 4. ex numero eximere.
Expenſum ſumtui ferre 25, 13, 6. referre in rationes, commentarium eorum, quae expendimus.
Explicari non potuit multitudo 2, 4, 5. in acie extendi, expandi.
Exponere aliquem e naue 2, 8, 7. verbum nauticum.
Externum malum 22, 2, 1. de bello externo.
Exſtinguere liberos 25, 9, 2. e medio tollere; a lumine, igni ad alia, quae delentur, perduntur, transfertur. *Exſtinguere aliquos* 17, 5, 4. pugnando perdere.
Extremo bello 9, 1, 2. pro belli fine.

F

Fabius, M. Ambuſtus, Fr. 1, 5.
Fabius, Q. Maximus, dictator Rom. 23, 5, 1. dictus Cunctator, a quo *Fabiani milites* 11, 2, 4. de praeſtantiſſimis.
Fabius, Q. Labeo 23, 13, 1. conſul a. V. Caton. 569. a. Chr. 185.
Facere. Faciebat vt numerarent 15, 3, 6. efficiebat, curabat. *Plura bona feci* 2, 9, 3. de beneficiis; *pecunias ex metallis* 5, 1, 3. ex metalli fodinis pecuniam multam comparare; *miſſum aliquem* 18, 11, 3. dimittere captiuum; *poteſtatem ſui* 23, 9, 1. ad congrediendum, ad pugnam; *rem* 7, 4, 3 adcuſare; *verba* 2, 10, 1. orationem habere; *lucri aliquid* 8, 1, 3. ad commodum ſuum transferre Cum ſubſtantiuo iunctum ſaepe facit cognati verbi periphraſin, v. c. *inſidias* 7, 9, 2. i. e. inſidiari. Alia quaedam in vocibus additis notata ſunt.
Face 4, 2, 4. pro fac.
Fio. Quid his fieri vellet 17, 4, 6. i. e. de his.
Factio. Sine factione amicis officia praeſtanda 25, 8, 4. i. e. libere, vt nullo partium ſtudio inretiti teneamur.
Falernus ager 23, 5, 1. in Campania, generoſo vino clarus.
Fallere ciues verbo 15, 5, 3. ſpecioſo nomine.
Faſtigio pari ſtare in vtraque fortuna 25, 14, 2. eumdem excelſi animi tenorem ſeruare.

Felicitas, quid? Fr. 5, 6.
Feretrius 25, 20, 3. Iouis cognomen. V. not.
Ferox et *ferocia* vtroque sensu, bono 2, 2, 1. 22, 1, 5. de animi incitatione, seruore; malo 18, 11, 4. de adrogantia.
Ferre expensum sumtui; v. *expensum*.
Fidenti animo 22, 3, 1. ex rerum laeto successu confirmato animo.
Fidem dare 23, 2, 4 — promittere; *dare et accipere* 14, 10, 1. promittere et vicissim alterius promissis credere; *facere* 1, 8, 3. persuadere; *habere* 10, 5, 6. 14, 11, 2. credere; *recipere aliquem in fidem* 2, 8, 4. in tutelam certam; de subplice.
Figura venusta 18, 11, 5. de totius corporis habitu congruo.
Fingere fortunam sibi 25, 11, 6. pro quo 25, 19, 1. *conciliare*. *Fingere se* 25, 11, 6. i. e. mores componere; *aliquid* 7, 2, 1. excogitare.
Firmus, ad robur, constantiam transfertur; *copiae* 18, 3, 3. *vires ad laborem ferendum* 18, 11, 5. *amici* 6, 2, 2.
Flaccus, *L. Valerius* 24, 1, 1. et 2, 1. consul a. V. Caton. 557. a. Chr. 195.
Flaminius, *C. consul* 23, 4, 3. a. V. Caton. 535. a. Chr. 217.
Flamininus, *L. Quinctius* 23, 12, 1. consul a V. Caton. 560. a Chr. 192.
Flavius, *C.* 25, 8, 3. eques Romanus, Bruti familiaris.
Flectere iter suum 18, 9, 6 aliam viam ingredi.
Florere a plantis et arboribus ad laetam et prosperam hominum conditionem transfertur. Sic 1, 1, 1. 5, 3, 1. et saepe alibi.
Fluctus ciuiles 25, 6, 1 magnae commotiones, agitationes rerum. Cf. infra *procellae*.
Formiae, Fr. 10, 7. in Latio; h. Molo.
Formio, fluuius, Fr. 7, 8. vid.
Fors 16, 2, 1. casu.
Fortuna non simplex 20, 1, 2. pro quo 25, 14, 2. *vtraque fortuna*, i. e. secunda et aduersa. *Fortunam suam obculere* 7, 9, 1. securitatis et euitandae inuidiae causa procul secedere a ciuium conspectu.
Forum. *In foro esse* 24, 1, 1. forensium negotiorum notionem infert.
Frangere, de debilitatione, deiectione hominum, animi, rerum: *Frangi cura rerum* 10, 7, 3. *Corcyraeis* 2, 2, 3. —
Frater patruelis, Fr. 3, 1.
Fregellae 23, 7, 2. Latii oppidum.
Frui aliquo 25, 2, 2 conuersari cum aliquo subiecta vtilitatis notione.
Frustrari se ipsum 25, 2, 6. commoda sua morari, inritum opus suscipere.
Fugere procurationem rei publicae 10, 2, 1. longius se a publicis negotiis subtrahere.
Fuluia, *vxor M. Antonii* 25, 9, 4.
Fungi munus militare 14, 1, 4. Alias cum abl. *summis honoribus* 2, 7, 3.
Furius, *L.* 23, 7, 6. consul a V. Caton. 556. a. Chr. 196.

G

Gades, Fr. 7, 3. h. Cadix.
Galba, *Seruius* 24, 3, 4.
Galea venatoria 14, 3, 2. ex hirsutis pellibus contexta.

Gallia 23, 3, 4. Fr. 7, 1. 10, 7.
Geminus v Seruilius.
Gener regis 4, 1, 2. v. not.
Genus antiquum 14, 2, 2. pro gente, familia. Et sic passim, prout vel ad populum, vel ad singulos refertur.
Generosus 2, 1, 2. de nobili familia; hinc de moribus, quales ita nati praeferre debent; v. c. *generosi condiscipuli* 25, 1, 3.
Germana soror, pr. 4. eodem patre, at alia matre nata.
Germania, Fr. 7, 1.
Gladii minuti 11, 1, 3.
Globus consensionis 25, 8, 4. constipata cohors conspiratorum.
Gortynii 23, 9, 4. Gortyna vrbs Cretae.
Gracchus, Ti. Sempronius in insidias inductus perit 23, 5, 3.
Gracchi, Ti. et C., Fr. 12. prioris nepotes.
Graecia 15, 6, 4. pro inpolis.
Graius saltus 23, 3, 4. v. not.
Grammaticus, quis? Fr. 6, 3.
Grunium in Phrygia castrum 7, 9, 3.
Gynaeconitis, praef. 7. illa pars aedium, vbi mulieres habitant.

H

Habere. Quemadmodum se haberet 10, 2, 4. i. e. quae morbi conditio, de aegroto. *Habere amorem alicuius magnum* 20, 3, 4. i. e. valde amari; *aliquem secum* 25, 4, 1. de societate, conuictu; *aliquem ad manum* 18, 1, 5. de ministerio. *Haberi male* 18, 12, 1. vexari.
Hadria, (vt Mela 2, 4, 7.) s. *Hadrias* gen. masc. de mari Hadriatico, Fr. 7, 8.
Hadrumetum 23, 6, 3. vrbs Africae Propriae, h. Mahometa.
Haliartus 6, 3, 4. vrbs Boeotiae.
Halicarnasseus 6, 3, 5. Halicarnassus vrbs Cariae, vbi hodie castellum *Bodru*.
Hamilcar 22.
Hammon, cognomen Iouis 6, 3, 2. cuius fuit in Cyrenaica oraculum.
Hannibal 23
Hasdrubal, Hamilcaris gener 22, 3, 2 — 3.
Hasdrubal, Hannibalis frater 23, 3, 3.
Hellespontus 4, 2, 1. fretum inter Sestum et Abydum, quo Asia ab Europa diuiditur, h. Fretum Dardanelli. De regione, vt Pontus, adiacente 4, 2, 1. 13, 3, 1.
Helotes 4, 3, 6. serui Lacedaemoniorum.
Hemerodromos 1, 4, 3. cursor publicus.
Henetum, Fr. 7, 4. Paphlagoniae oppidum.
Hephaestio 18, 2, 2. Alexandri amicissimus.
Herculis progenies 17, 1, 2. *Hercules Graius* 23, 3, 4.
Hermae 7, 3, 2. statuae Mercurii, a Gr. Ἑρμῆς, Mercurius.
Hermodorus, Fr. 11, 1. architectus.
Hesiodus, quando vixerit, Fr. 1, 1.
Hesperidum horti, vbi? Fr. 8, 3.
Hetaerice 18, 1, 6 Gr. ἑταιρική, ala equitum Macedonicorum.
Hicetas 20, 2, 3. Leontinorum in Sicilia dynastes.
Hiems 25, 10, 6. pro tempestate.

Hierophantes 16, 3. 2. antistes sacrorum Athenis.
Hippocinus 10, 1, 1.
Hippo 22, 2, 4. vrbs Africae.
Hipponicus 7, 2, 1.
Hispania citerior 24, 2, 1. Tarraconensis, vbi h. Catalonia, Valentia.
Homerus, Fr. 1, 1.
Hortensius, *Q.* 24, 5, 4. Attici amicus, Ciceronis in eloquentia aemulus.
Humilis statura 17, 8, 1. proprie: brevis, depressus; hinc de rebus tenuibus, vilibus, vt *vestitus* 17, 8, 2.
Hystaspes, Darii pater 21, 1, 2.

I.

Iacere, de situ, vt *gens* 14, 4, 1. *portus* 17, 8, 6.
Iason 13, 4, 2 Pherarum in Thessalia tyrannus.
Ignorare aliquem 3, 1, 4 non nosse.
Imago consuetudinis atque vitae 15, 1, 3. descriptio.
Imperare per v. c. naues 9, 4, 2. quae exiguntur; pecunias 25, 7, 3.
Imperium, de ducibus exercituum 2, 4, 2. — hinc latius profertur ad regiones: ita saepe.
Inclinatae copiae 16, 5, 4 in proelio ad fugam pronae, conuersae.
Indi et *Indica aequora*, Fr. 7, 1.
Indigna perpeti 19, 4, 3. quibus quis non est dignus, praeter ius fasque.
Indiligens 25, 4, 3. Fr. 4, 1.
Inducit Plato Socratem 7, 2, 2. in libris, narrationibus, producit loquentem.
Indulgere sibi 6, 1, 3. i. e. cupiditatibus, de vitae licentia.
Infamis, malo sensu, vt flagitiis 15, 10, 1. Sic *infamatus* a plerisque 7, 11, 1 vituperatus, male notatus.
Inferre signa in hostem 14, 6, 5. adgredi, inrumpere.
Infodere 4, 5, 5. de sepultura.
Ingratus 2, 4, 4. v. not.
Inire gratium ab aliquo 7, 9, 6. demereri aliquem; gratiam sibi alicuius conciliare. *Iniens adolescentia* 2, 1, 1. 7, 2, 2. incipiens, prima.
Inminere 18, 10, 3 de aduersariis periculum minantibus.
Inmodestia militum 6, 1, 2. qui modum non tenent, disciplinam et obedientiam recusant.
Innocentia 3, 2 2. abstinentia, continentia, cui obponitur auaritia.
Inpedimenta 8 2, 5. sc. militaria, vt sarcinae, vehicula - quia iter impediunt.
Inpotens dominatio 6, 1, 4. insolens, intemperans; sui non potens.
Inprudens (non prouidens) 6, 4, 3 non opinans, inscius. Cf. 18, 8, 6.
Inseruire studiis gentis 7, 11, 3 se ad ea adcommodare, ea imitari.
Insolens 20, 4, 2. de sermone adrogante, superbo v. not.
Insolentia gloriae 17, 5, 2. pro insolenti gloriatione.
Instare hostibus [. *hostes* 15, 9, 1. vrgere.
Injubres, Fr. 7, 6. quorum vrbs primaria fuit Mediolanum.
Interdici non potest socero gener 22, 3, 2. contubernium et conuictus generi.
Interesse pugnae 3, 2, 1. *rebus* 20, 4, 1. 25, 13, 7. de praesentia actuosa.

Interficere exercitum 3, 2, 1. delere obcidione; de ſumma clade.
Interit pecunia 2, 2. 2. de profuſione.
Interponere aliquid 16, 3, 3. narrationi mediae inſerere; *ſe* 25, 2, 4. ope ſua intercedere.
Inteſtabilis Fr. 2, 2. deteſtabilis, quo ſenſu etiam alii auctores ponunt
Inuehi in aliquem 15, 6, 1. 20, 5, 3. ſc. verbis, oratione, increpare obiurgare.
Inuidiae crimine adcuſari 7, 4, 1. i. e. ex inuidia moto, ialato.
Iones 1, 4, 1. *Ionia* 1, 3, 1. Aſiae minoris regio.
Iphicrates 11.
Ire 17, 3, 5. in bello de duce cum exercitu, proficiſci. *Ire in ius* 25, 6, 3. de disceptatione forenſi.
Is. Non ſum is, qui 17, 5, 3. i. e. talis, tali animo.
Iſmenias 16, 5, 1. v. not.
Iſter 1, 3, 1. Fr. 7, 7. Ita in medio curſu ad oſtium vocatur mutato nomine Danubius.
Iſtria, Fr. 7, 8. in confinio Illyrici, eodem et nunc nomine.
Italia 7, 4, 4. —
Iudicare aliquem exſulem 23, 7, 7. decernere in iudicio.
Iulia Conſtantia, Fr. 8, 3. vrbs Mauretaniae.
Iulius diuus 25, 19, 2. Iulius Caeſar poſt mortem inter Diuos relatus.
Iumentum 18, 5, 6. de equis.
Iunia familia 25, 18, 3. cuius conditor L. Iunius Brutus, qui Tarquinios expulit.
Iupiter Hammon 6, 3, 2. vid. *Feretrius* 25, 20, 3. vid.
Iuſſu populi 13, 4, 3. formula democratica.
Iuſtus 3, 1, 2. cognomen Ariſtidis.

K

Karthago vid. *Carthago*.

L

Labeo, Q. Fabius 23, 13, 1. conſul a. V. Caton. 569. a. Chr. 183.
Labor animi 7, 1, 4. contentio; obpon. *ſe remittere. Laboro quaerere de hac re* 16, 3, 1. nitor.
Lacedaemonii Graeciae domini 9, 4, 4. ab vrbe notiſſima Lacedaemone.
Laco, pro Ageſilao 13, 1, 3. pro Lyſandro 7, 10, 2.
Laconica ſc. regio 13, 2, 1.
Laelius, C. Terentii familiaris, Fr. 1, 6. quem et in comoediis ſcribendis adiuuit, Fr. 6, 1.
Lamachus 7, 3, 2. Alcibiadis conlega.
Lamprus 15, 2, 1. muſicus et poeta lyricus.
Lampſacum ſ. *Lampſacus* 2, 10, 3. Myſiae vrbs, ad os Hellesponti, per quem Propontis in mare Aegaeum emittitur, h. Lamſaki.
Lapis 25, 22, 4. de miliario.
Largitiones ambitus effuſae 25, 6, 2. v. not.
Largitudo, Fr. 7, 3. nox riſſima.
Lathurus, Ptolemaeus, Fr. 7, 4. rex Aegypti inde ab a. V. Caton. 634 — 672. a. Chr. 118 — 80.
Laus liberandarum Thebarum 16, 4, 1. *rei militaris* 1, 8, 4. i. e. laus, quae inde quaeritur, paritur.
Lautus eques R. 25, 13, 6. qui laute, ſplendide viuit, vt *laute viuere* 12, 3, 2.

Legationum commentus 15, 6, 4. i. e. legatorum.
Legitima confiscare 19, 4, 2. v. not.
Lemnus 1, 1, 4. insula maris Aegaei, Thraciae versus Austrum objecta, h. Stalimene
Lentulus P. Lentulus, aedilis curulis, Fr. 8, 6. et 7. 2. V. Caton. 689. a. Chr. 65.
Leonidas, rex Lacedaemoniorum 2. 3, 1.
Leptinetas 18, 2, 4. vasa ex amicis Alexandri M.
Leocrythides 17, 1, 2. qui cum Agesilao de regno certavit.
Lesbus 12, 3, 4 insula maris Aegaei, post Endoeam maxima; hodie Metelino
Lenare inopiam 25, 2, 4. leniorem facere, et hinc minorem.
Leucosyri 14, 2, 3. qui partem Ciliciae, juxta Cappadociam, incolebant.
Leuctra 17, 6, 2. vicus Boeotiae, Spartanorum clade notus.
Levis armatura; v. *armaturae*.
Librarii 25, 13, 3. servi, quorum opera in describendis libris utebantur.
Lignea moenia 2, 2, 6. in oraculi responso de navibus muralibus loco adhibendis.
Ligures 23, 4, 2. in Gallia Cisalpina, ubi h. Genuenses.
Limatus; v. *adjimere*.
Literatus, Fr. 6, 3. quis? ipse explicat. *Literatissimi pueri* 25, 13, 3. de servis literarum peritis.
Livres, Fr. 8, 3. flumen Mauretaniae, h. Lucos.
Locus 16, 2, 1. 22, 1, 2. de occasione, quae ex loco capitur. Sic transfertur ad nativitatem, v. c. *loco honesto ortus* 2, 18, 5. ad munera, officia, dignitates, v. c. *locus legati* 15, 2, 4. Cf. 18, 1, 5 et 13, 1.
Longus, Tib. Sempronius 23, 4, 2. consul a. V. Caton. 554. a. Chr. 218.
Lucani 23, 5, 3. pro Lucania, h. Basilicata.
Lucretius 5, 12, 4. cujus adhuc exstant carmina.
Lucri aliquid facere v. *facere*.
Lucullus, L., Fr. 3, 4. consul a. V. Caton. 601. a. Chr. 151.
Lucullus, L. 25, 5, 1. Fr. 9, 1. Mithridatis victor, consul fuit a. V. Caton. 678. a. Chr. 74.
Lumina oculorum 20, 4, 1. pro oculis.
Luna, oppidum Italiae in Liguria ad finitimum ripam Macrae, h. la Magra, haud procul a mari. Inde *Lunense marmor*, Fr. 10, 7.
Lupus, Fr. 1, 2. piscis, Hecht.
Lusitani 24, 3, 4. h. Portugalli.
Lutatius, v. supra *Catulus*.
Lydi 14, 8, 2. *Lydia* 9, 2, 1. Asiae minoris regio.
Lysander 6.
Lysimachus 18, 10, 3. 21, 3, 2. unus ex Alexandri M. ducibus.
Lysimachus 3, 1, 1. Aristidis pater.
Lysis 15, 2, 2. Pythagoreus, Epaminondae praeceptor.
LLS, vel IIS. HS. nota duarum librarum et semissis, quae aequabant 2500 sestertios, circiter 132 thaleros.

M

Magalia, Fr. 3, 2. exterior pars Karthaginis dicebatur.
Magiſtra viuendi philoſophia, Fr. 5, 1.
Magneſia 2, 10, 2. Lydiae vrbs ad Maeandrum. *Magnes*, eius ciuis 14, 5, 6.
Mago, *Hannibalis frater* 23, 7, 1. et 4. c. 8, 2.
Male rem gerere 1, 3, 3. — infeliciter pugnare; *audire* 10, 7, 3. de fama, exiſtimatione.
Maleſica natura 17, 8, 1. ex obp. *fautrix* intelligitur.
Malitioſe facere 7, 7, 2. de induſtria male rem gerere, malo animo.
Malum externum 22, 2, 1. de bello cum exteris geſto.
Mamercus 20, 2, 5. Catanae tyrannus.
Manceps 25, 6, 3. qui a populo aliquid redimit, vel conducit, cuius indicium fiebat ſublata manu, vnde, nomen.
Manere aliquem, vt *hoſtem* 2, 4, 2. actine ex Graeca ratione, exſpectare. *Manet* res 7, 10, 1. quae rata eſt.
Manlius; v. *Vulſo*
Mantinea (ae) 15, 9, 1. Arcadiae vrbs, vbi Epaminondas victis Spartanis periit.
Manus. *Ad manum aliquem habere* 18, 1, 5. eius miniſterio vti. *Manum conſerere* 14, 8, 4. *Manus* de exercitus parte, paſſim.
Marathon 1, 4, 2. Atticae campus, demus, locus aliis clade Perſarum nobilitatus. Hinc *Marathonia pugna* 2, 2, 6. duce Graecorum Miltiade; *tropaeum* 2, 5, 3.
Marcellus, *M. Claudius* 24, 13, 1. conſul a. V. Caton. 569. a. Chr. 183 cum Q. Fabio Labeone.
Marcellus, *M. Claudius* 24, 1, 2. conſul tertium cum Q. Fabio Maximo a. V. Caton. 538. a. Chr. 214. Perit 23, 5, 3. quinquies conſul cum T. Quinctio Criſpino a. V. Caton. 544. a. Chr. 208.
Marcellus, *M. Claudius* 23, 7, 6. conſul cum Lucio Furio Purpureone a. V. Caton. 556. a. Chr. 196.
Marcellus, *M. Claudius* 23, 13, 1. conſul cum Q. Fabio Labeone a. V. Caton. 569. a. Chr. 183.
Marcellus, *Claudius* 25, 18, 4. Attici aequalis.
Mardonius 4, 1, 2. Perſarum dux, ad Plataeas caeſus.
Marius, hoſtis iudicatus 25, 2, 2.
Maſſagetae 21, 1, 3. Scythica gens trans mare Caſpium.
Media 18, 8, 1. Aſiae regio, vnde *Medus* 4, 1, 2. *Medica veſtis* 4, 3, 2. v. not.
Mederi ſatietati lectoris 16, 1, 1. cauere, ne exſiſtat, remouere.
Medimnus 25, 2, 6. v. not.
Melle corpus mortui *circumfundere*, v. *cera*.
Memoria hominum; v. infra *poſt*.
Meneclides, Epaminondae obtrectator 15, 5, 2.
Menelai portus, *inter Cyrenas et Aegyptum* 17, 8, 6. quem Strabo lib. 1. p. 40. Caſaub. (p. 107. Siebenk.) ponit κατὰ τὴν Ἀρσινοΐτην, τὴν ὑπὲρ Παραιτονίου.
Meneſtheus 11, 3, 4. filius Iphicratis.
Mens, de propoſito, conſilio, vt *hac mente* 9, 4, 4. — pro quo 22, 1, 5. *hoc conſilio*.
Menſa ſecunda 17, 8, 4. de bellariis, quae conuiuis cibo potuque ſatiatis adponebantur.

[illegible]

Munire iter a 2... via itinera faciendo aptare, confirmare.

Munychia ... Atticae portum vocat; Strabo lib. 9 p. 395 Paris. p. m. 355 eodem Chersonesi speciem praeferentem ... quibus Piraeeum complectitur.

Mutina 25, 5, 1. Galliae Cisalpinae vrbs, h. Modena.

Mycale 5, 2 ...

Mysteria facere 7, 3, 6. Cereris sacra arcana, Eleusinia. *Initia* vocat Lucio 5, 1, 1.

Myus, vrbis 2, 10, 3. Ioniae vrbs haud procul a Maeandro.

N

Natu magno, maximo de aetate 4, 5, 3. 13, 3, 1. 14, 7, 1. —

Naturae debitum reddere 21, 1, 5. mori. *Natura ciuitatum* 1, 6, 1. consuetudo, mores. *Natura aliquid facere* 25, 17, 3. naturali animi propensione; opp. *doctrina*. Sic *naturalis* bonitas 25, 9, 1.

Naues onerariae 2, 2, 5. commeatui vehendo; *longae* 2, 2, 5. 9, 4, 2. bellicae, militibus, classiariis onustae. *Nauis dominus* 2, 8, 6. ναύκληρος.

Naurica caſtra, v. *caſtra.*
Naxus 2, 8, 6. inſula ex Cycladum numero; h. *Naxia.*
Neceſſarius homo 14, 6, 4. propinquus, de ſocero.
Neceſſitas 2, 8, 6. rebus inſtantibus, vrgentibus.
Neceſſitudo, coniunctio naturalis, igitur arcta, adſtrictior, qualis eſt *adfinium* 10, 1, 3. *ſortis* inter conlegas 24, 1, 3.
Nectanabis 17, 8, 6. cf. 12, 2, 1. rex Aegypti. v. not.
Negatio duplex more Graeco. *Nullae vmquam copiae neque — neque* 11, 2, 1. Cf. 20, 4, 2. 24, 3, 2.
Nemo Thebanus 15, 2, 1. et 5. 1. Cf. 21, 1, 4. v. not.
Neocles, Themiſtoclis pater 2, 1, 1.
Neontiches, νέον τεῖχος 7, 7, 4. caſtellum in Cherſoneſo Thraciae ad Propontidem.
Neoptolemus 18, 4, 1. caeditur ab Eumene in proelio, quod bellum inter regni aemulos poſt Alexandri M. mortem mouerat.
Nepos, *Corn.*, librum ſuum de hiſtoricis memorat 10, 3, 2.
Neptuni fanum Taenari 4, 4, 4 vbi aſylum.
Nero, *C Claudius* 24, 1, 2. conſul a. V. Caton. 545. a. Chr. 207. Hannibalem vincit ad Senam.
Nero, *Tib. Claudius* 25, 19, 4. Druſillae (Liuiae) filius, Auguſti priuignus.
Neſcio, *an* 20, 1, 1. modeſte et cum aliqua dubitatione adfirmat. v. not.
Nicanor 19, 2, 5. Caſſandri praefectus Piraeeo potitur.
Nicias 7, 3, 2. Alcibiadis conlega.
Nihil neque — neque 20, 4, 2. v. *Negatio* duplex.
Nilus 18, 5, 1. notiſſimus Aegypti fluuius.
Nitida iumenta 18, 5, 6. pinguia, bene nutrita et culta.
Nitor recuperare 16, 2, 1. de magna virium contentione.
Nomen 1, 8, 4. de fama. *Nomen Romanum* 23, 7, 3. pro populo, vti ſolet Liuius. *Nomen* rei ipſi oppoſitum, de inani, vano ſono. Sic 15, 5, 3. *otii nomine ſeruitutem concilias* 17, 1, 2. *nomine magis, quam imperio reges.*
Nomentanum praedium Attici 25, 14, 3. a Nomento, Latii oppido, in Sabinis.
Nominatim praecipere 1, 1, 3. diſerte et expreſſo nomine.
Nora, *caſtellum Phrygiae* 18, 5, 3.
Notitia; *propter notitiam intromiſſi* 10, 9, 4. paſſiue, quia noti erant.
Noua res 14, 6, 6. inſolita. Sic *nouitas ornatus* 14, 3, 3. *Nouiſſimo tempore* 18, 1, 6. extremo.
Nox prima 18, 9, 3. vigilia noctis prima, nox iniens.
Nudare vagina telum 14, 11, 4. diſtringere.
Numen Deorum 17, 2, 4. i. e. Dii, vel maieſtas, potentia Deorum.
Numero militis erat 14, 1, 3. i. e. miles erat. Sic *in numero ſapientum* 8, 4, 2. et ſimilia.
Numidae 23, 6, 4. Africae populi, vbi h. Algier.
Nutu eius geruntur omnia 6, 2, 1. i. e. arbitrio.
Nyſaeus 10, 1, 1. Dionyſii maioris ex Ariſtomache filius.

O

Obcaſus 18, 13, 3. mors.
Obculere fortunam ſuam! v. *fortuna.*
Obducta nox 23, 5, 2. obſcura, coelo nubibus tecto.

Obſendere aliquem inparatum 17, 2, 2. deprehendere, cum duobus adcuſatiuis, vel addito rei modo; neutraliter *obſendere in aliqua re* 19, 2, 2. peccare, labi; actiue cum ſimplici adcuſatiuo laedere; grauius iniuriare. *Obſenſa in eum militum voluntate* 20, 7, 3. irata, infenſa. Eodem ſenſu

Obſenſio populi 10, 8, 2. *animum* 1, 7, 4.

Obiectu illo repentino viſo 23, 5, 2. ſpecie oculis obiecta.

Obire legationes 10, 1, 4. ſuscipere.

Obliuionis lex 8, 3, 2. Gr. ἀμνηστία.

Obnixo genu ſcuto 12, 1, 2. i. e. in ſcutum, obfirmato genu ad ſcutum.

Obruere gladios 14, 11, 2. infodere. *Obrui vino, epulis* 10, 4, 4. *vitiis* 4, 1, 1. de moleſta mole, quae debilitatos deprimit.

Obſequi ſtudiis ſuis 25, 2, 2. iis ſe totum dare. *Obſequium* 10, 6, 5. comis indulgentia.

Obſoletus honor 2, 6, 2. qui quaſi in deſuetudinem venit; hinc ſpretus, vilis: obponitur ibi *glorioſus*.

Obſtinatio taciturna 25, 22, 2. ſilentium obſtinatum, pertinax.

Obterere laudem virtutis 20, 1, 2. comminuere, deprimere.

Obtrectare inter ſe 3, 1, 1. aemulari cum mutua inuidia et carpendi ſtudio.

Octauius Caeſar 25, 20, 1. — poſt Auguſtus.

Oculorum lumina amittere 20, 4, 1. viſum.

Odium ciuitatis 13, 3, 5. in ciuitatem; vti ſaepe valent genitiui.

Oedipus 15, 6, 2. rex Thebarum, qui Laio, patre, interfecto ex Iocaſta, matre, procreauit Eteoclem et Polynicen.

Officinae armorum 17, 3, 2. vbi fabricantur arma.

Officium, quum late vocis vis patet, ex adiunctis definitur. Sic de obſequio imperantibus debito valet 1, 7, 1. *amicis* 25, 8, 4.

Oleaginae virgulae 8, 4, 1. et inde facta corona, victoriae pacisque partae ornamentum.

Olympiae victor, Praef. 5. et 7, 6, 3. Fuit vrbs Elidis in Peloponneſo, vbi ludi Olympici celebrabantur.

Olympias 18, 6, 1. et 3. Philippi vxor, Alexandri M. mater.

Olympiodorus 15, 2, 1. tibicen, Epaminondae magiſter.

Olynthus 13, 1, 2. vrbs Thraciae. Hinc *Olynthii* 13, 1, 2.

Onerariae naues. V. *Naues*.

Ononarchus 18, 11, 3. praefectus cuſtodum Eumenis vincti.

Onyx, Fr. 8, 7.

Opes, potentia, vires, diuitiae, et omnino res, quibus quis valet, quatenus de toto populo vel ciuitate, de partibus, vt regnum exercituum, et de ſingulis dicitur.

Opinio rei vel *de re* dicitur, vt 7, 7, 3. 18, 13, 2. —

Oppidum 1, 4, 2. 2, 10, 3. 7, 3, 2. abſolute de Athenis. Cf. ſupra *aſty*.

Opſonium 2, 10, 3. 17, 8, 4. carnes et piſces.

Optimates 10, 6, 3. — ἄριστοι, in Ariſtocratia.

Opus, opera 1, 7, 2. et 4. 2, 6, 5. munitiones.

Orchomenus, Boeotiae ciuitas, vnde *Orchomenii* 6, 3, 4.

Ordinatae copiae 11, 2, 2. quae in acie iuſta ſtant.

Ordo 14, 9, 4. locus certus in agmine.

Ornare omnino rebus iuſtis apte, bene inſtruere. Sic *ornatus elephantus* 23, 3, 4. ad pugnam inſtructus. Hinc
Ornamentum habere ab aliquo 25, 7, 2. honores, opes.
Oro te 25, 4, 2. interponitur ſermoni, vt *quaeſo*.
Oſtracismus 5, 3, 1. Cf. *Teſtarum ſubfragia*.
Otacilius, L. Otacilius Pilitus, Fr. 6, 2. libertinus, qui Cn. Pompeii patrisque eius res geſtas ſcripſit.

P

Pactye 7, 7, 4. vrbs Thraciae in iſthmo Cherſoneſi ad Propontidem.
Padus 23, 4, 1. et 6, 1. fluuius Italiae notus, h. Po.
Palaeſtra 15, 2, 4.
Pamphylium mare 23, 8, 4. ad Pamphyliam, Aſiae minoris regionem.
Pandates 14, 5, 3. cuſtos gazae Perſicae, amicus Datamis.
Paphlago 14, 8, 2. regio *Paphlagonia* 14, 2, 2. in Aſia minori.
Pari proelio discedere 2, 3, 3. neutro vel victo, vel victore. *Par paratis aduerſariis* 18, 8, 4. aeque inſtructum, validum eſſe. *Par non eſt* 14, 6, 4. aequum non eſt.
Paraetacae 18, 8, 1. Mediae auſtralis populi. Nempe populum facit aperte Arrianus de exped. Alex. M. 3, 19, 5. — Alias Paraetaceni (idem 4, 22, 1. et alii.). Vrbs Paraetaca a multis commemoratur, et regio Paraetacena.
Parentare, Fr. 12, 8. mortuis parentibus iuſta dare.
Parma 11, 1, 4. ſcutum breue, pelta tamen maius.
Pars, partes, de factionibus; quatenus aliquis partem quaſi facit aduerſantium, concertantium. Sic *partes Sullanae, Cinnanae* 25, 2, 2
Paros 1, 7, 2. et 8, 1. Cycladum inſularum maxima, marmore nobilitata.
Paſſus 1, 4, 2. 23, 6, 3. mila conficiunt miliare Romanum, quater mile miliarium Germanicum.
Paterna prouincia 14, 1, 4. cuius praefectus pater fuit.
Patria carere 16, 1, 4. de exſule.
Patrimonium 25, 12, 3. bona a patre relicta, adcepta.
Patroclus 14, 2, 2. intimus Achillis amicus.
Patruelis, v. *frater*.
Paullus, L. Aemilius Paullus 23, 4, 4. conſul a. V. Caton. 536. a. Chr. 216. ab Hannibale caeſus periit. Eius filius *L. Aemilius Paullus* 25, 13, 1. poſt cognomine Macedonicus, conſul fuit a. V. Caton. 570. a. Chr. 182.
Pauſa, Fr. 12, 6. quies, finis.
Pauſanias 8.
Pax Dea 13, 2, 2.
Pecunia publica 2, 2, 2. aerarium Romanis.
Pecunioſus 5, 1, 3. 25, 13, 1.
Peducaeus, (Sextus) Attioi familiaris 25, 1, 4.
Pella, Fr. 1, 5 Macedoniae oppidum, ſedes regia, vbi natus eſt Alexander M.
Pelopidas 16.
Peloponneſus 10, 4, 3. — paene inſula inter Aegaeum mare et Ionium, h. Morea. Hinc *bellum Peloponneſium* 8, 2, 3. — vel *Peloponneſiacum* 7, 3, 1. vbi not. —

Pelta ii, 1, 4. scutum parma breuius, vnde *peltastae* dicuntur c. l.
Penates 2, 7, 4. vrbium tutores Dii.
Pendere alicui pecuniam ex foedere 23, 7, 5. adnumerare; ex prisco more manst, vt alia, quo monetae adpendebantur.
Peradolescentulus 18, 1, 4. v. not. Vox rarissima nec aliunde nota.
Percalsa potentia 16, 2, 3. deiecta, conculsa.
Percussu contrario, Fr. 7, 8. pro percussione.
Perdiccas 11, 3, 2. Amyntae et Eurydices filius, Amyntae pater, Philippi frater, Alexandri M. patruus.
Perdiccas 18, 2, 1. — inter Alexandri M. amicos, a quo moriente annulum traditum acceperat.
Perdita luxuria 10, 6, 2. summa, extrema; vnde seruari luxuriosi non possunt; *consilia*, Fr. 5, 7. pessima, ad perniciem inita.
Peregrinatio 25, 2, 3. demigratio, absentia in exsilio.
Perfectrix vitae beatae philosophia, Fr. 5, 1. vox vnici exempli.
Perfuga 14, 6, 4. alias transfuga.
Pericles 7, 2, 1. vitricus et auunculus Alcibiadis.
Periculum 15, 8, 2. de libello f. scripto iudicis. v. not. Alias *pericula* ad lites forenses 19, 2, 3. ad bella, proelia referuntur 16, 4, 3.
Perorare et dicere causam 19, 4, 2. coniunguntur. *Perorata defensio* Fr. 4, 2.
Perpetua vita ab eo dissensit 24, 1, 3. tota.
Perpudefecit, Fr. 12, 6 verbum rarum.
Persis 2, 10, 1. — *Persia* 12, 3, 1. nota regio.
Persona altera Thebis 16, 4, 3. v. not. *Persona principis* 15, 1, 2. et sic alibi cum nominibus dignitatum, conditionum — quas quis sustinet, pro iis ipsis hominibus.
Peucestes, *corporis custos Alexandri* 18, 7, 1.
Phalanx, Athenienstum 12, 1, 2. Laconum 16, 4, 2. Macedonum 18, 7, 1. et 8, 2.
Phalereus, portus Athenarum 2, 6, 1.
Pharnabazus 9, 2, 2. — Satrapes Ioniae et Lydiae regnante Artaxerxe Mnemone.
Pherae 9, 1, 1. vrbs Thessaliae, colonia Lacedaemoniorum.
Philippus 11, 3, 2. — rex Macedoniae, Amyntae et Eurydices filius, Alexandri M. pater.
Philippus, Aridaeus 19, 3, 3. praecedentis ex saltatrice filius, Alexandri frater.
Philippus 23, 2, 1. Macedoniae rex, Demetrii filius, tempore Hannibalis.
Philistus 10, 3, 2. historicus.
Philocles 7, 8, 1. dux Athenienstum a Lysandro victus.
Philostratus 10, 9, 2. Dionis frater.
Phocion 19.
Phoebidas 16, 1, 2. dux Lacedaemoniorum occupat Cadmeam.
Phryges 14, 8, 2. Ipsa regio *Phrygia* 7, 9, 3. — in Asia minori.
Phyle 8, 2, 1. Atticae castellum ad Boeotiae fines.
Pila lapidea 7, 4, 5. columna.
Piraeus 2, 6, 1. — portus Athenarum triplex, Gr. Πειραιεύς.
Pisander 7, 5, 3. dux Athenienstum.
Pisander 9, 4, 4. dux Lacedaemoniorum.

Pisidae 14, 8, 2. populi iuxta montem Tauri habitantes.
Pisistratus 1, 8, 1. tyrannus Athenienſium.
Pittacus 8, 4, 2. Mitylenaeus, vnus ex ſeptem ſapientibus.
Plaga 18, 4, 2. vulnus; latius 18, 5, 1. calamitas.
Plataeae 5, 2, 1. — vrbs Boeotiae, vnde *Plataeenſes* 1, 5, 1.
Plato 10, 2, 2. philoſophus celeberrimus.
Plecti 1, 8, 4. puniri.
Plerique omnes 18, 12, 1. maxima pars. v. not.
Poecile 1, 6, 3. Gr. ποικίλη ſc. στοὰ, porticus Athenienſis variis (vnde nomen) picturis orata.
Poemátis clarus, Fr. 1, 3. poematibus clarus.
Poeni 22, 2, 3. Carthaginienſes; *Poenus* per antonomaſiam pro Hannibale 23, 10, 1. Sic alibi ſolent gentilia poni in obpoſitione, vbi praecedens narratio ad verum nomen deducit. Hinc *Poenicum bellum* 22, 1, 1. — alias Punicum.
Polybius 23, 13, 1. Fr. 8, 2. 5. hiſtoricus Graecus nobilis.
Polymnis 15, 1, 1. Epaminondae pater.
Polyſperchon 19, 3, 1 ſq. ab Antipatro regum tutor electus in Macedonia fauet popularibus Athenienſium.
Pompeius, *Cn.* 25, 7, 2. qui cum Caeſare bellum geſſit ciuile. Eius res geſtas compluribus libris expoſuit L. Otacilius Pilitus, Fr. 6, 2.
Ponderare 8, 1, 1. adcuratius explorare, conſiderare.
Ponere tripodem 4, 1, 3. dedicare in templo. Gr. ἀναθεῖναι.
Pontus, Fr. 8, 2. et 4. ſc. Euxinus, nobis *das ſchwarze Meer*. Tum de regionibus adiacentibus, vt 23, 10, 1. de Bithynia ex nexu.
Populares 19, 3, 1. qui populo fauent.
Populi ſcitum 3, 1, 5. — populi decretum. v. not.
Portae Ciliciae 14, 7, 2. de angufto aditu, faucibus. v. not.
Poſſe multum, *plurimum* 10, 3, 3. 8, 3, 2. valere. Hinc paſſim *potens*, vt 17, 1, 5.
Poſſidere 2, 6, 2. de euentu pro obcupare et inde poſſidere. Hinc *poſſeſſio Siciliae* 2, 2, 4.
Poſt hominum memoriam 3, 1, 2. formula de rebus raris, ſingularibus, quales nemo vmquam nouit.
Poteſtatem ſui facere in campo 17, 3, 6. de imperatore, qui hoſti occaſionem adgrediendi praebet; proxime poſt *manum conſerere*. Nempe *poteſtas* modo actiue, modo paſſiue, prout ſert nexus, dicitur.
Potiri, cum genitiuo, v. c. *claſſis* 6, 1, 4 — cum adcuſatiuo, vt *ſummam imperii* 18, 3, 4.
Potorium, Fr. 8, 7. de poculo; vox a Plinio frequentata.
Prae illo omnes parui futuri 18, 10, 4. i. e. ſi cum illo compares, reſpectu eius. v. not.
Praecipere lectoribus 15, 1, 1. de ſcriptore, prae i. e. ante ingreſſum operis de aliquo monere. *Praecipere* 1, 1, 3. de reſponſo oraculi. Sic de philoſophis Fr. 5, 1. cf. 25, 17, 3.
Praeobcupare alterum 10, 4, 1. quum nos prius alterum obcupamus, obprimimus — quam alter nos. Hinc *praeobcupatio locorum* 18, 3, 6.
Praes nullius rei factus eſt 25, 6, 3. v. not.

Praesentia; in praesentia 1, 7, 6. tunc temporis; *in praesentiarum*, vid. ad 23, 6, 2.
Praesidium in loco, v. c. vrbe est custodia vrbis 4, 2, 1. 7, 4, 7. — in via, itinere comitatus custodiae causa additus, vt 2, 8, 5. — Hinc omnino ad homines et res transfertur, in quibus est tutela, auxilium, vt 13, 3, 1. —
Praestituere certam diem 12, 3, 1. ante definire, constituere.
Praeter ceteros iustus 3, 1, 4. prae ceteris, supra ceteros.
Principia castrorum 18, 7, 3. locus, vbi ducum erant tabernacula.
Probabilis orator 14, 3, 1. v. not.
Processit nox 16, 3, 3. prouecta est.
Procellae ciuiles 25, 10, 6. bella, discordiae. Cf. supra *fluctus*.
Procles 17, 1, 2. cuius posteri Lacedaemone regnarunt.
Promissa barba 14, 3, 1. demissa, hirc longior.
Proprium alicuius esse 6, 1, 5. i. e. deditum, addictum. *Proprium Thrasybuli factum* 8, 1, 5. cui obponitur commune cum aliis; igitur singulare. *Propria munera* 8, 4, 2. perpetua, diuturna.
Proscriptio equitum 25, 12, 4. cf. 10, 2. qua boni ciues tyrannis suspecti publicatis bonis ita in exsilium expellebantur, vt intra certum spatium deprensi impune obcidi possent. Sullana tempestas in primis hac clade Rom. ciuium infamis.
προσκυνεῖν, *venerari* 9, 3, 3. reges Persarum, tamquam Deos, prostrato humi corpore.
Proximus aetate 2, 9, 1. qui circa illa tempora vixit sic, vt proxime abesset.
Prusias 23, 10, 1. et 12, 3. Bithyniae rex.
Ptolemaeus 18, 3, 2. — Lagi fc. filius, vnus ex Alexandri M. amicis, postea rex Aegypti.
Ptolemaeus Ceraunus 21, 3, 4. superioris filius.
Publice, vel publica auctoritate, vt 12, 2, 2. — vel publicis sumtibus, vt 3, 3, 3. — quod ex adiunctis diiudicatur.
Publicare bona 7, 4, 5. — quasi publica facere; publica auctione vendita aerario addicere.
Puer 23, 12, 4. 25, 13, 3. de seruis etiam aetate prouectis.
Purpura Tyria, Tarentina, Fr. 8, 6.
Pydna 2, 6, 5. Macedoniae vrbs ad Thermaicum sinum.
Pylaemenes 14, 2, 2. dux Paphlagonum in Troiano bello.
Pyrenaeus saltus 23, 3, 3. montes noti, qui Hispaniam a Gallia dirimunt.
Pyrrhus 21, 2, 2. Fr. 10, 4. Epiri rex, a. V. Caton. 441 - 481. a. Chr. 311 - 271.
Pythagoreus 15, 2, 2. Pythagorae sectator.
Pythia 1, 1, 3. 2, 2, 6. sacerdos Apollinis Pythii s. Delphici, quae consulentibus oracula edebat.

Q

Quaestionem habere de aliquo 7, 4, 1. de forensi actione, iudiciali cognitione dicitur.
Quies 25, 7, 3. otium eius, qui bello et partibus abstinet, et hinc *quietus* 16, 4, 1. *Quiescere* 7, 10, 4. pro dormire. Omnino significatio verbi ex adiunctis et obpositis cognoscitur.

Quinctius Capitolinus, Fr 1, 5. conſul cum Fabio Ambuſto a. V. Caton. 401. a. Chr. 351.
Quinquies conſul 23, 5, 3. de M. Claudio Marcello.
Quirinalis collis 25. 13, 2. vnus ex ſeptem illis, quibus Roma ſuperſtructa erat.
Quoad 16, 4, 1. 18, 12, 2. — cum verbo tamquam coniunctio recte, male etiam vulgo vt praepoſitio cum adcuſatiuo connectitur.

R

Ratum nihil erit 7, 10, 1. certum, re, euentu probatum.
Rauenna, Fr. 7, 7. vrbs Italiae ad mare Hadriaticum; eodem et nunc nomine.
Recipere aliquem in fidem v. *fides*. *Recipere ſe aliquo*, *ad aliquem* 13, 3, 4. 18, 4, 3. — confugere, redire, pro nexu.
Redit pecunia ex metallis 2, 2, 2. cf. 2, 10, 3. Hinc *reditus* 25, 14, 3. de quaeſtu, lucro ex poſſeſſionibus, prouentibus annuis, quibus quaſi inpenſa redit.
Referre mores alienos ad ſuos 15, 1, 1. comparare, exigere. *Referre aliquid ad conſilium* 18, 12, 1. *ad oracula* 6, 3, 1. rex examinandam et decernendam exponere.
Refrenare inpetum alicuius 18, 9, 3. quaſi frenum iniicere, igitur inhibere, coercere.
Religio de iis dici ſolet, quibus religionis aliqua pars interponitur. Sic de iureiurando 10, 8, 5. 17, 2, 5. de templorum ſanctitate 2, 8, 4. 17, 4, 6. Sic *religioſe promittere*, ſancte, magna fide.
Remittere calces 18, 5, 5. v. not.
Repere 23, 3, 4. obp. ire, de viarum anguſtiis.
Rebus Laconum ſtudere 16, 1, 2. partibus fauere.
Reſacrare 7, 6, 5. exſecrationem inritam reddere; obp. denouere.
Rex 17, 2, 1. abſolute, de rege Perſarum.
Rhapſodia ſecunda Homeri 10, 6, 4. liber ſecundus; de diuiſione librorum Iliados a rhapſodis, eius conlectoribus, facta.
Rhetor Atticus 15, 6, 3. de legato.
Rhodanus 23, 4, 1. et 6, 1. fluuius Galliae, h. Rhône.
Rhodus, Aſiae minoris inſula in mari Carpathio. Hinc *Rhodii* 23, 8, 4.
Roma, quando condita, Fr. 1, 4. —
Romanum nomen, v. *nomen*.
Romulus 25, 10, 3.
Roſcius, Sextus, Fr. 4, 1. a Cicerone defenſus.
Rubrum mare 23, 2, 1. continet ſinum Perſicum et Arabicum.

S

Sabini 24, 1, 1. antiquus populus Italiae ad Tiberim, Vmbris conterminus.
Saguntus 23, 3, 2. vrbs Hiſpaniae Tarraconenſis, h. Moruiedro, ab Hannibale expugnata et deleta.
Sal 25, 13, 2. de elegantia, gratia aedificii.
Salamin ſ. *Salamis* 2, 2, 8. inſula Graeciae in ſinu Saronico, h. Coluri. Hinc *Salaminia pugna* 3, 2, 1. *victoria* 2, 6, 3. quam de Xerxe reportauit Themiſtocles.

Salum 2, 8, 7. altum mare.
Samothracia 25, 11, 2. insula Thraciae in extremo mari Aegaeo ad ostia fluminis Hebri; h. Samandraki.
Samus 7, 5, 3. — insula Ioniae Ephesо vrbi et Mycalae promontorio fere obpositа; h. Suſſam Adaſſi.
Sanctitate magna bellum gerere 6, 4, 1. obp. *multa crudeliter auare que facere.*
Sanctum, inuiolabile, venerabile, vt *ius legationis* 16, 5, 1. *templa* 17, 4, 7.
Sapientes ſeptem 8, 4, 2.
Sardes 1, 4, 1. — vrbs Lydiae primaria.
Sardinia 24, 1, 4. insula nota.
Satis id habuit 15, 4, 5. id tantum fecit, in eo adquieuit, *ſatis habeo, ſi* — 15, 8, 4. 20, 2, 4. ſequ. infin. 23, 10, 5.
Satrapes 7, 10, 3. — Sic prouinciarum Perſicarum praefectus vocabatur.
Saufeius, L. 25, 12, 3. eques Romanus.
Scandulis Roma per annos 174. *contecta*, Fr. 10, 4.
Scipio, P. Cornelius 23. 4, 1. et 6, 1. conſul a. V. Caton. 534. a. Chr. 218. ab Hannibale ter caeſus.
Scipio, P. Cornelius cognomine Africanus 23, 6, 1. 24, 2, 1. conſul a. V. Caton. 547. a. Chr. 205. iterum a. V. Caton. 558. a. Chr. 194. Eius filia, egregia femina, memoratur Fr. 12.
Scipio, P. Cornelius, Aemilianus, Africanus iunior, maioris nepos adoptiuus, Fr. 1, 6.
Scipio, Cornelius 25, 18, 6. Attici familiaris.
Scismas 14, 7, 1. Datamis maximus natu filius.
Scribae 18, 1, 5. de eorum conditione et dignitate.
Scriptitare res Romanas, Fr. 3, 4. deſcribere; vt *ſcriptores* 15, 4, 6, hiſtorici.
Scriptura, praef. 1. modus, forma narrandi, ſcribendi.
Scyrus 5, 2, 5. ex Cycladum numero inſula.
Scytala 4, 3, 4. v. not.
Scythae 1, 3, 1 — 3. Europaei, vbi h. Crimmea, Tataria. Hinc *Scythiſſa* 14, 1, 3.
Secunda perſona 16, 4, 3. v. not.
Seleucus 18, 5, 1. — Nicanor vnus ex Alexandri M. ducibus, qui eo mortuo Syriam obcupauit.
Sella aurea 18, 7, 2. inſigne regium.
Sempronius Gracchus, v. *Gracchus.*
Sena 24, 1, 2. in Vmbria ad Metaurum (h. Metro) fluuium, nunc Sinigaglia.
Seneſcere 17, 4, 3. de opibus populi inminutis, contra ibi *creſcere.*
Senones, Fr. 7, 6. gens Gallica.
Separata tempora 18, 10, 2. diuerſa.
Sepultura proditoribus patriae negata 2, 10, 5. 19, 4, 4.
Serta lorica 11, 1, 3. v. not.
Seruilia 25, 11, 4. Marci Bruti mater.
Seruilius, Cn. Geminus 23, 4, 4. conſul a V. Caton. 535. a. Chr. 217.
Seruire amicis 2, 1, 2. *famae* 2, 1, 3. *dignitati* 25, 6, 5. ſtudere, operam dare.
Seſſores inſulae 5, 2, 5. incolae.

Sestertius, quorum 4. aequabant, si pleno numero reddas, nostrae monetae 5 grossos. *Sestertium* 25, 4, 4. — i. e. 1000 sestertii. Cf. litera L. extr.

Sestus 13, 1, 3. Chersonesi Thraciae vrbs maritima ad Hellespontum.

Sicilia 7, 5, 3. et saepius; insula celebris.

Sigeum (*ei*) 12, 3, 5. Troadis promontorium; h. Ianizzari.

Signata epistola 16, 3, 2. cum *obsignare* mutatur 6, 4, 2.

Silenus 22, 13, 3. de rebus Hannibalis scripsit.

Singularis potentia 10, 9, 5. monarchia; *singulare imperium* 21, 2, 2. tyrannis.

Sociale bellum 11, 3, 3. quod Athenienses gesserunt cum iis, qui a societate defecerant.

Socrates 7, 2, 1. *Socraticus*, v. *Xenophon*.

Sola loca 18, 8, 6. deserta. *Solitudo hominis* 18, 2, 2. cui adsunt pauci.

Soluere naues 23, 8, 2. ancoris, funibus, quibus adligatae stabant in portu, ora; *epistolam* 23, 11, 3. vinculis, quibus clauditur, i. e. aperire; *pecuniam* 5, 1, 1. *vota* 6, 3, 2. quibus quis tenetur, inde se liberare.

Sophrosyne 10, 1, 1. Dionysii maioris ex Aristomache filia, Dionysii minoris vxor.

Soporem dare alicui 10, 2, 5. medicamentum soporiferum.

Sortis necessitudo 24, 1, 3. v. not. Sors spectat sortitionem pronunciarum.

Sosilus 23, 13, 3. praeceptor Hannibalis, qui et de eius rebus gestis scripsit.

Sosius, C. 25, 22, 3. consul a V. Caton. 720. a. Chr. 32.

Sparta, eadem Lacedaemon; saepe, vt *Spartani* s. *Lacedaemonii*.

Sparum s. *sparus* 15, 9, 1. teli rustici genus in pedi modum recurui.

Spiritus regii 10, 5, 5. superba animi elatio.

Sponsalia 25, 10, 1. desponsatio.

Stare ab, *cum aliquo* 14, 6, 6. 17, 5, 4. 18, 8, 2. tueri eius rationes, partes, quod nexus ad proelia, bella, iudicia transfert; *pari fastigio*, v. *fastigium*.

Status corporis 12, 1, 3. habitus.

Statura corporis 14, 9, 3. *humilis* 17, 8, 1. de mensura et modo.

Stipulatio 25, 9, 5. v. not. *Contract.*

Strymon 5, 2, 2. Thraciae flauius, quam a Macedonia dirimit; h. *Marmara*.

Subalare telum 7, 10, 5. v. not.

Subornare 19, 2, 3. clam, obculte ornare, instruere.

Subprimere classem 13, 3, 3. v. not. i. e. *ver Anker legen*.

Subscribens adcusauit 25, 6, 3. v. not.

Subtexere originem familiae 25, 18, 2. v. not. post *enumerare*.

Sudines, Fr. 8, 7. historicus.

Sulla, L. Cornelius 25, 2, 1. — consul a. V. Caton. 664. a. Chr. 88. dictator a. V. Caton. 670. a. Chr. 82.

Sulpicius, P. Galba 23, 7, 1. consul a. V. Caton. 552. a. Chr. 200.

Sulpicius, P. 25, 2, 1. tribunus plebis.

Sulpicius, *M. Seruius* 25, 2, 1. prioris frater, maritus Aniciae; Attici consobrinae.

Sulpicius 23, 13, 1. historicus.

Superare insulam 2, 3, 3. in nauigatione, praeternauigare.

Syracusae 10, 5, 5. — Siciliae urbs primaria: Carminibus eorum celeberrima (20, 3, 2.) eadem nomine fluvius; unde *Syracusanus* 26, 2, 2. —
Syria 23, 6, 4. Asiae regio celeberrima.

T

Tacitus 17, 3, 2. Aegypti rex.
Tarentum 4, 4, 4. promontorium et urbs Lucaniae; h. Matera.
Tarentum 13, 2, 2. — Antiquum nullius momenti saepius commemoratum theatrum.
Tarpeius, v. *Rectius*.
Tarpeium Asylum 23, 13, 2.
Tarentum (*Tarentus* 10, 2, 2. 15, 2, 2. Calabriae urbs, h. *Taranto*. Inde *Tarentina purpura*, Fl. 3, 6.
Tarpeium, Fl. 1, 4. famum Romae, unde praecipitantes ejiciebantur.
Tarquinius Priscus, Fl. 1, 6. Romanorum rex quintus.
Taurus 5, 2, 3. — ingens montium ingum quod ad Indicum usque Asiam percurrit.
Temperies, al. *temperies dicunt*, Fl. 6, 2. cibus, nutrimen.
Temporaria libertas 25, 11, 3. quae temporibus adcommodatur.
Tenuata a multis 24, 3, 4. hebetata, penitus, adcommodata.
Terentius, v. *Varro*.
Terentius, Fl. 2, 6, 6, 2. poeta comicus satis notus.
Testarum subfragia 5, 3, 2. ostracismus a testis fictilibus, quae in subfragiis ferendis uti solebant Athenienses. Cl. 3, 2, 2.
Testatior memoria 7, 4, 5. pudicus, insignior, certior.
Testudines 1, 7, 2. machinae bellicae in oppugnandis urbibus adhibitae, sub quas arietes et alia instrumenta ad evertenda moenia impellebantur.
Thasus 6, 2, 2. insula Thraciae et Macedoniae vicina; h. Taffo. Hinc *Thasii* 5, 2, 5.
Thebae 7, 4, 4. — Boeotiae urbs primaria.
Themistocles 2.
Theopompus 7, 11, 1. 11, 3, 2. Chius, historicus, qui Philippi et Alexandri M. aetate floruit; *maledicus* 7, 11, 1.
Theramenes 7, 5, 4.
Thermopylae 2, 3, 1. — alicus angusti, aquis calidis (θερμὸς) insignes, ex Thessalia in Locridem et Boeotiam.
Thessalia 16, 5, 1. Graeciae regio.
Thrax, *Thraces*. *Thracia* 1, 1, 2. — 7, 7, 4. Europae regio inter Istrum fluvium et Macedoniam, ubi h. Bulgaria et Romania. *Thressa*, femina 11, 3, 4.
Thrasybulus 8.
Thucydides 2, 1, 14. — historicus celeberrimus.
Thurii 7, 4, 4. aliis etiam Thurium, antea Sybaris, oppidum Lucaniae in Italia inferiori ad sinum Tarentinum, h. El Capo.
Thyus 14, 2, 2.
Tiberis 23, 6, 5. fluvius notus.
Tiberius, v. *Longus*.
Tiberius, v. *Nero*.
Timaeus 7, 11, 1. historicus Siculus maledicus. Scripsit Ἑλληνικὰ, Σικελικὰ, Ἰταλικὰ. Vixit belli Tarentini tempore.

Timagenes, Fr. 8, 1. historicus, qui de Galliae antiquitatibus scripsit. Cf. Ammianus 15, 9.
Timoleon 20. *Timoleonteum* Syracusarum gymnasium 20, 5, 4.
Timophanes 20, 1, 3. et 4. Timoleontis frater.
Timotheus 13.
Tingis, et Tinge, Fr. 8, 3. oppidum Mauretaniae, h. Tangier.
Tiribazus 9, 5, 3. Sardium in Lydia praefectus.
Tisagoras 1, 7, 5. Miltiadis frater.
Tissaphernes 7, 5, 3. — praefectus Darii Nothi, regis Persarum.
Tithrausies 9, 3, 2. 14, 3, 5. chiliarchus Artaxerxis Mnemonis.
Titubare 18, 9, 2. animi pendere, dubium esse.
Torquatus, L. Manlius 25, 1, 4. Attici condiscipulus.
Torquatus, A. prioris filius 25, 11, 2. et 15, 3.
Tractare de conditionibus 18, 5, 7. agere.
Traducere copias 1, 3, 1. sc. ponte; ad Alpes refertur 23, 3, 4.
Traiicere copias Hellespontum 17, 4, 4. —
Transportare copias 1, 3, 4. Antea *traducere*, *traiicere*.
Trasimenus 23, 4, 3. lacus Etruriae in agro Perusino; h. *Lago di Perugia*.
Trebia 23, 4, 2. et 6, 1. fluuius ex Apennino monte in Padum ad Placentiam defluens; seruauit vetus nomen.
Tristis senex et seuerus 15, 2, 2. morosus, difficilis.
Triumuiri rei publicae constituendae 25, 12, 2. et 3. quales se callide iactabant Octauius, Antonius, Lepidus.
Troas ager 4, 3, 3. in quo Troia s. Ilium situm erat, in Phrygia haud procul ab Hellesponto. Inde *Troicum bellum* 14, 2, 2. usitatius alias Troianum.
Troezen 2, 2, 8. vrbs Argolidis maritima; nunc in vicinia vrbis Damala.
Tumultus 1, 4, 3 de bello repentino et vrgente, quo Darius Graecos obruebat. Romani usitate sic *tumultum Italicum*, *Gallicum* dicebant. Cic. in Philipp. 8, 1.
Turbidum tempus 16, 4, 1. de tumultu ciuili.
Turdi quando saginari coepti, Fr. 10, 1.
Tusculum 24, 1, 1. Latii municipium; h. Frascati.
Tyranni, qui? 1, 8, 3.
Tyrus, Phoenices vrbs antiquissima, vnde *Tyria purpura*, Fr. 8, 6.

V

Vacatione aetatis vsus est 25, 7, 1. de sexagenario, cui militiae immunitatem dabat aetas.
Vadimonium 25, 9, 4. v. not.
Valerius, v. *Flaccus*.
Varro, *C. Terentius* 23, 4, 4. consul a. V. Caton. 536. a. Chr. 216. ad Cannas ab Hannibale vincitur.
Varro, *M. Terentius*, Fr. 1, 4. 8, 2. Ciceronis aequalis, vir doctissimus, qui alia plura scripsit de re rustica.
Veii, Fr. 7, 6. Etruriae vrbs.
Vela ventis dare 23, 8, 2. nauem ventis impellendam, ferendam tradere.
Venditare se florentibus 25, 11, 4. operam suam ingerere, obtrudere.
Venerari regem, v. προσκυνεῖν.

Venti, vide orti, Fr. 7, 4.
Veniam dare 2, 10, 1. 4, 4, 6. de re futura eſt concedere, petitis adnuere; de re praeterita, facta eſt condonare.
Ventus aquilo 1, 1, 5. *ventus boreas* 1, 2, 4.
Venuſia 23, 5, 3. Apuliae vrbs, h. Venoſa.
Venuſtae figura 18, 11, 5. de viro cum venuſtas propria ſit feminarum, dignitas virorum.
Verbo 19, 3, 3. obp. *re ipſa*, de fimulatione, praeterita ſpecie. *Verba dare alicui* 23, 5, 2. ſc. vbi ipſa res abeſt, non ſequitur, eſt decipere, fallere.
Verboſa epiſtola 25, 20, 1.
Verſuram facere 25, 2, 4. et 9, 5. mutuum pecuniam ſumere, mutuari ſub vſuris, argentum alicui accipere feneri, quum *verſura ſoluere* dr, mutuo alicunde accepto ſoluere debitum, nouo aere alieno vetus ſoluere. Verſura eſt mutuum, et qui pecuniam mutuam ſumit, vt nobis eam alicui accipit, et ſic verſuram facit.
Verſus 15, 4, 6. etiam de libris proſaica oratione ſcriptis, lineas, quam vocamus.
Vertens annus 17, 4, 4. ſc. ſe, i. e. tactus, peractus, quia tunc, vnde inceperat, reuertit.
Veſtale, e, virgine, Fr. 2, 1.
Vettones 22, 4, 2. Hiſpaniae citerioris gens circa Tagum, vbi h. Eſtremadura.
Via Appia, v. *Appia*.
Vicinitas 7, 10, 4. *vicini*; vt ſimilia.
Vigilia ſecunda, tertia 18, 9, 3. de noctis partibus. v. not.
Vincula epiſtolae 4, 4, 1. v. not.
Vinea 1, 7, 2. machina bellica in obpugnandis vrbibus adhibita.
Violacea purpura, Fr. 8, 6.
Virtim legere milites 4, 1, 2. v. not.
Vis maxima barbarorum 5, 2, 3. multitudo, vt alibi, quatenus vis ineſt.
Volumen, praef. 8. 25, 18, 1. liber, quia veteres in cylindrorum formas libros conuoluebant.
Volumnius, F. 25, 9, 4. — Attici amicus.
Voti damnatus; v. *damnari*.
Vt ſi 10, 9, 2. et alibi; i. e. tamquam, quaſi.
Vtica 22, 2, 4. vrbs Lybiae ſ. Africae propriae, in regno Tunetano, vbi h. *Bog-Schatter*.
Vtique, Fr. 12, 4. et vti.
Vulſo, *Manlius* 23, 13, 2. conſul a. V. Caton. 563 a. Chr. 189.

X

Xenophon Socraticus 17, 1, 1. Socratis diſcipulus, ſcriptor ille celeberrimus.
Xerxes 2, 2, 4. — rex Perſae, qui maximis copiis mari terraque Graeciae bellum intulit.

Z

Zacynthus. Hadriatici maris inſula, h. Zante, vnde *Zacynthii* 10, 9, 3.
Zama 23, 6, 3. vrbs Numidiae, h. Zamora.

COMMENTARIVS PERPETVVS.

IN

CORNELII NEPOTIS

EXCELLENTIVM IMPERATORVM

VITAS

CONSCRIPTVS

A

CAROLO HENRICO TZSCHUCKE.

GOTTINGAE, MDCCCIV.

SVMTIBVS HENRICI DIETERICH.

PRAEFATIO.

1. *fore:* vſitatior hoc ſenſu forma fuerit *non dubito, quin futuri ſint.* Sed quamuis eam argentei maxime aeui ſcriptores frequentant, minime tamen boni etiam auctores reſpuunt, ſic vt damnari omnino non poſſit. Sic noſtro in Miltiade 3, 6. Lyſandro 3, 5. Alcib. 9, 5. Ageſil. 3, 4. Sed et praeter noſtrum ita Liuius 26, 15. in. et alibi, Ciceronis filius 16. epiſt. 21. immo ipſe Cicero ad Atticum 7, 1. Vtrumque igitur valuit, etſi alterum magis. Plerumque tamen ita cum futuro infinitiui ponitur; rarius cum praeterito inuenias, quale exemplum obcurrit in Hannib. 11, 2.

Attico: Linguae Latinae vſu vocatiuus quibusdam praemiſſis interponitur. Atticus autem idem eſt, cuius vitam deſcripſit; vnde familiaritas nota, quam et diſerte memorat cap. 13. extr. cf. in Catone 3, 5. Vocem *plerosque* explicant: multos, plurimos. Poteſt tamen proprio ſenſu intelligi, ſi ad vſitatiorem formam tacite reuoces: fore, vt plerique iudicent.

perſonis: Nempe ex vera vi vocis de conditione, loco, dignitate, vt in Epamin. c. 1. in. Dixit autem hic omnino pro dignum ſummis viris. *Genus ſcripturae* eſt ſcribendi, narrandi ratio et forma. Nempe magnos magna decent. Eſt igitur, ſi priorem partem de ipſa elocutione ſpectes, modeſta excuſatio ad lectorum vel indulgentiam vel gratiam compoſita.

Muſicam: Nempe *Graeci*, vti diſerte ſcribit Cicero Quaeſt. Tuſcul. 1, 2. *Summam eruditionem ſitam cenſebant in neruorum vocumque cantibus*, quod deinceps Epaminondae diuerſoque Themiſtoclis exemplo inluſtrat. Contra Romanis moribus, vti monet noſter in Epaminanda c. 1, 2. aberat illa a principis perſona, adeo vt Cato ſecundum Macrob. Saturnal. 2, 10. cantare non ſerii hominis eſſe pronuntiaret.

Saltaſſe: Cicero igitur hoc nomine aliquos exagitat, notusque eſt locus in oratione pro Murena cap. 6. *nemo ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit.* — *Commode* eſt concinne, eleganter, apteque ad modos muſicos et leges artis.

2. *Interpretum*: vel historiae de moribus cultuque Graecorum, vel magnae eruditionis, quam tam apud Graecos parvuli.

3. *Et. f.*: Elegantius sit hoc nexu, quum idem praecedat. Dicere *non*, quod dedit Wesselius. Malim enim *si*, quod cum adspiratione in MSS. longe proferri notum est. Audiuntur in *s* et *nis* etiam Codices.

admirabuntur: Pro implicit. aut valde mirabuntur, vel passim de se imitatur. Iuvenal.

nec: Notent hic hermeneutae, quales essent interpretes quibus auctoribus eruditi aut multis exemplis eruditi, ut singulares libellos explere possemus.

Graecorum: Plutarchus in Lycurgi vitis auctores. Hic enim, ut ipse Nepos interpretum in Cim. 1. in *Lacedaemonios*, ex eadem gente diversi enarrant progenitum figulum. Contra apud Ciceronem in Verrin. 4. 24. *Graecum fictum* dicunt, vel potius Bonum Wesselingium observasse p. 19. Illud Athenienses leges Solonis appellare solitos, quum revellat apud Lactantium Lycurgus. Simile adeo habes exemplum in Sura et Abrahama.

reliqui: cum augmento vi nunc caret. Sic Cicero *de Offic.* 1. 22. *non modo tempore ejus, sed paullo etiam et reliquis.*

auctores: Cicero de republica apud Servium ad Virgilium Aen. 12. 202. idem dicere adversus Varronem autem Attilianae cenis hoc reprehendisse, quippe de quo id refert in ejus vita cap. 2, 3.

Lacedaemonii: pro Lacedaemone. Sic Carthaginienses. Nempe olim dativi et ablativi eandem habuerant terminationem.

frenum: Valde haec vocabulum exercuit interpretes. Si equidem lectorum spectationem, ut dixerā aliquid a sequentibus *in frenum prodire* inferat, inepte adjungitur: *mercede conducta*. Alii igitur *ad frenum* emendant, quod sequentia §. 6. congruunt, alii *ad laenam*, quod quidem in hoc nexu etiam ideo praeferrim, quod impudicitiae et quaestus fama habuerunt Lacaenae mulieres. Alia praeterea. Qui *frenum* de palaestra explicant, eō eam frequentatae tradunt auctores, non cogitarunt, durius id esse et a sequentibus deprimi.

5. *Ista*: Quidam codices subiiciunt *fere* quod et admisit Heusingerus eumque secuti Bipontini. Sed vulgata recte habet, quia etiam ad Lacedaemonios pertinet, Grae-

eosque omnino eo nomine notat Cicero pro Flacco c. 13. Ceterum praepositio *in* non solum in simili nexu ab aliis omittitur, sed et hic propter praecedens *in* apte.

citari: Voce praeconis pronuntiari, quod Graecis est ἀναγορεύεσθαι Ipse victor appellabatur ὀλυμπιονίκης.

gentibus: At praecedit *Graecia?* Hinc sensum respexit.

humilia: Latino usu et sensu.

6. *pleraque:* Sc. ad, i. e. in plerisque. Quidam volunt *plerumque.* Sed res spectantur.

enim: Ita passim obcurrit, vbi inlustrationis causa exempla subnectuntur.

7. *in conuiuium:* Testatur Cicero in Verrin. 1, 26. Inmuptas tantum virgines Romani ob liberiores sermonum iocos arcebant.

primum: Intelligit atrium. *Celebritas* in locis hominum frequentia stipatis.

sedet: Eleganter pro habitat delegisse videtur propter lanificia et adsiduitatem curae domesticae.

gynaeconitis: Alias *gynaeceum.*

8. *hic:* Non sine codicibus recepit Stauerenus eumque et nuper secutus Harlesius. Alii extrudunt.

magnitudo: Igitur in summam hae vitae contractae superstant, aut plures interciderunt.

vita: Sic optimi codices, quod et aliorum vsus comprobat. Atque ita in fronte libri pro *vitae* reponi commode possit.

MILTIADES.

Cap. I, 1. *Miltiades:* Egregie disentit ab Herodoto, qui de alio Miltiade, Cypseli filio, multa narrat, veluti de Chersonesi expugnatione, quae noster ad Cimonis filium refert cum Pausania 6, 19, 3. etsi ab vtroque diversum inducit adeo Aelianus V. H. 12, 35. Alios igitur auctores Herodoto vel ignorato, vel potius graui de causa relicto, secutus est. Certe in Themistocle c. 9. dissensum auctorum notat. Secutus esse videtur Ephorum. Cf. ad cap. 7, 2.

antiquitate: Ab Aeaco enim, Codro, Aiace etiam genus ducunt. Hinc additur *gloria.*

modestia: Praecipua dos in re publica vel libera ciuitate; obponitur superbiae, adrogantiae.

omnium: Pendet a *maxime.* Similis formula redit in Cimone cap. 3. in. omisso tantum *omnium. Floreret* apte de moribus commodis et gratis.

confiderent: Spei addit constantiam certam.

iudicarunt: Malim *iudicarant*, quum ad auctoris sententiam alterum durius referatur; atque ita Riclefsium reposuisse postea vidi.

Chersonesum: Thraciam. Fuit enim etiam Taurica, vt taceam alia loca.

vellent: Nempe rogati a Chersonesi incolis, vti refert Herodotus 6, 35. aequalis Cimoni.

2. *Cuius generis:* Pro quorum sc. colonorum, aut subple hominum. Ceterum Herodotus 6, 34. ipsos incolas Doloncos, qui tunc Chersonesum incolebant, Delphos deliberatum misisse scribit.

qui — Apollinem: Molesta haec sunt et glossam redolent, si *deliberare* est consulere, vt ex Themist. cap. 2, 2. apertum est. Etsi enim passim aliqua praecidi possint, quae ab auctoribus sunt adiecta, vti deinceps *armis*, minus tamen, vt hic, inpediunt. Cf. in Timoth. 3, 2.

Thraces: Dolonci Herodoto c. l. qui tunc graui bello ab Apsinthiis vrgebantur.

cum: Solet ita noster praeponere, cum alias *quibuscum* etiam dici notum sit. De voce *armis* paullo antea monitum est. Videtur adiecisse, ad indicandam magis bellicosorum et pugnacium Thracum indolem.

3. *nominatim:* aperte et indicato nomine, quum alias ambagibus solerent vti.

sumerent: Apte ad *praecepit. Futura* pendet a subintellecto *dixit.*

4. *Lemnum:* Insula fuit prope Thraciam. *Adcedere*, vt ire, audire, currere etiam de nauigantibus.

Lemnii: Quidam praeponunt *vt*, quod in hoc nexu non erat necessarium, quum etiam a MSStis absit. Sic vero verba moneo, postulo, oro — saepe ponuntur. *Faccrent* autem sententiae, non verbis adcommodandum.

inridentes: Inrisio in eo quaerenda, quod Lemnos Atticae versus septemtrionem erat obposita, et hinc aquilone, vento aduerso, eo nauigari Athenas non poterat.

vento: Sic infra cap. 2, 4. *ventus boreas.* Nomina enim adpellatiua, generis, saepe propriis et formarum addi solent, vbi saluo sensu abesse possint.

tenet: i. e. ex aduerso flat; metaphora, ex re militari ducta. *Cursus* de nauigatione, vt similia. Cf. antea.

Cap. II. 1. *conlocauit:* Agros colonis deductis adsignavit. *Barbari* sunt Apsinthii.

3. *imperio:* auctoritate et edictis. Tyrannidem vocat Herodotus 6, 39, et Plutarchus de sera numinis vindicta p. 182. ed. Reisk.

officia: qualia poterat absens, veluti frumentum, mittere.

4. *vrbem:* Quidam pro insula capiunt, in quibus Raue. Ita quidem πόλις Graecis dicitur, non item, certe insolentius, *vrbs* Latinorum vsu. Facilius fertur illo sensu ciuitas, quo et legitur in Lysandro c. 2, 2. Proprie tamen hic de primaria vrbe intelligi potest, qua capta tota insula subacta erat. *Myrinam* autem intelligendam esse docet Charax apud Stephanum s. v. Ἡφαιστία.

vento: Vt supra cap. 1. *vento aquilone*, alterum promiscuo vsu ad variandum.

domum: Domicilium, sedem. *Chersonesi* autem, quia insularum nomina eodem, quo vrbes modo, habentur. Sic in Chabria c. 3, 4.

Cares: Cares Pelasgi Herodotus lib. 5. extr. Tum periodicam orationis formam tene.

ceciderat: Metaphora a talorum iactu ducta, vbi fors, non consilium certum dominatur.

dicto: Superiori promisso.

Cap. III. 1. *Darius:* Hystaspis filius. Causa belli Scythis inlati, quod Mediam inrupissent; Herodot. 5, 11. vel secundum Iustin. 2, 5, 9. quod illorum rex Iancyrus (vt ibi editur) Dario filiam negasset.

qua: sc. via, parte, vt in simili nexu saepe. Sic in Eumene cap. 8. 4. *duae viae, qua* — Alii et quidem plerique *quo*, vt proxime pontem adficeret. Forsitan non temere, quum, nisi codices cogant et contextus, talia non vbiuis obtrudenda videantur.

vrbium: In iis regionibus, quibus praeerant. *Imperia* hic, infra §. 5. *dominatio. Ipsarum* pendet ab *vrbium*, nempe Ioniae et Aeolidis.

2. *Graeca — incolerent:* Graecos in Asia minori, quare periphrasi illa vti forte maluit. Infra *Graeci genere.*

tradidisset: Ex vera temporum in connexu rerum ratione. Vernacula imperfecto hic vtitur.

[illegible]: [illegible] ad numerum. [illegible] MSS. [illegible] Commentarius. [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]: [illegible] sit [illegible] Intelligo [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] Subest [illegible] impe- [illegible] praedictorum.

[illegible] ad Miltiadem.

[illegible]: [illegible]

Cap. IV. 1. *Europa*: [illegible] bellum gesserat, [illegible] Herodot. [illegible]

[illegible]: quales habent reges. [illegible] Miltiadem.

[illegible]: Quidam hanc vocem in priori parte addunt, [illegible]; quod [illegible] addiderunt, nunc prae- [illegible] fic [illegible] ad utramque partem referri. [illegible] solet [illegible]. Est igitur arbitrarium. Ceterum in numero et [illegible] et copiarum ex more variant.

interferens: praeterea. Sed hoc tamen apte, quia ipsi orationi interpositum, interest. Sic in Themistocle c. 7, 1. *interponens*.

Atheniensibus: Dativus, quia ad verbum refertur. Quippe in his duplex regimen valet duplexque forma.

Iones: Aristagora, Mileti tyranno, auctore. Herodot. 5, 97. Sardes Lydiae praecipua urbs ad radices Tmoli montis iuxta Pactolum, flumen auriferum. *Sardeis* forma Graeca alii, alii *Sardes*. cf. in Agesilao c. 3, 2.

2. *celeriter*: Septimo die et proditione Euphorbi et Philagri, unde et celeriter et repente. Herodot. 6, 101. Ceterum *Eretria* urbs clara Euboeae, quae Boeotiae obposita iacet.

gentis: Euboeenses. Ita vero rex interpositis minis iusserat.

Marathona: Pro Marathonium; et sic Iustin. 2, 9, 19. *campi Marathonii*, qui fuerunt prope Marathona vrbem. *Deduxerunt* in adparatu et aditu proelii verbum solenne, vt *descendere*. Deduxit autem Hippias, Pisistrati filius, Athenis exsul. Herodot. 6, 107.

oppido: De Athenis nota. Ita et alibi noster, etsi etiam *astu* in Themist. c. 4. in. *Passuum* pro stadiis, quae sic ad Romanorum rationem reuocauit. Faciunt autem 4. M. P. miliare Germanicum vnum.

3. *tumultu:* De bello vicino et subito.

Lacedaemoniis: Qui tamen ob plenilunii religionem, ante quod in bellum egredi nefas erat, (Pausanias 1, 28, 4.) aduentum differebant. Strabo lib. 9, 1, 22.

Philippidemque: MSS. cum edd. *Philippidem*, vel *Phidippidem*, vti variatur etiam in Herodoto 6, 105. vel *Philippum* et *Phydippum* hoc nomen efferunt, qui tamen in *Philippides* consentiunt apud Pausan. c. l. Tum etiam interpretes inter se discrepant, vtrum viri, an officii nomen fuerit. Prius euincunt Herodotea 6, 105. in quibus κήρυξ dicitur missus, (ἄγγελος Pausaniae) alias hemerodromus, qui et Panis cultum Athenas induxerit. Videtur a Philippo s. Phidippo genus deriuasse. Ceterum infecta re rediit, cuius causa ex nota proxima discitur.

hemerodromoe: Terminatio Graeca, quam amat maxime Mela, neque hic librariorum officina excudit, quare mutari cum multis edd. in *hemerodromi* non debet. Livius 31, 24, 4. explicat *ingens die vno cursu emetientes spatium*. Nobis nunc *Eilboten*. *Qui* quasi eius generis curforum, qui —

4. *praetores*: Gr. στρατηγοί. Sic dicti militares magistratus. Hinc praetorium. Pro *creant* quidem malunt *crearunt*, Wetzelius etiam reposuit *creati*, quam variationem margo cod. Voss. 2. notat. Nempe praecedunt praeterita, et sequitur *praeessent*. Non male. Sunt tamen exempla similis mutationis etiam alibi obuia, nec raro imperfectum subiicitur praesenti, quando praeteriti vicem tenet. At hic ad diuersam rem progreditur, quae interiecto tempore acta est, eamque temporis positi diuersitate quasi signat.

decernerent: Al. *contenderent*, *decertarent*, quae sunt explicationes vulgati verbi, quod discrimen proelii, in quo summa salutis agebatur, notat.

5. *nitebatur*: Apte propter difficultatem ex diſſenſione, et *in contentione* reſpicit.

auderi: Al. *audere*, etiam codices aliqui. Neque tamen etiam nunc alterius lectionis me poenitet. Nam etſi durior videtur forma. Nepos tamen non ſemper tritam viam inſiſtit. eadem obcurrit in Livio 39, 8, 8. tum obponitur antea *deſperari* et poſt *aduerſus ſe*, quod ſic aptius hoſtes reſpicit; denique gratior ſonus exſiſtit. Quodſi impersonaliter explicatur, non opus eſt cum Perizonio ad Sanctii Minerv. 3, 6. not. 2. *dimicare* per dimicationem, pugnam explicare, licet ita paſſim infinitivus ponatur. *Audere* deſideret adpoſitum Graecos, quos innuit.

tam exiguis: Sc. cum, vt alibi, v. c. in Pelop. 2, 3. de regib. 1, 3.

Cap. V. 1. *tempore*: Laxe omnino in hoc nexu, vt ad res rerumque conditionem referatur, et ſic cum praepoſitione *in* ſolemniter.

Plataeenſium: Al. *Plataeenſes*; Praemiſi alterum, quia ſic non ſolum commodius *cuitas* ſubpleatur, ſed et *ea* ſubcedit, etſi pronomen ſaepe qua ſenſum ad praec. voc. refertur.

mile: Ita, cum genitivo, etiam in Datame 5, 3. noſter et ſaepius Livius. Nempe eſt numeri ſingularis et generis neutrius. Hinc poſt *decem milia*.

valuerit: Praeteritum, quia rem omnino declarat.

3. *montis*: Qui Panis mons dictus eſt, vti adparet ex Pauſania 1, 32. extr.

ſtratae: Hoc retinui non ſine codicibus pro *ratae* aliorum. Nempe ita nexus et vis argumentationis arctius continetur, et melius reſpondent verba *nouo arte*. Confirmauit id et nuper adiecto calculo indicium Harleſii. *Ratas* fecerat natura vel alia prior cauſa, *ſtratas* diſiecerat ars, quam hic aperte reſpicit. Adcedit *conſilio*, quod naturae loci obponitur. Sic etiam *tractu* bene intelligitur, i. e. ſerie longa.

5. *tanto plus*: Sc. quam hoſtes. Sic recte ſubiicitur *vt*.

profligarent: Quum rei narratae continua ſubceſſio ſeu adfectus declaretur, malui et hic et deinceps *peterent* cum aliis praeferre, etſi praeteritum MSSiorum etiam auctoritate nitatur, quod editoribus nonnullis placuit. Tum vero ſpectetur intentio et ex auctoris indicio inſtruatur.

naues: Sunium tamen praeteruecti, Athenas obprimere tentabant, celeri quidem Athenienſium adcurſu impediti. Herodot. 6, 116.

CAP. VI. 1. *Cuius*: Tenenda in verborum conlocatione forma latina.

2. *effuſi*: Eleganter de cumulata, prodiga copia, vnde vilitas conſequitur, pretium ipſum minuitur. *Glorioſus* igitur et *obſoletus* recte obponitur. Ceterum facile hic ſubeunt honores, Caeſari et Auguſto habiti. *Sic olim* remittit ad priorem comparationis partem.

3. *liberaret*: Alii *liberauit*, vt ego ipſe antea. Hoc ex narrantis habitu, illud interpoſito etiam iudicio. Quod quum aptum hic locum habeat, praetuli nunc ex MSStis cum Boſio, Heuſingero, Harleſio et aliis.

Poecile: Ante Πεισανάκτειος dicta. Cf. Diogenes Laert. 7, 1, 6. — Gr. Ποικίλη.

poneretur: Verbum in hac re ſolenne. In pictore ipſo variant auctores.

4. *trecentas*: Numero rotundo vel pleno. Alii enim plures habent, 350-360.

CAP. VII. 1. *officium*: A quo deſciuerant barbaros adiuuando. Hinc obedientia.

2. *Parum*: Fuit in Cycladibus puro et candido marmore olim celebris.

oratione: Verbis, admonitionibus. Non igitur opus eſt, ſine MSStis ad ſententiam Gronouii in obſeruatt. 2, 10. legere *ratione*, quae et ipſa verbis declaranda erat. Miſerat enim caduceatorem; ſed, quod vult Herodotus 6, 133. vt centum talenta poſceret, aut obſidionem minaretur. Secutus igitur et hic eſt Ephorum, cuius narrationem de hac re ſeruauit Stephanus ſ. v. Πάρος.

operibus: De adparatibus obſidionis, in quibus murus, vallum, agger, turres, ſepes — quorum cauſam ipſe ſubiicit.

vineis: Porticus ſunt tectae, ſub quibus tuti milites obſidionis inpetum vrgebant. *Teſtudines*, ſub quibus ad moenia diruenda arietem inpellebant. Ceterum notandus hinc priſcus horum inſtrumentorum vſus, quem aliqui, in iis Diodorus Sic. 12, 28. poſteriori aetati adtribuunt.

3. *continenti*: Ephorus c. 1. ὕλης τινὸς ἐξ αὐτοματου περὶ τὴν Μύκονον ἐξαφθείσης, quod quidem probabilius dicitur, quam de continenti, cui obſtabant plures inſulae. Si

vella *fama*, quae voces mutatae in Themist. c. 2. s. obstat n. c. Forte ex opinione populi rem hanc dixit. Ceterum [illegible] *ex fama* Sic in Alcib. c. 1. Satis insolenter [illegible] vide demum quale exstitit. Virtusque cognitae fortis, vt nimia. Ita et hoc mitigat. Sic *mihi* [illegible] vera legitur in Pausan. c. 2. 1.

in Persas: Nempe, quae hostili poterant.

expiari: Harum in hoc nexu. Vulgatus respondet *quot*.

pro delictis: Infra c. 12, 1. Seneca controuers. [illegible].

diuersos: Quidam praeferunt *e regno*, quae melius hic in Codd. absunt, quia curius *regna* positum sit pro *regionem*.

agere: Etiam de vulneratis, vt in Eutropio 2, 11.

vulneribus: Disseruit et hic ab Herodoto 6, 114. qui narrat, quum de maceria templi dubitaret, femur consultum. Videtur igitur Ephesiorum ille fecerus; certe rursus commemorat etiam Aristides T. 1. rec. 244. ed. Iebb. Itemque id multos, immo omnes tradidisse addit.

ipse: Sustinet contra alios hanc vocem obpositionis reus. *Quamuis* extra orationem obliquam rarius cum coniunctivo ponitur. Simpliciter enim hoc narrat. Forte *etsi iam*.

Thasiorum: Varie vitiatur in libris, et fere *Dasiorum*, *Dasiorum* scribitur. Verum scripturam vindicauit Nepoti Pingerfius in var. lect. 1, 9. ex Libanio et inde a Bosio probarunt editores.

6. talentis: Ex nostra computatione, si Atticum talentum aegnaueris 1270. thaleris, efficient summam 95,250. ex quo maximum exstruendarum Iumtus a multo tempore dinerfissimos intelligas.

aestimata: Asconius in Verrin. 1, 15. explicat pecuniam, de qua lis fuit et propter quam reus condemnatus est, in summam redigere. Hic impensas in maximum fabricationem ex nexu spectat.

in praesentia: Quia adparet in tot Codicibus, recepi nunc, secutus Bosium in ed. 2. et plurimos alios. Adiuuat sensus. Nempe ideo in carcerem coniectus est, quod pecuniam repraesentare non poterat, et vt quam primum satis facere cogeretur.

vincula: Carceris notionem inferunt, ancram tamen, et Romanorum *nexus* respondent. Sic Valer. Max. 5, 3. ext. 3.

Cimonis hereditatem *catenas* et *carcerem* fuiſſe ſcribit. *Publica*, quia cauſa publica.

Cap. VIII. 4. *Pario:* in Pari expugnatione neglecta admiſſum.

Namque: Ex edd. antiquis recepi, probante Harleſio, quia hic pro *nam* ſequente vocali Nepos ſolet.

paucis: 20 fere.

2. *imperiis:* Militaria ſunt foriſque; *magiſtratus* ciuiles et domi geſti. Poſterius verbum, quum Codices fere ſcribant *magnisque*, fruſtra laceſſit Boſius.

3. *tyrannus:* Ipſe ſecum pugnare et negligentiae reus videtur, ſi reſpicias cap. 2, 3. Forte ita haec conciliari poſſunt, vt dicas, ita non ſe ipſum adpellaſſe, ſed ab incolis adpellatum fuiſſe. Adiuuat Strabo lib. 7. cap. 4, 3. qui Cherſoneſi principes dominorum et dynaſtarum nomine producit. Adcedit Herodotus 6, 36. qui diſerte adfirmat, Miltiadem, etſi, quod notum, Cypſeli eum filium facit, Cherſoneſi tyrannum conſtitutum fuiſſe. cf. etiam ſupra cap. 3, 1.

tyranni: Notandus hic locus de vi huius verbi.

communitas: Ita nunc dedi cum Heinrichio, quum antea poſuiſſem *comitas*, quod habent edd. multae et ex recentioribus etiam. Vtrumque, vt ſaepe alibi, adferunt hic Codices. Adiuncta praeterea explicatio, vt in Attico cap. 3, 1. idem poſtulare videtur. *Comitas* enim pares etiam amplecti poteſt, *communitas* omnibus, vel humillimis, aequales fingit et praeſtat. Nec, quum in virtute ponatur, obſtendere poteſt ipſa locutio, in qua quidem haeſerat Heuſingerus.

THEMISTOCLES.

Cap. I. 1. *Neoclis:* Alii cum libris etiam plerisque *Neocli*, vt Achillei, Vlyſſei. — At diuerſa valet in iis ratio, quum in Graecis hic ſit *νέος*, ibi *νέος*. Ita non facile quis *Themiſtocli* dixerit.

vitia: libido, luxuries, profuſio. Vid. mox.

huic: Praecedente *huius* non placet.

2. *generoſus:* Proprie, de generis antiquitate, quam etiam in aliis praedicat.

Halicarnaſſiam: Plerique olim cum Codicibus *Acarnanam*, hodie aliqui aliis etiam libris addicentibus *Acharnanam*. At praeter dubiam etiam formam, ſi ad Acarna-

[illegible]

ex eadem [illegible] *et hinc seruitutem.* Valerius Max. [illegible] vocat *abdicationem*, quae cohaeret, quia abdicatus parentis familia excludebatur et patrimonii [illegible] *eripiebatur.* Hinc recte Nepos [illegible] *commemorat.* Contra Ciceronem de cognatis et amicis maxime. Cf. Cicero pro Roscio Amer. cap. 37. pro Quinctio cap. 4. Nempe in summa saeculi corruptione.

3. *fregit:* Eleganti et crebra metaphora de animi langore et deiectione.

dedidit: Al. *dedit*, commentatione frequenti. Illud gravius videtur, quasi emancipatus.

privatis: Ob causas privatas. Obpositum latet in subiectis.

reperiebat: Addunt quidam: *facile eadem oratione explicabat.* Sed quum iam superioribus hoc declaratum fuerit, nec explicationem haec cum augmento adferant, in hac brevitate Nepotis melius ad glossam ablegantur.

4. *Neque minus — erat:* Haec verba quidam, contra libros tamen, post *callidissime coniiciebat* proiiciunt, quod sic concinniori ordine conferantur. At et hoc ordine ad *excogitandis* apte referri possunt.

Thucydides: Lib. 1, 138. quem locum verbis contractis reddidit.

callidissime: Proprie sensuque bono.

CAP. II. 1. *Corcyraeo:* Immo Aeginetico, quod solum hic commemorant auctores. Erravit igitur Nepos, aut olim corruptus est. Adtingit quidem Plutarchus in vita cap. 24. dissensionem, quam arbiter adhibitus diremit; sed nec tempus congruit, nec ipsa res.

praetor: Vt supra in Miltiade c. 4, 4.

ferociorem: Vti saepe apud Liuium, magis strennam, audacem. Modum in seqq. declarat.

2. *metallis:* in Laurio monte. Centum talenta fuisse adfirmat Polyaenus 1, 30, 5.

largitione: Deteriori fere ſenſu dicitur.

centum: Ita et Polyaenus c. 1. et Plutarchus in Themiſt. c. 4. Sed ducentas habet Herodotus 7, 144. *Ea pecunia* ſc. ex, quod addit in Pauſan. c. 1, 3. Cim. c. 2, 5. Timoth. c. 4, 1.

3. *praedones:* Quum etiam in terra graſſentur, adiecit *maritimos*, etſi de piratis facile in hoc nexu intelligi poteſt.

4. *ſaluti:* Ad periculum, calamitatem maxime refertur, et hinc propter ſeq. apte.

Perſico: Aliqui: *Perſico. Nam quum - quisquam. Huius enim* — male inciſo nexu, quem alii libri expulſo *nam* continent. Intelligitur autem Perſicum bellum ſecundum. Primum adtigit in Miltiade. Inpulſores autem fuerunt Mardonius et Onomacritus.

et mari: Vt in Hamilc. cap. 1, 2. Alias ſolenniori vſu *terra marique*, vt de reg. c. 1, 3. Metri, opinor, cauſa Horatius in carm. ſaecul. v. 53. *mari terraque.*

bellum: Moleſta repetitio. Elegantius dixiſſet: *quod — inferebat.* Sed talia loca paſſim, et in noſtro et in aliis, obiiciuntur.

5. *mile:* Ex more in numero variatur, et fere *mile* tantum alii habent, vel etiam ſeptem tantum additis. Sic variant auctores in onerariis, magis etiam in terreſtrium copiarum numero.

Europae: Graeciae Europaeae.

longarum: quae milites vehebant, vt *onerariae*, ὁλκάδες, commeatum.

6. *peti:* Ex propria verbi notione ſignificatio facile in hoc nexu repetitur. *Abgezielt.*

de rebus: *De* poterat abeſſe. Heyne ad Tibull. 1, 1, 37. non male legi poſſe putat *e rebus ſuis.*

Deliberantibus: Variat cum *conſulere*, vnde vis verbi in Milt. c. 1, 2. adparet, vbi etiam *delecti* additur, quum hic addicente ſimul vſu ſubſtantiuum omittat. Addit cap. 5, 4. *legatos.*

vt: Quia in *reſpondit* monitum, iuſſum latet. Sic *dico, edico* et ſimilia. Cf. ad cap. 7, 3. Oraculum integrum exſtat in Herodoto 7, 141.

7. *nemo:* Scribit tamen Herodotus 7, 142. quosdam etiam de nauibus intellexiſſe, quod poſtea confirmauit Themiſtocles. Alii cum noſtro faciunt.

8. *ſuperiores:* Nempe centum. cf. §. 2.

moueri: liberos, coniuges, seruos cum supellectile. Vid. ad Dion. c. 1. 1.

Salamina: Insula Graeciae in sinu Saronico; h. Colouri. *Troezen* Argolidis in Peloponneso oppidum. Terminatio Graeca nostro non infrequens. Sic infra cap. 9, 3. *Salamina;* in Miltiade cap. 4, 2. *Marathona.*

sacra: Minervae, Deae tutelaris. Ceterum multis interpositis demum sequimur, quum voci *arcem* deinceps subiiciendum esset.

oppidum: Vt supra de Athenis in Miltiade cap. 4, 2. et hic infra cap. 10, 3. Alias vrbs. ἄστυ. vti mox cap. 4. in.

CAP. III. 1. *delecti:* Trecentos plerique memorant, eosque Spartanos.

Thermopylas: Via militaris via, qua traduci exercitus possint. Sic Liuius 36, 15, 11. explicat. *Pylae*, Latinis *portae*, sunt angustiae viarum fauces. Erant in Locride in finibus Thessaliae inter mare et praeruptos montes.

interierunt: Post monimentis celebrati.

2. *Artemisium:* Euboeae promontorium, vbi fretum interiacet.

3. *pari proelio:* Alias aequo Marte.

superasset: Praemunigasset, vti passim de itinere, cursu.

4. *exaudierunt:* Mira compositio, vix tamen comprobata. Cf. ad Thrasybul. cap. 2. extr.

CAP. IV. 1. *astu:* Ἄστυ Graece. Sed τὸ ἄ apud Latinos saepe in *a* transit. Proprie est arx, vbi templum fuit Minervae secundum Strabonem lib. 9. c. 1, 16. Tum per excellentiam de Athenis, vti τὸ ἄστυ de Roma. Oppidum tamen passim etiam noster, vt paullo antea notaui.

defendentibus: Defensum, sed frustra, dicit Ctesias apud Photium p. 118. cum Herodoto 8, 52.

sacerdotes: Herodotus 8, 53. tantum ἱέρειαν memorat.

incendio: Arcem cum vrbe combustam narrat Herodotus c. 1. vrbem solam Gellius 6, 1.

2. *fauus:* Codices multi *flamma*, quod et interpretes quidam tuentur. Attamen nimis, 50. M. P. fere, Salamis hinc distabat, etsi in Miltiade c. 7, 3. simile aliquid vel maius intercallum ita notatur, vbi propter sequens *visa est* mutari lectio vulgata nequit. Tum vero *flamma* vindicari potest ex Herodoto 8, 56. (πυρσοῖσι) et Diodoro 11, 2. (πυρσοὺς καὶ λαμπάδας) quorum ille ad Atticam id refert, hic ad Minervae templum.

non auderent: Contra Isocrates in Panegyr. c. 27. qui etiam socios honestatis et pudoris cohortatione retinuisse addit, nimio ille laudandi studio abreptus.

testabatur: Pro praedicebat, adfirmabat; insolenter. Futura enim nemo testetur. Forte tamen tamquam rem certam indicaturus non temere adhibuit. Tum notanda variatio.

regi: Dignitate certe et auctoritate, vt Agesilaum de regibus c. 1, 2. regem adpellat. Herodotus 8, 42. e regio eum genere fuisse dicit. Nolim tamen ideo latiori sensu adcipere, quo etiam regum liberi reges vocantur. Hominem tamen ignauum eum fuisse et temerarium, adfirmant Herodotus 8, 74. et Plutarch. in Them. c. 11.

3. *seruis*: Sicinnum nominat Herodot. 8, 75. quem et aliqui paedagogum liberorum Themistoclis faciunt. Ceterum nota elegantiam inuersionis pro: fidelissimum seruorum suorum.

longinquiore: Etiam de tempore, non de spatio tantum.

4. *ingratiis*: Libri etiam *ingratis*. Aduerbii vicem tenet, i. e. inuiti, etsi proprie substantiui vice fungitur, quia et *nostris* — additur.

depugnandum: Nisi pro simplici positum velis, de continuatione et fine dicitur, vt decurrere, debellare et similia.

5. *Barbarus*: De Xerxe ex more.

alienissimo: Ex obposito patet sensus.

angusto mari: in freto inter Salamina et Atticam vel Heracleum in Attica. Thucyd. 1, 74. Plutarch. in Themist. c. 13. Sed hoc de initio tantum pugnae valet, quia post in aperto etiam mari pugnatum est.

Cap. V. 1. *gradu*: Metaphora a gladiatoribus ducta, vt deiici, demoueri; *aus dieser Lage verdrängt.* Elegantissimum censent quidam; adcesserim in alio nexu et sine superioris cladis mentione. Tum vero *interim* quidam Codices, alii *interim tamen* habent; vtrumque sectatores nactum est. Posterius vtique molliorem transitum ad subiecta paret, nisi obsendat repetitum *tamen.* Lubentius igitur *interim* feram, in primis si *eodem* coniungas cum *gradu.* Nam recentiores etiam aliqui interpretes in *eodem* subplent Themistocle, etsi haec in vniuersum dicta esse et inpersonaliter docet subiectum Themistoclis nomen, in quo nititur explicatio. Sensus enim hic esse debet: Interim et hac obportunitate priuatus est; omnino nihil effecit.

reficit: Per quatuor in Hellespontum lacum, ex Asia in Europam.

2. *triginta:* Herodotus 4, 87. numerat 42.

primum: Primus fere hominum. initium Themistocliis. Quum praeceptat *praecepit*, ut quam vocem impiissimo adcommodare possimus *Maximum*, aliquot variandi lusimus.

3. *memoriam* Sic pulsum ut miranda res inquirere et imitarere. *Classis* init mille navium.

Cap. VI. 1. *Phaleream:* Al. *Phaleron.* Illam firmam, quam ex recentioribus editionibus tantum non omnes probarunt, scribet noster Hemingerus. in primis quum eam praeferant duo Codices et in quinque aliis ex *Phaleream* eadem vestigia. Adiunxit Diodorus 11, 42. Strabo lib. 9. c. 1. 22. et Stephanus h. v.

eripiet: Quod testimonio Thucydidis 1, 93. et Pausaniae 1, 1, 2. tres portus a natura facti nunc Themistoclis opera vno muro cinctui sunt. Hinc Piraeeus, Cantharus dictus, lb. *portu Lemne* 5. *draco.*

dignitate: Excellentia, splendore, vnde admiratio, reverentia etiam, inficitur.

2. *Idemque:* Ita *que* adpositum in initio nouae periodi insolenter transitionis ad nouum exemplum, qua firma de lenitate in principe Suetonius. Tum vero eft praeterea, porro. *Mavors* a Veiis dictus.

habere: Ita legi sensus nexusque postulant: de *marte*, de quibus agitur, non de vrbe, quod inane fit. *Martis* alter explicationis causa addit codex Leidensis. Alii etiam ex recentioribus *haberi.*

3. *atque:* Hoc sensu, vbi consona sequitur, vsitatius eft *ac.*

principatu: Quem adhuc Lacedaemonii obtinuerant.

4. *instrui:* Adparari, vnde ipsa exstructio consequitur. Ad *discendam* in eadem re exponenda variationem utiliter consulit potest Iustinus 2, 12.

5. *altitudo:* Simplicius: quum satis alte murus exstructus videretur. Eadem forma Phaedrus 1, 8, 5. de grue: *gulae* (lupi) *credens colli longitudinem.*

serui: Quippe tumultuarium opus erat. Thucyd. 1, 93. ἔτι ἡ σικάδωσις κατὰ σπουδὴν ἐγένετο.

siue profanus: Minus bene hae voces vel omittuntur in libris quibusdam, vel vncis includuntur in hac obpositionis elegantia; nec desunt alibi exempla similia. Tum

ipso sensu et usu discrepat *profanus* a *publicus*. Nempe profana possunt esse publica, sed non contra.

6. *sacellis:* Sacra solum ex superioribus reddit, quia hoc maxime feriebat mentes.

CAP. VII. 1. *ad:* Quod poterat abesse et abest in 2 Codd. passim etiam alibi et hic paullo inferius additur.

magistratus: Graeci vocant ἄρχοντας, ἐφόρους. Vti hic, sic in Agesil. c. 4, 21. redeunt. Post dixit *ephoros*, qui quinque erant numero.

duceret: Alii, olim maxime, *duceretur*. Illud Codices praeferunt commodo sensu. Est *proferret*.

interponens: Supra in Milt. c. 4, 1. *interserens*.

2. *in ea:* Τὸ *in* seruant Codices. Quidam minus bene omittunt, quia facit ad distinctionem, declarationem ipsius rei, de qua disceptabatur.

supersesse: Praetulerim, quod libri quidam exhibent, *superare*, tamquam rarius, eodem tamen sensu vsurpatum. — *munitionis:* supra *muri opus* variationis causa per genus et formas actae.

contendit: Acriter adfirmat; apte quidem, vt confelleret Lacedaemoniorum dicta.

haberetur: Plerique libri olim etiam editi *adhiberetur*, quod sit fide vti, agere, quum sensus postulet *crederetur*. Atque hoc est fidem alicui habere. Diodorus Sic. 11, 40. dicit ἀξιοπίστους.

3. *est*: Possit cum libris quibusdam, quos et probat Heusingerus, abesse; sed et sic deinceps *sunt*. At haec saepe arbitraria censentur.

praedixit: Praecepit, quare etiam *vt ne* subiicitur. Sic supra cap. 2, 6. *vt* post *respondit*.

4. *magistratum*: Vt supra, plurali tamen numero, quem etiam hic malit Heusingerus, sunt ephori; *senatus*, οἱ γέροντες, quorum honos perpetuus, illorum annuus.

publicos: Qui ad omnes Graecos pertinent; obponit enim *suos*, quorum *patrii* sunt πατρῷοι, a patribus adcepti omninoque hic Attici; *penates* vrbis tutores, et hi Athenienſium. Ceterum argumento a religione ducto causae suae pondus addit.

eo: Quidam Codd. et Edd. praemittunt *in*, quod a Nepotis ratione non alienum censet Heusingerus.

5. *obpositam*: Quaedam Edd. nuperque Wetzelius *obpositum*. Codices inter vtrumque fluctuantur, quos nec

certus vſus inhibet. Praetuli tamen cum aliis *obpoſitam*, vt ad primarium verbum referretur.

apud quam: Latius de vicinia, vt ſuperiora docent. Argumentum ab communi Graeciae ſalute ductum.

feciſſe: Quidam praeferunt *feciſſet*, tamquam vſitatius. Hactenus vere, etſi tunc malim *fecerit*. At nec altera ſtructura praeter vſum aliorum, Livii in primis, adhibetur, Graecorum more reddito. *Naufragium* de clade maritimi proelii, vti apud Melam 2, 2, 7. Particula autem *bis* indicat cladem Marathoniam et Salaminiam, illam per connexum, et quod Perſae nauibus aduecti veniſſent victique naues repetiiſſent.

6. *Graeciae*: Concinnitas orationis in obpoſitione deſiderat aliud ſubſtantiuum, quod priori reſpondeat; veluti *ſaluti*. Ita fere ſolet Iuſtinus.

miſerant: In oratione obliqua, quaſi ex ſuo haec interpoſuerit auctor.

recepturi: Libri quidam et ſcripti et editi, nuper etiam, praeponunt *eſſent*, quod liberalis manus donum videtur, ne quis haereret in nominatiuo. Refer ad *remitterent*, qualia paſſim obcurrunt. Vid. ad Liv. 34, 29, 9. Alias praeſtet *eſſe recepturos* ſc. dixit.

Cap. VIII. 1. *Tamen*: In initio, quia reſpicit praecedentia. Sic Cicero ad Diuerſ. 9, 19. epiſtolam adeo exorditur: *Tamen a malitia non discedis*, quod locum habet in reſponſione.

namque: Ita fere ſolet pro *nam* ſequente vocali. *Invidiam* Germ. Eiferſucht; ſenſu, vt ſaepe, ciuili.

teſtarum: Codd. multi et edd. *teſtularum*, quo diminutiuo vtitur in Ariſt. c. 1, 3. Eſt *oſtracismus*, quem ſic reddit, vt ipſe declarat, in Cim. c. 3, 1. Solet autem Graecas adpellationes Latinis verbis referre, velut in Ageſil. c. 4, 2. *comitium* de ephoris. Inferebat oſtracismus ille decem annorum exſilium, de quo in Ariſt. c. 1, 5.

Argos: Fuit vrbs Argolidis in Peloponneſo. Graeci τὸ Ἄργος efferre ſolent.

2. *eius*: Gloſſam redolet Heuſingero, et verba *propter — virtutes* tamquam ſpuria notauit Rickeſſius. Proprie debebat dicere *ſuas*. Forte ſuam quaſi ſententiam interpoſuit. At nec deſunt ſimilia; nempe vbi nulla inde exſiſtit ambiguitas.

societatem: Conspirationis suspicio cum Pausania ex literis inuentis orta erat, a qua tamen *eum* auctores immunem censent. Thucyd. 1, 135. Μηδισμόν vocat.

3. *proditionis*: Explicat vero et proprio nomine adposito crimen. Quod si cum *crimine* coniungas, turbat interpositum *absens*. Neque mollitur, si per *criminationem* explices, quae iam subiecta latet in verbo *adcusarent*. Hoc tamen sensu per vlteriorem explicationem vel inuersionis formam cepisse videtur, et tum in voce *proditionis* commode subplere possis *causa*.

Corcyram: H. *Corfu*. Praepositio *in* omittitur fere in nominibus insularum. Sic infra *Naxum*. — *his* pro ipsis. Sed praecedens *propter se* ad ipsum Themistoclem oratio inuertitur. *Ciuitatis* qua sensum ad *Corcyram* refertur. Quidam omittunt, et potest omitti.

Molossorum: Populus Epiri. At alii omnes auctores inimicum Themistoclis Admetum fuisse adfirmant. Alii igitur, vt Nepotem cum iis concilient, inserunt *non*; satis quidem languide; quasi cum aliis ei hospitium fuisse antea dixisset. Tum ex vno codice quidam, nuper etiam Heinrichius, excipiunt *erat* pro *fuerat*, quia ius hospitii per totam vitam seruaretur et ad liberos etiam transiret. Attamen renuntiari poterat, vti docet Cicero in Verrin. 2, 36. Cuius causa hic repeti potest ex contumelia regi olim inlata, auctore Plutarcho in vita cap. 24. Memor igitur illius hospitii, quum nusquam tutum se videret, maluit tamen ad illum confugere. Quod si subplicandi modum regina subgessit, vti tradit Plutarchus c. 1. emicat hinc veteris hospitii quaesita repetitio et cum regina intercedens familiaritas.

4. *filiam*: Si alios audias, et in his quem sequi hic solet, Thucydidem 1, 136. rescribendum sit *filium*.

sacrarium: Vbi erat ἑστία, quam memorat Plutarchus c. 1. Notanda religiosa saeculi pietas, quo pertinet *cerimonia*, et datae dextrae vis ad faciendam fidem.

egressus: Alio ordine eoque satis probabili, quem praeeunt 3. Codd. Wetzelius dedit: *Inde prius egressus non est*.

5. *publice*: Missis legatis. Diodor. 11, 56.

prodidit: Aptius quam *tradidit*, propter fidem datam.

Pydnam: Vrbs fuit Macedoniae maritima.

deduci: Notionem comitum armatorum, quales hic auctores non tenere memorant, *praesidium* pecuniae includit. Diodor. c. l. ἐφόδιον τῆς φυγῆς.

6. *Hic*: Praemittunt libri et olim Edd. *Hac re audita*, quod repetiit cum Manhemiensibus Heinrichius. Quidam vncis inclusa exhibent. Equidem etiam nunc spuria censeo. Nempe quum adiunxisset comites et praesidium subministrasset, non tunc demum, quum nauim adscendisset, audiit. Porro *Hac — hic* molestum adcidit auribus.

adscendit: Etiam hodie aliqui cum MSS. *escendit*, quod verbum praeter rem multis locis ita obtruditur, vt *adscendo* fere expulsum erret. Equidem, nondum mihi satis liquere, ingenue fateor, qui *escendo* simpliciter pro *adscendo* dici possit, etsi viget illa opinio. Neque tamen illud omnino detrecto.

Naxum: In Cycladibus insula, h. *Nicosia*.

qui: Al. *quis*, de quo in connexu cum aliis difficilis est et ambigua quaestio, nimis.

conseruasset: Notanda huius temporis vis de actione plane praeterita, si alia subcedere debeat.

7. *Ephesum*: Ioniae vrbs celeberrima. In ipsa re dissentiunt auctores.

gratiam: Dedit amplam pecuniam. Hinc et solenni vsu *gratiam retulit*.

Cap. IX. 1. *plerosque*: Ephorum, Dinonem, Clitarchum, Heraclidem, — quos produxit Plutarchus cap. 27. in. Ipse Thucydidem probat, cum quo Charonem Lampsacenum etiam consensisse dicit, quod magis cum annalibus congruat. Narrat et de Xerxe Diodor. 11, 56.

proximus: Nempe quadriennio ante Themistoclis exsilium natus erat; alii fuerunt aetate posteriores. Ceterum verba adiuncta mire agitantur et a libris et ab interpretibus. Equidem sic capio: Omnium auctorum, qui illorum temporum historiam reliquerunt, Thucydides proximus erat; ita vt verba *de iis*, quae aliqui extrudunt, sequentia simul adficiant. *De* valet *ex*, vt cap. 4, 3. Tum multos obsendit temporum inconstantia, *erat* et *fuit*, quare et prius quidam omiserunt. Nisi variare voluit, ne *erat* moleste rediret, posteriorem partem narrationis mutata forma adpendit, et sic *et* valet *etiam*, et maiori distinctionis signo melius seiunguntur illa verba.

Artaxerxem: Longimanum, qui Xerxi, patri, subcesserat.

epistolam: Sequitur Thucydidem 1, 137. Alii enim coram et ore ea exposuisse narrant. *Themistocles* pro *ego*, quia veteres nomen in fronte epistolae ponebant, non, vt nos, ad finem reiiciebant. Reddit vero Thucydidem,

1. *veni:* Auctores Graeci ἥκω, quod Latinis est *veni.* Aderat enim, quod est *veni.* Sic mox *confugi.* Ceterum in prima persona, quod et fit alibi, loquitur, ex eo etiam, quod notaui.

Graiorum: Pro Graecorum etiam alii auctores prosaici dicunt.

aduersus: Pro *aduersum* cum Harlesio et Wetzelio gratioris soni causa ex Edd. priscis nunc reposui. Sic et alibi passim libri fluctuantur, etsi sine iis dubia videtur emendatio, quum ingrata non semper vitarint auctores. *Patrem* Xerxem.

3. *Idem:* elegantius pro *sed et,* nec commutari debet in *eidem. Coepit* per zeugma vtramque partem adficit, non tantum propiorem.

vellet: Nam ante nuntium a Themistocle missum de reditu cogitauerat, vti adparet ex serie narrationis apud Herodotum 8, 110. et antea. Non igitur auscultandum Schotto, qui ex vno Codice legit *nollet,* quod male, vt alia, repetierunt Manhemienses.

4. *exagitatus:* Venatorum verbum, apte hic positum. Ante *confugi* inserunt quidam, hodie etiam, *autem,* quod melius codices multi omittunt, in primis quum subsequatur.

de quibus: Multi Codices et Edd. veteres fere, ex recentioribus Bremi, *quas tecum conloqui.* Quae structura quum ferri nequeat, recepi lectionem a plerisque etiam hodie probatam.

annuum tempus: Ita nunc ex quibusdam MSStis reposui, vti voluerat Heusingerus. Vulgo *annum temporis,* quod, si vel *spatium* subpleas, vel ex adposita explicatione interpreteris, mirum videtur et languidum. Sic vero etiam Cicero ad Att. 15, 15. Sed et res ipsa suadere videtur sine libris.

me: Cum Heusingero, quem et alii secuti sunt, vncis inclusi, quia abest in MSStis et ex proximo *mihi* facile arcessitur.

Cap. X. 1. *animi:* Duo genitiui, quorum ab altero alter pendet.

veniam: Vbi quid factum est, significat condonationem culpae; aderat enim; concessionem in rebus suscipiendis.

literis: Thucyd. 1, 138. τῆς Περσίδος γλώσσης κατανόησε καὶ τῶν ἐπιτηδευμάτων τῆς χώρας. Singularem eius memoriam praedicat Cicero de Finib. 2, 32. in.

verba: Nam antea per literas aut interpretem. vt tradit Plutarchus cap. 29. egerat.

ne quis: Antaxerxen: ne quis pro *se* poſitum putet.

Myuntem: Vrbs Cariae ad Maeandrum.

quinquaginta: Circiter centum thaleri.

in Lampsacum: In Myſia ad Hellespontum. De vini dono et vite. Gergethium autem in victoria commemorat dicere Strabo lib. xiii. p. 589. ed. Paris. *Myus* in Ionia.

piscium: Anceps ſenſu de piſcibus, quibus ſuum a Maeandri aquis factum, exclusis limo alnecto marinis, abundaſſe etiam alii referunt. Commode tamen cibus et opſonium latius intelligitur de alimentis liquoribus et ad condiendum panem quaeſitis. De ipſo hoc donandi more cf. Cicero in Verrin. 3, 33.

oppidum: Vt ſupra, de Athenis. Vbi erat ſepulcrum Pauſaniae, vti adfirmat lib. 1. in. Erat iuxta Piraeeum. *In quo* referri debet ad ſepulcrum.

statuae: Athenis etiam poſitae. Pauſanias 1, 8. Magneſios adeo eius poſteris honorem habuiſſe narrat Plutarchus in fine vitae.

4. *multis modis*: Alii non ſine multorum librorum ſubſtragiis ſcribunt *multimodis*, quae tamen forma poetarum potius eſſe videtur. nec huius aeui ſcriptorum proſaicorum, quare etiam expoſita eſt in Livio 21, 8, 4.

ait: Lib. 1, 138. vbi Graeca verba, quae hic reddidit, ſic habent: *τοσήνδε τελευτὴ τοῦ βίου. Λέγουσι δέ τινες καὶ ἀκόντιον Ξέρξην ἀποδύσαι αὐτὸν, ἀδύνατον νομίσαντα εἶναι ἀντέλκειν βασιλεῖ, ἃ ὑπέσχετο.* — *Τὰ δὲ ἐντὰ φασὶ μιγῆναι αὐτοῦ οἱ τραγήσαντες ἔλαφοι, καλεόμενοι ἐκμόνες, καὶ τεθῆναι, παρὰ Ἀθηναίων, ἐν τῇ Ἀττικῇ. Οἱ γὰρ ἐκμὼν βάπτειν. ὡς ἐπὶ τροφοῖς Φαίνεται.*

sumsisse: De medicamentis, quae potantur, et ſic de veneno paſſim. Alii alia referunt, et taurinum ſanguinem pro veneno habent, quae vox vtique latius valet.

ARISTIDES.

Cap. I. 1. *aequalis*: Sc. aetate: Gr. *σύγχρονος, ἐκτῆλιξ*. Pro eo hodie minus Latine vulgo *coaeuus* vſurpant. Quum tutoribus iisdem non ſolum, ſed et magiſtris vſus ſit, vt narrat Aelianus V. H. 13, 44. proxime hic aequalem aetatem indicat. *Itaque* eſt *et ſic*. *Principatu* i. e. ſummo loco in ciuitate.

obtrectarunt: Refertur ad inuidiam mutuam, (cf. ad Hannib. c. 1, 2.) qua alter alterum deprimere nititur. *Einander entgegen arbeiten.* Graecis φιλονεικεῖν, quod et in hac narratione adhibent.

2. *anteſtaret*: Sic iterum retinui praeeuntibus codicibus. Alii, etiam hodie, *antiſtaret*. Nam etſi *antiſtes* legitimo et conſtante vſu effertur, nihil tamen id contra receptam poſtea ſcripturam ideo valere videtur, quod *antiſtes* in antiquioris aeui ſolennibus fuit vocibus, quae formam ſuam ſeruant, quum latioris vſus verba ad cultiorem et natiuam linguae rationem reuocentur. Nemo enim ſimile verbum exquirat.

abſtinentia: Ante *innocentia*. Arctiori ſenſu *Ehrlichkeit, Uneigennützigkeit* valet, quum ad iuſtitiam, cuius pars cenſetur, ſpectat. Ἐγκράτειαν etiam Plutarchus laudat.

Iuſtus: Ex numis adeo exemplum protulit Bergſtraeſſerus; ſed ſua fide nitatur.

conlabefactus: Elegantер, vt in Phocione cap. 2, 4. *concidere*, ad priorem conſtantis firmaeque exiſtimationis laudem. De *teſtula* vid. ad Themiſt. c. 8. in. Effecerat autem id Themiſtocles criminationibus. Plutarchus in Ariſt. c. 7.

3. *reprimi*: Notanda in his concinnitas.

4. *ignorare*: Igitur etiam ad homines refertur. At de Ariſtidis nomine, quod omnes tunc ciues noſſe debebant, minus bene, rectius de vultu, facie intelligitur. *Er kannte ihn nicht von Perſon.*

5. *legitimam*: Legibus conſtitutam. Vid. ad Themiſt. c. 8. in.

deſcendit: Vſu etiam Graeco de expeditione ex Aſia, Oriente, in Europam, Occidentem facta. Hinc intelligitur ὁ ἄνω βασιλεύς et Xenophontis ἀνάβασις Κύρου.

ſexto: Forte *quarto*, ſic vt, notante etiam Boſio, traiecta virgula IV. in VI. fuerit mutatum. Plutarchus enim in vita cap. 8. tertium memorat, quod et ex chronologia adſtruitur.

quam: In hoc nexu omiſſa particula *poſt*, quae alias praecedit et hic a quibusdam additur.

populi ſcito: Multi Codices et poſt Editiones etiam *plebiſcito*. Sed illud rectius, quia ad totum populum pertinebat. Cf. in Alcib. c. 5, 4. Phoc. c. 2, 2. Graecis ψηφισμα, quod ex Polybio 30, 5, 5. ita interpretatus eſt Livius 45, 15, 7.

ductu: Latino vſu, quo obponitur *ſuis auſpiciis*, veluti apud Suetonium in Aug. c. 21. in. quum alii imperator ſuas vices obeundas tradit. Ceterum ipſum epigramma, quod proprie hic ponitur, in Graecis, Thucydide teſte 1, 132. ita habet: Ἑλλήνων ἀρχηγὸς, ἐπεὶ στρατὸν ὤλεσε Μήδων, Παυσανίας, Φοίβῳ μνῆμ' ἀνέθηκε τόδε. Auctorem eius Simonidem facit Pauſan. 3, 8, 1.

4. *exſculpſerunt*: Thucyd. c. l. ἐξεκόλαψαν, i. e. ἐξορύξαντες ἀπήλειψαν, vt interpretatur Scholiaſtes.

CAP. II. 1. *Poſt*: Non ſtatim, ſed paullo poſt, vt ex auctorum narrationibus conficitur, nempe interiectis 2 vel 3 annis.

claſſe: 80 nauium, quarum 30 Athenienſes, reliquas Peloponneſii adparauerant. Cf. in primis Thucyd. 1, 94. quem hic potiſſimum ducem ſequitur.

barbarorum: Perſarum, vt in Milt. c. 7, 1. Themiſt. c. 4, 5.

4. *ſe*: Omittunt quidam vel *ſe*, vel *te*, quod obfendiſſent; obfendat etiam idem ſonus toties repetitus. Qui ponunt, vocabulo *poteſtatem*, vt antea in ipſo contextu expreſſum erat, adpendunt. Nunc mutata diſtinctione retuli ad *adiuuante*. Alias enim in fine languet. Tum non Pauſanias Xerxis auxilio in ipſius poteſtatem redacturus erat Graeciam, ſed contra. In reddendo Thucydide 1, 194. non verba preſſius, ſed ſenſum ſequitur.

certum: Thucyd. c. l. πιστὸν, cui fides haberi poteſt.

face: Archaismo comicis frequentato, quem hic libri tuentur. Ceterum acrius haec forma inpellit, quam ſimplex *mitte*.

5. *Artabazum*: Graeci στρατηγὸν faciunt.

conlaudat: De vno auget haec compoſitio, et quaſi plurium coniunctas vires, ſtudium — indicat.

polliceatur: Ita, quod olim in nota monueram, auſus nunc ſum, praeeuntibus Schmiedero et Ricleffio, etſi libris refragantibus, in textum recipere pro *pollicetur*, quod in oratione hac obliqua nullo modo probari, nec ex mente auctoris dictum intelligi poteſt. Tum enim *pollicitus erat*, vel *pollicebatur* debebat poni.

fecerit: Sat multi codices *perfecerit*. Sed complectitur rei praecedentia, in primis *ne cui rei parcat*, reique aditum. Et hinc deinceps *in quo facto*, i. e. quae quum moliretur.

publicis ſumtibus, ſc. ex prytaneo. Plutarch. in vita cap. 27. *Conlocarentur* nuptum darentur, vti legitur in Pauſan. c. 2, 3. et in Dione c. 1, 1.

PAVSANIAS.

CAP. I. 1. *varius:* Qui ſibi non conſtat, multiplex.

eluxit: De magnis et conſpicuis virtutibus. Vtrumque, hoc et *obrutus*, grauiter et apte. Nempe obſcurantur obruta. Deinde in *vt* notanda eſt elegans orationis conuerſio.

2. *duce:* Cf. in Ariſtid. c. 2.

Satrapes: Sic prouinciarum praeſides dicebantur, quia in ſatrapias deſcripta erat Perſia.

gener: Artazoſtram, Darii filiam, Xerxis ſororem, duxerat. Herodot. 6, 43. Si igitur *regis* ad Darium referas, *generum* proprie et vere dixit; ſin ad Xerxem, quod vero videtur eſſe ſimile, latius intellexit, vti in Graecis γαμβρὸς, κηδεστὴς, quo nomine et ἀνεψιὸς Xerxis vocatur a Diodoro 11, 1. Nempe *gener* in Latinis paſſim etiam is dicitur, qui ſororis eſt maritus.

manu: Poterat omitti; ſed in hac obpoſitione, vti in Epaminonda c. 3, 1. *animus*, bene additur, vt ad ipſum exemplum rebus praeſtitum et factis referatur. Sic nos *perſönliche Tapferkeit.*

milibus: Numero, vt fit, variant auctores; et ſic poſtea. Sequens *milibus*, quod a plerisque Codicibus abeſt et hic facile ſubpletur, cum Heuſingero vncis incluſi. Conſtantiori tamen librorum conſenſu geminatur in Themiſt. cap. 2, 5.

viritim: De curioſo et diligentiori delectu explico.

magna: Attamen centum milia fere habent auctores. Scilicet ex comparatione cum Perſico exercitu iudicari debet.

Graeciae: Alii, etiam hodie, *Graecia* ſic, vt diſtinctionis ſignum praeponatur, et hinc cum *fugatus eſt* proxime coniungatur. Inter vtrumque pendent libri. Equidem illud ob faciliorem nexum praetuli. Ceterum *fugatus eſt* propter ſequentia de Mardonii exercitu intelligi debent: oſtendit connexus.

3. *miſcere:* Verbum de ſeditioſis, factioſis apte frequentatum.

poſuiſſet: vſitate. Gr. ἀνατίθημι et hinc ἀναθήματα.

ſcytala poſuerit, an forte *lancea*, quod et Editiones duae probarunt, nec reiiciendum putat Wetzelius, an *clauia*. In qua fluctuatione tutiſſimum fuerit, praeferre *ſcytala*, quod certe ſenſui eſt adcommodatum et rei. Erat autem lignum teres, quod loro literis inſcripto circumligabant magiſtratus et imperatores, quo adminiculo in clandeſtinis literis vterentur. Luculentam eius deſcriptionem ſubminiſtrabit Gellius 17, 9. Dubitatio mouetur, vnde illam habuerit, quum clam et ſua ſponte ad exercitum redierit; cui ſic reſpondet Scholiaſtes Thucydidis ad c. l. vt primo illo imperii tempore illam retinuiſſe dicat.

5. *etiam*: Quidam addunt *tum*, et illud, alias nude poſitum, inepto loco ſtare exiſtimant. Explico iterum, rurſus, et cum *pecunia* necto. Codd. quidam habent *etiam cum* vel pro *etiam tum* vel pro *cum pecunia tum potentia*.

ephoro: Immo coniunctis tantum, toti conlegio. Videtur igitur *ephoro* ex ſuperioribus male huc arceſſitum eſſe, vt *cuiuis* haberet, ad quod proxime referretur, quum tamen melius adiungatur *regi*. Alii ipſa verba *licet — regi* ſpuria cenſent, aut ab Aemilio Probo adſuta. Alii ipſum Cornelium erroris redarguunt. Qui hoc nolunt, *ephoris* emendant.

regi: Non erat vere rex, ſed tutor Pliſtarchi Leonidae, qui ad Thermopylas perierat. Herodot. 9, 10. Thucyd. 1, 132.

expediuit: Apte ſimul ad vincula. *Rege* ſc. Perſarum.

6. *Helotae*: Etſi mire, quod ſolent in nominibus propriis, codices hanc vocem distorquent, omnes tamen in terminatione *ae* et *e*, quae perinde iis valet, perſtant, quum Graeci εἵλωϛ certo vſu praeferant eosque imitatae ſint editiones pleraeque. Equidem nunc codices reddere malui, quum non ſolum duplici forma Latini multa efferant, vt Druidae, Druides et ſimilia, ſed et Livius 34, 27, 9. eamdem omnino librorum fide ediderit. Erant autem publici Lacedaemoniorum ſerui.

ſollicitare: Verbum in motibus, ſeditionibus, conruptionibus vſitatum.

ſed: Quaedam Edd. cum MSStis multis praeferunt *et*, quod vtique poſt negationem pro *ſed* ponitur. Sic in Eumene cap. 4, 3.

CAP. IV. 1. *Argilius*: Thucyd. 1, 132. ἀνὴρ Ἀργίλιος, vbi notante Scholiaſte alii nomen proprium, alii, quibus

ipſe adcedit, gentile ab vrbe Thraciae ſ. Macedoniae, *Argilus*, cenſuerunt. Eadem hic inter doctos interpretes feruet diſceptatio. Neutra opinio linguae vſu deſtituitur, quum et ἀνὴρ Graeci nominibus propriis paſſim praeponant. Quidquid eſt, equidem puto, Nepotem de proprio hominis nomine intellexiſſe.

Venereo: Thucydides c. l. παιδικὰ πρὸς ὧν αὐτοῦ, qui ingenuorum puerorum amor Laconum legibus erat licitus, dum animo contineretur, contra turpis, ſi ad corpus transiret, quod de Pauſania innuit Nepos.

laceranit: Ambigunt codices inter hoc et *laxauit*; nec minus interpretes. Neſcio an *laxauit* propter ſequentia ſit aptius et preſſius reddat Thucydidis λύει. pro quo Diodorus 11, 45. ἀνέωξε. Idem viſum etiam eſt Harleſio et Wetzelio. Vinculis autem etiam, qualia par eſt intelligi, conligare epiſtolas ſolebant.

pertuliſſet: Vti *reddidiſſet*; verba in hac re ſunt vſitata. Tum plusquamperfecti vſus notandus, vbi nos inperfecto vti ſolemus, minus ſic quidem adcurate.

3. *grauitas*: *Bedachtſamkeit*, quae omnia ſeuere et diligenter explorat, exploratque conſtanter perficit.

ſe ipſe: Ita vere et proprie, remoto elegantiae colore, quem huic formae adfundunt. Nempe ex obpoſito iudicatur et regitur. *Ipſe ſe*, non alii eum, et *ſe ipſum*, non alium indicauit. Adparet id maxime, ſi quis conſpecto homine obciſo quaerat, quis eum obciderit, vtrum *ipſe ſe*, an *ipſum alius*; cuius veram rationem conſtituit reſponſio.

praeceperunt: Plus continet, quam iuſſerunt; ſcilicet monita etiam et cautiones.

4. *Taenari*: Quod fuit Laconiae promontorium, vbi templum erat Neptuni et ſpelunca ad tartarum depreſſa.

conſedit: In templis aſyla ſubplicantium et reorum.

5. *conſilio*: Praeferunt hoc codices. Alii genitiuum vsque ad Boſium fere praetulerunt. Non male quidem omnino, quia ſic a ſubſtantiuo pendet, alias a verbo.

6. *multo*: Codices omnes cum priſcis edd. *modo*, ex prioribus aliqui etiam *mō*, quod quum valere poſſit *multo*, noluit Cornelio cum recentioribus ſubtrahere. quibus placuit *tanto*.

enuntiaret: Apte de rebus arcanis, et hinc alii *nuntiaret* minus apte.

veniam: Si quid faciendum eſt concedere, ſi quid perperam factum eſt, condonare. Cf. in Themiſt. c. 10, 1. Tum tene et hic vim plusquamperfecti.

CAP. V. 1. *comprehendi*: Non ipſi, ſed per alios; hinc paſſiuum. Contra mox *monere* melius, quam aliorum *admoneri*, quia ad ipſum, qui cupiebat, pertinet.

ephori: Thucydides 1, 134. duos hic ephoros commemorat, vnius πρόσωπον, alterius νεῦμα ἀφανές.

2. *ante*: Notandum hic de motu in ſpatio, vti paſſim obcurrit. *Um einige Stufen voraus*. Thucyd. c. l. προαναφυγεῖν, Diodor. 11, 45. ἔφθασε.

Chalcioecos: Graecam terminationem cum recentioribus multis editoribus praetuli; poſſis etiam, vt quidam maluerunt, Graecis literis exprimere. Alii *Chalcioecus*. Vtrumque, quod poteſt, probauerat Heuſingerus. Tum alii ad aedem, alii ad Minervam addicente quidem vſu referunt. Thucydides, quem ſequitur, poſterius ſuadet; dicit enim τὸ ἱερὸν τῆς Χαλκιοίκου. Sic et Diodor. c. l.

ephori: Thucydides ab iis factum ſcribit, qui ſequebantur, quod de ephorum iuſſu intelligi poteſt et intellexit noſter. Alii patrem hic memorant.

facilius: Quidam libri *celerius*, quod a Boſio gloſſema cenſetur. *Diuo* pro *dio* exhibent libri optimi. De vtraque ſcriptura disputatur.

3. *Dicitur*: Structura ex Graecis ducta, nec plane inſolens. Ita vero inciſum minus ſubiiciendum putaui ſuadente Kappio, qui et non male *vixiſſe* melius abeſſe poſſe iudicat. Sic *creditur* ſtructum obcurrit in Livio 40, 29, 8. et Tacito hiſtor. 1, 90. m. De re ipſa Thucydides nihil adfert; at conſtat ex aliis etiam.

matrem: Theano nominant alii, alii Alcatheam.

in primis: Hic proprie. Nam exemplo illa praeiuit. Diodor. 1, 45.

4. *de templo*: Significantius, quam *ex* ſ. *e templo*. Fuit enim in loco edito.

eodem: Locus dictus καιάδας ſ. κεάδας. Straboni lib. 8. c. 5, 7. καιέτας. Maleficis deſtinatus.

5. *inferri*: De ſepultura mortuorum et alibi paſſim.

procul: Thucyd. c. l. πλησίον που, vnde Boſius hic maluit *haud procul*. Sed *haud procul* omnino ſeparationem et remotionem a loco indicat, ſiue breuior illa ſit, ſiue longior. Aliud *longe*.

posuerat: Vulgo ante Bosium: *finierat*. Illud tuentur codices et vsus, hoc glossae debetur. Sic in Hannib. c. 1, 3. *animam deposuerat*. Nempe *ponere* pro deponere saepe dicitur.

CIMON.

Cap. I. 1. *vsus*: Deteriori sensu, vti χρῆσθαι Graecis sic passim dicitur pro πάσχειν.

litem: Vid. in Milt. cap. 7.

eadem: Nempe filius ignominiae paternae heres erat ex lege. Ceterum nihil eiusmodi legitur in Herodoto et Plutarcho. Sed adtingunt alii.

soluisset: Nota huius temporis vsum in hoc connexu et consecutione. Sic post *impetrasset* et alia. Paullo ante *Athenienssium* dat codex, non male, quod et probat Heusingerus.

2. *germanam*: Nempe ὁμοπάτριον, de quo cf. ad praefat. §. 4.

more: Quippe licitum erat. Inpudicam autem eam fuisse monent Auctores. In verborum *amore* et *more* sono paene ludere videtur.

natas: Nempe sorores.

3. *Huius*: Subple Elpinices, ne cum *coniugii*, a quo pendet, coniungas.

generosus: Cf. ad Themist. c. 1, 2. et de *metallis* ib. ad c. 2, 2. *Fecerat*, vt Graeci ποιεῖν s. ἐργάζεσθαι.

4. *conditionem*: Latiori sensu intelligo, et ex nexu ad ea refero, quae Callias Cimoni proposuerat, quum ipsam puellam proxime non spectent. Nempe pecunia pacta erat et soluenda Cimoni, non puellae. *Vorschlag*.

progeniem: De vno filio.

Cap. II. 1. *celeriter*: Poterat tempus definite notare, quod negligenter omissum esse monet Schlegelius.

satis: Mediocrem ex linguae vsu innuit, quod et Plutarchi testimonium in vita cap. 4. comprobat.

exercitibus: Libri etiam *exercitu*. Illud iudice Bosio melius.

2. *Strymona*: Fuit fluuius Thraciae, eiusdem regionis vrbs *Amphipolis*, quam scripsi nunc Graeca terminatione *Amphipolin* pro *Amphipolim*. quum eam et in aliis reddat Nepos. Heusingerum in hoc secuti iam sunt alii. Causa expeditionis, quod Persarum rebus studerent.

in coloniam: Poterat in hoc nexu melius forsitan dicere *colonos*. Vti nunc fertur, est veluti coloniam.

iterum: i. e. secundum, vt iterum consul saepe apud Livium.

Mycalen: Ioniae vrbem s. promontorium. At ibi Persae eodem die, quo ad Plataeas, ab aliis ducibus victi sunt. Quare Nepoti simpliciter grauissimum errorem obtrudunt, aut, vt illum ab eo liberent, spuria haec et vitiata censent. Forte tamen obscurus fuit locus ad Cyprum, quod etiam adrisit Harlesio et Ricklesio. Nempe maritimum proelium commissum est ad Cyprum, terrestre ad Eurymedonta vicinae Pamphyliae. Diodor. 11, 60.

cepit: An totam, an partem maximam, dubium faciunt auctorum narrationes.

3. *eduxit*: Stratagemate vsus, dum milites suos Persico habitu nauibus captis inposuit, et sic inopinos securosque obpressit. Diodor. 11, 61. Polyaenus 1, 34, 1.

barbarorumque: Tò *que* aliqui omittunt; plerique addunt, quos secutus sum. Non enim video, quid hic valeat κοινότερον.

4. *acerbitatem*: Inuoluit duritiem, vexationem, crudelitatem. Cf. Eutrop. 4, 17. Noster in Eumene c. 6, 1. et 3. explicat *crudelissime se gerere*.

5. *Scyrum*: In mari Aegaeo; h. *Sciro*.

Dolopes: Thessaliae populus. Pelasgos addit Diodorus 11, 60. Ceterum praeposteró ordine haec narrasse videtur, si cum aliis conferas.

contumaciae: Repugnantiam et imperii detrectationem innuit. Obponitur *obsequium*. *Gesserant*, quod habent plerique codices et veteres edd., per synesin refertur ad *Scyrum* pro *Scyrii*, etsi mollitur hic etiam proxima voce Dolopes. Recepit recte, quod a trita forma paullum recedit, Heusingerus eumque secuti plerique recentiorum. Alii maluerunt dare *gesserat*.

vacuefecit: Verbum minus obuium, a Cicerone tamen etiam in Catilin. 1, -. vsurpatum, vnde recepisse nostrum putat Staveremus. Forsitan. Cf. in Timol. c. 3, 2. In Graecis hic ponitur ἀνδραποδίζειν, ἐξελαύνειν, ἐξοικίζειν.

sessores: Habitatores, possessores, quod inuitis libris obtrusit Gebhardus. Vox memorabilis, sed tamen ex cognationis similitudine dicta, qua *sedere*, *sedes* de domiciliis s. habitationibus vsurpatur. *Ciuibus* i. e. Atheniensibus.

Taſios: *Thaſos* inſula maris Aegaei prope Thraciam, cuius incolae ab Athenienſibus defecerant. Diuites autem erant marmore et auri fodinis in continente.

fregit: Verbum in notanda clade virtumque debilitatione eleganti metaphora frequentatum. Coniuncta enim et ſolida efficacius valent.

ornata: De amplo copioſoque rerum vtilium adparatu. Diodor. 11, 62. δεκάτην ἐξελόμενος ἐκτῶν λαφύρων ἀνέθηκε τῷ θεῷ

Cap. III. 1. *quam*: Commode ex edd. quibusdam repeti poſſit *in*. Nec tamen deſunt exempla ſimilia, et ſic in eodem nexu apud Vellei. 1, 7. in. De vſu verbi *florere* vid. ad Miltiad. c. 1. in. vbi eadem legitur formula.

ſuus: Poterat, forte magis proprie debebat *eius*. At ita propius ad ſubſtantiuum praecedens paſſim adcommodatur, vbi nulla inde exſiſtit ambiguitas. Sic in Miltiad. c. 1, 1. *ciues ſui*. De ipſa re ſupra in Miltiad. c. 8, et in Themiſt. c. 8, 1. In principibus fuit Ariſtides, de quo in vita c. 1, 2.

quod: Paullo duriore ſyneſi ad praecedens refertur, quum ad ſequens maſculinum non poſſit. Repete vel *iudicium*, vel latius intellige *quam rem*. Si codices addicerent, elegantiori brevitate omitti poſſent voces *quod illi*. Exſilii autem praecipuus auctor fuit Pericles. *Oſtracismum* autem ſupra in Themiſt. c. 8. 1. interpretatus erat *teſtarum ſuffragia*, et in Ariſt. c. 1, 2. *teſtulam*.

2. *ipſum*: Quomodo ipſum? Nempe duplici verbi ratione et vſu. Poenitet eius, quod nos fecimus, et eius, quod alii fecerunt. Forte *bedauern*.

indixiſſent: Adde ex aliis: eosque ad Tanagram, Boeotiae vrbem, viciſſent.

3. *hoſpitio*: Hinc exſilii cauſa quaeſita, quod Lacedaemoniis fauere putabatur.

exiſtimans: Lambinus ex ingenio ſuo haec inferſit: *exiſtimans, eos et ciues ſuos inter ſe vna voluntate conſentire, quam armis contendere, Lacedaemonem* — ſed paucos nactus eſt ſectatores. Tò *fatius* eiusmodi aliquid deſiderare videtur. Tum *Lacedaemonem* melius cohaereat cum *profectus*, etſi in vulgata lectione aliter diſtingui nequit. Duo codices: *fatis exiſtimans, verbis contendere, Lacedaemonem*. — Ex quo adparet, haeſiſſe et hic olim librarios.

2, *deuertiſſet*: Melior haec ſcriptura, quam pro *diuertiſſet* hodie exceperunt tantum non omnes.

inimici: Quum antea fuiſſent Athenienſium. Inde lux huic ſententiae adfunditur. *Peruertere* h. l. euertere.

3, *diſlaberentur*: Diſceſſione facta, quum alius alio ſe reciperet ſalutemque quaereret. Ita maxime Tacitus hoc verbum de coetus quacumque de cauſa aut conſilio diſſolutione vſurpat.

Itaque: Deſideratur in omnibus libris crudelitatis exemplum, quod ex Polyaeno 1, 45, 4. poteſt ſubpleri. Nempe quum benenola oratione ſecuros feciſſet, interfici iuſſit. Quia Nepos periodos ſubſequentes eadem ſaepe particula vſus exorditur, aberrauit in *ita* librarius his praeteritis ad ſequentia. Ita Kappius. Aliqui ad capitis proximi initium τὸ *itaque* proiiciunt.

Cap. III. 1, *ſui*: Obſendit in hac ſerie et a libris multis exſulat. Schmiederus etiam verba *ab illo conſtitutam* redundare et ex gloſſa ad explicandum τὸ *ſuam* adſcripta male inrepſiſſe putat. Idem *ſui* de Lacedaemoniorum regibus intelligit, quod in illos primum vltionem effuderit. Tum vero debebant diſerte nominari, ne vagaretur inconſtans ratio. Nec erat regum vel a regibus conſtituta poteſtas, ad quas referri debeat ſuam. Tum ſi *ſui* ad ipſius adſeclas et amicos referas, minus apte verbum *ſuſtulerunt* ſubiicitur; nec denique, cur ipſe idem in regibus tentauerit, adparet. Locus ideo obſcurus, quia excidit et hic narratio de cauſa ſublatae poteſtatis eiusque auctoribus. Cauſam quidem alii ponunt in adrogantia animique ferocia.

incenſus: anget. Refert tamen Plutarchus in vita cap. 23, quia ſe ab Ageſilao deſpici et deprimi vidiſſet.

tollere: pro *tollendi*, qualia paſſim obiiciuntur. Ceterum id eo redigunt Diodorus 13, 14. et Plutarchus cap. 24. vt vel Spartanis omnibus, vel Heraclidis tantum, ex quibus ipſe ortus erat, regiae dignitatis ius, neglecta Proclis et Eurysthenis poſteritate, concederetur.

2, *Delphos*; oraculum ſpectat, vt *Dodonam*. Illa vrbs Phocidis, haec Epiri. Conrumpuntur autem (ſc. pecunia, ὑπὸ διαφθείρειν) oracula in antiſtitibus.

Hammoni: pro *Ammoni* nunc praetuli ex ſententia doctorum virorum, nec ſine libris.

4. *Orchomeniis*: Orchomenos, vti mox Haliartus, vrbes Boeotiae.

5. *Quam vere*: Ironice dictum quidam volunt. Malim tamen referre ad ſuſpicionem Lacedaemoniorum animis inhaerentem. Alias, ni fallor, dixiſſet, quam vere vel recte id factum; vel, fuerit abſolutus. Si tamen cum Heinrichio ad iudices referas, ſenſus hic ſuberit: quam iuſte condemnatus foret.

ſcripſiſſe: Ita nempe ſolebant ſophiſtae; alii diſcebant et recitabant.

Cap. IV. 1. *ſatrapis*: vt ſatrapae; vtraque forma vſum obtinet.

bello: de quo cap. 1.

auareque: attamen quidam continentiam eius laudant. Theopompus enim in Plutarcho cap. 31. pauperem eum mortuum eſſe ſcripſerat. Nempe haec ex rerum locorumque ratione iudicanda ſunt. Tum opes largitionibus facile exhauſit, maioris lucri ſpe deceptus.

teſtimonium: Quum iam ab eo adcuſatus et ſcytala domum reuocatus eſſet. Plutarchus cap. 19.

ſanctitate: integritate, continentia, ex nexu, vt *ſanctae manus*. obponiturque rapacitati et crudelitati, vt ſuperiora declarant. Exempla propoſuit Plutarchus.

1. *grauem*: Melius quam *grandem*, quod libri quidam habent et ſcripti et editi. Sequitur enim *multis verbis*. Refer ad argumentum, rerum expoſitionem, verborum pondera. Ceterum nos *Urias-Brief*, qualem vere pertulit. *Liber* de ſcriptione prolixiori. Graecis *βιβλίον, γράμματα* et *ἐπιστολή*, vt hic ex variatione Plutarchus.

3. *magiſtratum*: ephoros.

cognoſſent; legendo; igitur legiſſent, vt et alibi ex connexu.

ALCIBIADES.

Cap. I. 1. *poſſit*: In vniuerſum prolata ſententia de vi naturae, praeſens commode locum habet; alias deſideretur inperfectum.

vel in: In vtrisque; quare valet *et — et*. Ceterum notanda elegantia in hac Alcibiadis deſcriptione.

2. *Namque*: Laxius videtur adnectere prioribus, interpoſitis maxime verbis, *conſiliique plenus*, ſi vel praecedentia huc valeant, vel referri huc poſſint. Sed non tam eſt explicatio, quam continuatio deſcriptionis ſuis partibus expoſitae.

vt in primis: cum augmento et hinc efficaciter ſuper latinum reddit, pro ſimplici *diſertiſſimus*.

oris: De pronuntiatione, vt vocem *oratoris* de eloquio rerumque apta et ſuani declaratione intelligo. Vtrumque enim magnam habebat vim ad aures animasque Athenienſium. Sic Plutarchus in vita c. 1. balbutiem eius gratam decoramque viſam praedicat. At *dicendo — dicendo* cum adiunctis quis luben er hic ferat? Quare etiam aliqui verba *quod tanta — reſiſtere* ex margine intruſa putarunt.

3. *diues*: Quidam codices et editiones *deinde*, quod ex meo ſenſu hic languet, nec reliquae orationis formae conuenit. Alii vtrumque vitiatum eſſe volunt. Inepium vtique locum vox illa hic occupare videtur, vbi de dotibus et moribus Alcibiadis exponit. In ſequentibus tenenda ſingulorum verborum discrimina.

vita: latius patet, quam *victus*, vbi ſeparatim illa iuxta ponuntur. Illa morce vitaeque et publicae et priuatae (Cicero de Off. 1, 17.) inſtituta ſpectat; hoc vitae inſtrumenta, alimenta, cultum.

4. *remiſerat*: contra *intendere;* vtrumque ab arcu ductum. Noſtri hodie *abſpannen*.

reperiebatur: numeroſius, quam *erat*, quae quidem commutatio apte locum habet in re, cuius et alii teſtes ſunt conſcii.

CAP. II. 1. *Perielis*: qui eloquentia aliisque virtutibus inclaruit.

priuignus: aliis eſt ἀδελφιδοῦς, auunculus. Si priuignus vere fuit, Alcibiadis mater Dinomache tres viros habuit, Cliniam, Hipponicum et Periclem.

ditiſſimum: Locus varie in libris adfectus et hinc mire vexatus. Potiora ſunt haec: *Graecae linguae eloquentia ditiſſimum* vel *diſertiſſimum*. At quum nemo eius eloquentiam praedicarit, immo omnes contrarium adferant, recte a plerisque et hodie probatur Heuſingeri emendatio: *Graeca lingua loquentium* (cf. in Milt. c. 3. in. Dione c. 1.) *ditiſſimum*. Qui *diuitiſſimum* legunt, formam rariorem inuitis hic quidem libris adripuerunt. Reliqua, quae et huc valent, ſummae felicitatis adumbrationem exhibent.

reminiſci: Quod volebat Heuſingerus et probat Bremius *eminiſci*, nec a MSStis nec ab vſu adiuuatur, etſi ſenſu commodo propter *fingere* pro *excogitare*. Aut igitur poſitum eſt pro *comminiſci*, aut proprie valet, *ex*

omni memoria repetere, vnde liberior fingendi copia ſubminiſtratur. Quae *fortuna*, quae *natura* dederit, facile adtentus lector diiudicabit.

2. *more*: honeſte et verecunde. Nam Socratem ἀφροδισίων ἐγκρατέστατον fuiſſe, diſerte adfirmat cum aliis Xenophon memorab. 1, 2. in. Ipſam illam conſuetudinem adtigit noſter in praef. §. 4.

Sympoſio: p. 265. Vol. 10. ed. Bipont. Verba Graeca ſic habent: οὐδὲν περιττότερον κατεδεδαρθηκὼς ἀνέστην μετὰ Σωκράτους, ἢ εἰ μετὰ πατρὸς κεκαθεύδοιμι, ἢ ἀδελφοῦ πρεσβυτέρου.

3. *robuſtior*: de aetate adultiori.

quoad: cum verbo coniungunt Latini, numquam, vti et hodie aliqui, ſequente adcuſatiuo ponunt.

odioſa: aſperior videtur connexus cum praecedentibus. Barthii *otioſa* ſenſum incidit. Vti nunc locus in omnibus libris effingitur, haec ſubeſſe videntur: quae alias odium contrahere ſolent, molli is elegantia moriſque lautitia et iocorum feſtiuitate exhilarauit.

Cap. III. 1. *Peloponneſio*: Ita nunc cum Heuſingero et Harleſio ex MSStis reſcribendum putaui, quae forma etiam redit conſtanti omnium librorum conſenſu in Cononе cap. 1. vbi nemo laceſſiuit. Idem obſeruatur in *Meſſenicus*, *Corinthicus*, *Iſthmicus*, *Olympicus* et aliis, quae etiam in *iacus* exeunt. Neque tamen nego *Peloponneſiacus* frequentiori vſu celebrari etiam a Graecis. Porro cum aliis duplex *n* retinui, etſi ſimplex praetulit Wetzelius, non propter codices ſolum, ſed quod Strabo lib. 13. p. 618. ed. Pariſ. diſerte vſum inualuiſſe monet, vt τὸ *n* geminaretur.

conſilio: orationem ea de cauſa habitam exhibet Thucyd. 6, 15.

Nicias: inuitus quidem, quia bellum, Alcibiadis inpulſu indictum, diſſuaſerat, vt tamen eius feruorem contineret. *Lamachus* iam ſenex, fortis tamen, vti refert Plutarchus in Alcibiade c. 18.

2. *Hermae*: ſigna Mercurii lapidea, quadrata, et ad cubi figuram efformata, ſine manibus et pedibus, quae in veſtibulis tam priuatarum, quam ſacrarum aedium poni ſolebant; ab Ἑρμῆς, Mercurius. Hinc infra *ad publicam rem*.

Athenis: Cum Boſio ex gloſſa inlatum puto. Athenas enim intelligi, ſatis ex nexu adparet, nec oppidum hoc ſenſu noſtro eſt inſolitum. Sic de Roma etiam Livius 42, 20.

deiicerentur: Graeci ponunt περικόπτω, περικοπή, et auctores facinoris Ἑρμοκοπίδας dictos fuiſſe narrant.

Andocidis: a tribu Aegeide politus, vt refert Plutarch. in Alcib. cap. 21. Alii hic *Andocidi*, vt in Themiſtocle cap. 1. in. *Neocli*, quod non probo.

vocitatus: Adſirmat idem Plutarchus in Nicia cap. 13. ſed et ipſe Andocides in orat. de myſteriis p. 10. ed. Reisk.

3. *conſenſione*: malo ſenſu. Sic in Attico c. 8, 4. *conſenſionis globus*. Et ſic paſſim conſilia in rem publicam conlata indicat.

4. *forenſi*: cauſas ſpectat.

poneretur: ſic in praef. §. 5.

timorem: Quod per ſe et ſimpliciter poſitum, *timorem in aliquo habere*, durius dicatur, mitigat connexus, vt in aliis multis. Sic in Thraſyb. c. 4. in. *amor, non vis expreſſerat*.

adſpergi: ad mala ſolet metaphoricus vocis vſus transferri.

facere: Sic Graeci ποιεῖν et ἐᾶσαι. Myſteria ſunt ſacra Cereris Eleuſinia.

Cap. IV. 1. *in contentionem*: Omnes nunc edunt praeeunte Lambino, ex coniectura quidem Pinciani, *in concione — compellabatur*. Poſterius habent etiam Codices quidam, prius adnoſcit nullus; tantum aliqui *contentione*. Equidem neceſſariam cauſam ſubeſſe non video, cur codicum lectio deſeratur, quam nunc repraeſentaui; nec eam in notis inprobauit Wetzelius. Senſus eſt: litem intentabant inimici, inſtabant, vrgebant criminatione. Vt enim ſequentia docent, abſens demum vere eſt adcuſatus.

intuens: Ita ſequentibus aliis edidit Heuſingerus, editionum antiquiſſimarum exemplis ductus, quum codices quidam velint *metuens*, quod et hodie plerique referunt. At nihil praecedit, quod metueret, quum metus futura ſpectet. Tum potius inuertere has narrationis partes debuiſſet, et praeponere *conſuetudinem*. Qua nunc ſerie et conſecutione verba ſunt poſita, aperte cogitationem de vtroque, quod praeceſſit, indicant. Retinui igitur *intuens*, quod et nuper adſenſu ſuo probauit Harleſius. Mutatio etiam in noſtro vſitata, vti in Dione cap. 8, 1. et alibi.

vt: Poſſit Heuſingeri exemplo vncis includi, quia in multis MSStis deeſt, vti in Miltiade c. 1, 4. Sed arbitraria haec ſunt, etſi credam, librarios potius ſubpleuiſſe.

crimine: Quum inuidia alios inpulerit ad adcuſandum, eſt h. l. *criminatio* inuidia mota i. e. inuidorum. Sic in Epamin. c. 7, 3. *crimina aduerſariorum*; et ſic paſſim.

2. *itaque*: et ita, quo vſu etiam in Cicerone obcurrit.

3. *triremem*: Quidam, in his nuper Bremius, *trierem*, rariori forma, ſed, quantum ſcio, hic nulla codicis auctoritate probata. *Hexeres* dicit Liuius 27, 23, 5. ſed ſtatim ſubiicit *triremes*, quam Latinam formam etiam alibi noſter adponit. Fuit autem, quod ex Thucydide 6, 53. 61. et aliis conſtat, *Salaminia*, quae reos peregre agentes ad iudicium deportabat.

4. *Thurios*: Vrbs Lucaniae in Italia inferiori; etiam *Thurium*. An h. ſit *terra nuova*, quod quidam volunt, dubitatur.

nobiles: optimates, vt infra. Nempe in eos ſaeuitum erat. Thucyd. 6, 53.

Elidem: Peloponneſi vrbem in regione cognomini.

5. *publicatis*: Gr. δημεύσιν.

Eumolpidas: Aldo debetur haec lectio vnice vera, quippe et ipſa re et aliis auctoribus confirmata. Codices enim *Olympiadas* habent, vel *Olympidas*, vt infra cap. 6. Fuerunt Eumolpi poſteri, Eleuſiniorum praeſides.

deuouerent: Gr. κατηρᾶσθαι. Contra *reſacrare* infra c. 6.

6. *poſſe*: Quibusdam languet, alii aut omittunt, aut vncis coercent. Quum a codicibus ſustineatur, poteſt commode futura ſimul ſpectare. At in plurimis locis Graeco vſu additur, vbi ſimplex ſtare poſſit, maioris etiam confirmationis cauſa.

7. *rege*: Dario. *Decelia* Gr. Δεκέλεια Atticae eſt oppidum prope Athenas. Factum eſt autem, vt Athenienſes terreſtri commeatu prohiberentur. Plutarchus cap. 23.

Cap. V. 1. *alienati*: in primis Agis ob apertam cum coniuge ipſius conſuetudinem, vt auctores tradunt.

2. *Alcibiadi*: ſtructura rarior. Vſitata reperitur in Eumene cap. 8, 7. Quare eam in librariorum vitiis reponit Heuſingerus.

ſagacitate: adiuuerat Agidis vxor et ſubgeſſerat. Plutarch. cap. 24.

3. *ſeneſcere*: de rebus inminutis, debilitatis; cui concinnius reſpondeat *adoleſcere*. Forte in hac breuitate nimis id argutum putauit.

praetore: Athenienſium. *Samus* inſula maris Icarii haud procul ab Ionia.

a deſciuerat: a Pharnabazo, quum hic ſuorum de obſequio ſtimulum perfecifſet. vt ex prolixa Thucydidis narratione patet.

Lyci: Al. alii maxime, *Lycii*. Cf. in Thraſyb. c. 1. in. In Graecis Lacun.

populi ſcito: Cf. in Ariſt. c. 1, 5. Nempe et hic libri quidam *plebiſcito* volunt.

5. *vigenerant*: elegantius ad rem cum argumento declarandam, quam *fuerant*.

peterent: poſt proelium nauale apud Cyzicum.

6. *urbes*: veluti Cyzicum, Chalcedonem. Selymbriam, praeter Byzantium, ab ipſo Nepote memoratum. Plutarch. cap. 28 ſqq.

clementia: proprie et Latine erga victos. reos. damnatos.

CAP. VI. 1. *Piraeeum*: Gr. Πειραιεύς, vnde quidam et hodie male *Pyraeeum*.

deſcenderet: ad portum apte pro exiiſſet, concurriſſet, pro quo poſt eleganter *confluaeret*.

2. *amiſſum*: amiſſionem. An ſic alibi obcurrat, dubito. Ita tamen *immiſſus*, *refutatus*, *intentus*, *reſponſus* —

ſuae: ſequentia ad Athenienſes referendum eſſe docent.

3. *aeneis*: Alii malunt *taeniisque*; alii *ſtatuis* intrudunt, renitentibus libris, etſi prius in ſimili cauſa de Braſida narrat Thucydides 4, 121. ἐγκειμένης μὲν χρυσῆς στεφάνης ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, ἦν δὲ ἐπιπλόκιον. At prout nunc habet locus, vnum ad diuites, alterum ad pauperes poteſt referri. Ceterum oleaginae coronae vſitate ornabant Olympiorum victores; quare hic inſolens et ſingulare aliquid factum innuit.

4. *aſtu*: Athenas. Cf. in Themiſt. c. 4. in.

ſacrilegii: cf. cap. 3.

5. *reſaerare*: Ita praecipiunt libri. Quidam *reſecrare*. At ita etiam *detraeto*, *dispartior* et ſimilia paſſim obcurrunt, et a doctis quibusdam hac forma probantur. Vis ipſa verbi ex obpoſito intelligitur. *Burſus*, vt paſſim alibi, redundat.

pilae: cf. cap. 4.

CAP. VII. 1. *totaque*: ἠρέθη καὶ κατὰ γῆς ἅμα καὶ κατὰ θάλασσαν στρατηγὸς αὐτοκράτωρ Plutarch. c. 33.

Thraſybulus: Pro hoc Ariſtocratem memorat Xenophon in hiſt. Gr. 1, 4, 21. Cum noſtro tamen conſentit Diodorus 13, 69.

Cymen: Fuit vrbs Aeolidis prope Lesbum insulam, h. *Foia nova*. Sed absente Alcibiade, qui vel Clazomeniis auxilio profectus erat, (Diodor. 13, 7.) vel in Caria pecuniam conficiebat, (Plutarch. c. 35.) Antiochus contra mandatum eius temere nimisque cupide pugnam cum Lysandro commiserat.

inuidiam: ad odium omnino refert, quum proprie sit odium ex inuidia adfectatae maioris potentiae conflatum. *Id recidit* spectat id, quod supra cap. 3, 4. narrauerat. Magis huc valeat criminatio teste Diodoro 13, 73. obiecta, quod Cymen, socii nominis vrbem, adgressus esset, de qua publica legatione missa conquesti erant Cymaei, etsi id aperte pugnat cum iis, quae noster subiicit. Xenophon vero in Hist. Gr. 1, 5, 16. eius ἀμέλειαν et ἀκράτειαν tamquam causas pugnae infelicis ab Athenienſibus iactatas commemorat. Sed et alias criminationes prolatas fuisse indicant Diodorus et Plutarchus c. 36. qui earum auctorem facit Thrasybulum. Certe inuidia ex causis eius calamitatis effictis auctisque repeti debet, quo et sequentia spectant.

2. *negligenter*: quia classem Antiocho tradiderat, de quo antea. *Malitiose*. Iustinus 5, 5. m. adeo vnice ad fraudem reiicit. Ipsam rem noster deinceps declarat.

3. *rege*: Dario, vel Cyro, eius filio, qui in locum Tissaphernis Ioniae Lydiaeque tunc praepositus erat. Iustin. 5, 5. in.

noluisse: At Soeia fuit et foederata ciuitas. Quod Bosius de arcano Athenienſium iussu explicat, nec ex aliis auctoribus euincitur, nec ab ipsa re probatur, quod in adcusationis publicae causis haec etiam ponebatur. Tum repugnant aperte ea, quae ex Diodoro antea notaui. Forte igitur leg. *voluisse*.

causam: languet, quum, quod innuit, diserte subiiciatur; quare etiam multi editores, adiuti vno codice, omittunt. Equidem vncis incluſi. In aliis varietas non minor; veluti *maxime imputamus*. *Huic* pertinet ad Alcibiadem, vti deinceps *opinionem* ad Athenienſes, nempe, quam illi habebant de eo.

ne: pendet a potiori *timebatur*. Inuerso membrorum ordine, *non magis diligebatur, quam timebatur*, propius adnectere poterat.

alium: Cononem nominat Iustinus 5, 6, 9. alii plures, aut decem memorant, in quibus Cononem primo loco

ponunt, veluti Xenoph. in hiſt. Gr. 1, 5, 16. et Diodorus 13, 72. in. etſi in ſingulorum nominibus discrepant.

4. *Parium*: Vrbs in Iſthmo Cherſoneſi Thraciae ad Propontidem. Eruit hoc nomen ex cineribus quali codicum Boſius, adiutus Diodori 13, 74. auctoritate, quippe qui idem ita narrat. In aliis libris *Pataram* fere legitur; in edd. etiam *Perinthum*. *Bornos* alibi non commemoratur. *Bizanthen*, vti pro vulgato antea *Byſanthen* repoſueram, exceperunt omnes praeter Wetzelium et Ricklefium; minus quidem hi recte. *Neontichos* in codicibus fere effertur *Themeontichos*. Nempe τὸ *the* anuliſum a nomine praecedenti adhaeſit.

primus —: Tuentur hanc lectionem libri, quam et plerique repetierunt editiones; aliquae tantum *ciuitates in Thracia*. Si ſanus eſt locus, quem etiam inſolentior ſtructura premit, ne ſecum pugnet Nepos in Miltiade capp. 1. 2. et 8. ſenſus eſſe debet: in liberam Thraciam infeſtis armis ingreſſus eſt, eaque ſubacta regum amicitiam ſibi concilianit. Ita enim Plutarchus in Alcib. c. 36. ἐκόλευε τοῖς ἀβασιλεύτοις Θρᾴξιν ἰδίᾳ. Hinc Ricleſſius *privatus* legere etiam malit pro *primus*. Mirum tamen ſit, ſi in voce tam nota aberrauerint omnes librarii.

Graiorum: pro *Graecorum* nec alii auctores profaici reſpuunt.

5. *regibus*: Medoco et Seuthe. Diodor. 13, 105.

Cap. VIII. 1. *flumen*: Cf. ad Lyſandr. c. 1, 4.

longe: Lampſaci. Poſtea *rex* fuit Cyrus, Darii filius.

erat ſuper; diuiſe, vt Tacitus hiſt. 1, 20. Virgil. Aen. 2, 567. tum inuerſe per anaſtrophen.

2. *vulgo*: de gregariis militibus. Obponuntur duces ab Ovidio Metamorph. 13. in. Homero ſic dicitur λαός.

eo: pro ideo; tum vero ex vſu linguae *quod*, non *quia* ſubiicitur. *Pedeſtres copiae* ex obpoſitione ſunt terreſtres, vt paſſim alibi. Cf. in Con. cap. 1, 1. Chabr. cap. 2, 3. Hannib. cap. 11, 6.

4. *Philocles*: tamquam praecipuus, certe quod illo die imperium claſſis habuit, (Diodor. 13, 106.) nominatur, quum et alii fuerint praetores, Tydeus et Menander, quos etiam Alcibiadem abire iuſſiſſe ſcribunt Xenophon in hiſt. Gr. 2, 1, 26. et Plutarch. c. 37.

5. *delicti*: graue, acerbum iudicium de clade in vniuerſum; nempe vt acrioribus viribus conniterentur imperatores.

caſtra nautica: ſtationes nauium, *nqualia caſtra* in Liuio 30, 9, 6. Caeſare de B. G. 5, 22. in. Cf. in Hannib. c. 11. f. Non ſatis recte aliqui explicant de praeſidiis in proximo litore conlocatis, quae inde naues ipſas tutarentur. Naues enim erant in portu, milites egreſſi per agros dispalabantur. *Iuxta hoſtes*, pro quo libri quidam non male *iuxta hoſtem*, eſt prope hoſtes.

6. *inmodeſtia:* cf. ad Lyſandr. c. 1, 2.

ſpeculatores: vt alii narrant, per transfugas.

vulgum: ita praecipiunt libri omnes, etſi frequentiori vſu neutrum, *vulgus*, ponitur.

praedatum: commeatus conquirendi cauſa. *Exire* h. l. deſcendere, quum ad naues referatur.

deleuit: plerisque nauibus captis, multis etiam militibus vel captis vel obciſis. Cf. Plutarch. cap. 37. Igitur ſummae cladis notatio.

CAP. IX. 1. *Thraciam:* Plutarchus cap. 37. Bithyniam petiiſſe narrat, cuius tunc partem Thraces incolebant, vnde diſſenſus vel componitur, vel diiudicatur.

abdidit: efficacius, quam feceſſit.

fortunam: ex ſubiectis intelligitur, in quibus vim vocis ad opes redigit.

2. *ei:* poſſit etiam, adſpirantibus MSStis, omitti, quia praecedit *eum*.

adportarat: pro *adportauit* retinui ex codicibus, quod et praeter Bremium fecerunt alii. Conſiderata rerum conſecutione, quam vere recteque temporum vſu reddunt Latini, nemo, opinor, dubitabit.

3. *Aſiam:* Phrygiam auctore Plutarcho c. l.

dederat: plusquamperfectum ponit, quia beneuolentiae praeſtitae documentum probat.

quinquagena: quae fere efficiunt thaleros 50 x 1280 i. e. 64,000. Quidam libri *quinquaginta*, vbi addendum fuiſſet *quotannis*, quod illud inuoluit.

capiebat: Sic paſſim obcurrit, vt apud Ciceronem parad. 6, 3. Variationem dabit Themiſt. cap. 10, 3.

5. *rege:* Artaxerxe Mnemone, qui Cyro fratre victo ſubceſſerat Dario.

dubitabat: de hac ſtructura cf. ad praefat. in.

6. *ab eo:* non male excludunt quidam cum multis codicibus, alii certe vncis coercent, quum repetitio eius pronominis moleſtiam inferat. Idem valet de antecedente *ei*. Alii tamen, vt Wetzelius, quod ſenſus illa deſideret,

tuentur. Equidem, vt codicum fluctuationem indicarem dubiamque vocis ſedem, vncos adpoſitos reliqui. Ita vero et alibi. Cf. in Thraſyb. c. 1, 3.

CAP. X. 1. *Critias:* Hunc nomine producit recte, quia ceterorum erat deterrimus. Subfecerit nunc conſuluiſſe Xenophontem in Memorr. 1, 2, 12.

2. *Laco:* Quidam *Lacon*, promiſcuo vſu. Eſt autem Lyſander ex nexu. Sic infra in Timoth. c. 1, 3. Ageſil. c. 2, 3. Ageſilaum ſimpliciter vocat. Ceterum Plutarchus cap. 38. ſcytala demum a magiſtratu miſſa, id Lyſandrum feciſſe narrat.

renuntiat: h. l. eſt nuntio miſſo indicat, quae magiſtratus praeceperant. Editiones aliquae olim ſic: *Huic ergo renuntiat ſocietatem*, (inritam declarat) *quae regi cum Lacedaemoniis eſſet, ſtare non poſſe, foederaque inrita futura.* At vulgarem lectionem tuentur Codices, tantum quod aliqui cum Edd. omittunt verba *inrita futura.*

3. *tulit:* nempe ceſſit territus.

clementiam: reſpicit hoſpitii tutelam fidemque datam. Quod beneficium quum exſuli miſeroque conlatum eſſet, clementiam vocat. Verborum genera variant, quia *violare* ad ipſum refertur, *minui* ad Lacedaemonios.

Syſamithren: Plutarchus c. l. Σουσαμίθρην vocat, Pharnabazi patruum, alterum eius fratrem, etſi *Magaeum* ſcribit conrupte forſitan, quia illud cum *Bagoa*, nomine Perſico de eunuchis vſitato, propius congruit.

4. *clam:* ex Diodoro 14, 11. qui ſua cum Nepote ex Ephoro hauſit, refer ad *miſſi.* Tum in *vicinitati* propter *interficiant* et *illi* per ſyneſin latent *vicini*, vt ſaepe talia obcurrunt.

eum: malim cum Heuſingero abeſſe. Cauſa patet.

caſam eam: Codices *famineam* et ſimilia monſtra procuderunt; nempe ex omiſſa ſyllaba *ca* et conglutinatis male reliquis. Plutarchus etiam cap. 39. habet οἰκίαν, quae vox apta eſt narrationi.

manu: ſc. armata propter notam eius fortitudinem. Nam, quod Plutarchus c. l. narrat ὀφθεὶς τοὺς βαρβάρους διεσκέδασεν.

5. *ſubalare:* quod ob breuitatem ſub alis geſtari poteſt. Plutarcho c. l. ἐγχειρίδιον.

adripuit: alii etiam hodie *adripit* vel, vt Staverenus in ed. min. et Rickleffius, *abripit*, propter *iubet;* etſi

illud explicari poteſt; nempe *iubet* et poſt *adripuit*, vbi cohaeret cum *transiit*.

6. *eminus:* quidam poſt *effugiſſe* ponunt, quod et ego, Stauerenum ſecutus, antea feceram, ſenſu plane incommodo; plures MSSti poſt *telis*, quos nunc cum Bremio et Heinrichio praetuli, etſi hic vncis ſignauit, quod antea alii in priori loco etiam adiecerant. Adiuuat Plutarchus c. l. qui ſic: ἀποστάντες ἔβαλλον ἀκοντίοις. Ceterum, vt ex Diodoro 14, 11. diſcitur, reddidit et hic Ephorum. Alii enim in narrationibus de eius morte in adiunctis et cauſis discrepant.

mulier: Theodotam vocant alii, alii Timandram. *Vir vere* alias etiam in hoc nexu abeſt.

cremauit: ex Graecorum etiam more. Annis *quadraginta* quidam rectius addi volunt *quinque*.

CAP. XI. 1. *infamatum:* quod fecerunt Antiphon et Lyſias, oratores, Eupolis et Pherecrates, poetae.

Thucydides: belli Peloponneſiaci deſcriptione celeberrimus; *Theopompus* Chius, qui floruit Philippi, Alexandri et ſubceſſorum aetate, de quo Plutarchus in Lyſandro c. 30. ψέγει ἥδιον, ἢ ἐπαινεῖ; *Timaeus* Siculus, qui Pyrrhi et Tarentini belli tempore vixit, et ob πικρίαν notatur.

fuit: moleſta repetitio, quare vncis ab Heuſingero incluſum eſt. *Poſt aliquanto* ſenſu Latino priſco, quo eſt diu poſt, nempe annis circiter 50. poſt, non vulgari, vt ſit paullo.

neſcio quomodo: formula ignorantis et hinc mirantis. Sic in Thraſyb. c. 1, 3. et ſimilia alibi.

conſcierunt: recentiores fere, praeter Harleſium, *conſenſerunt*. Illud tamen praeferunt, vno excepto, codices, quod et nunc praetuli. Nota eſt vis verbi ex Liuio, veluti 1, 32. ſ. in quo etiam *conſentire*, tamquam infirmius, praemittitur. *Conſenſerunt* gloſſae explicanti debetur.

2. *Namque:* Praetuli nunc pro *nam* ex codicibus, (quippe ſequente vocali, vti ſolet noſter) imitatus Harleſium.

omnes: Inuitis codicibus omnibus Aldus primus ſubiecit *Athenienſes*, eumque ſecuti plerique. Quidam vncis cohibent. Nempe ex ſenſu *Athenis* repeti et intelligi debet, vt ſaepe fit, *omnes*. Quare nunc deleui.

dignitate: in externis proditur, quibus ſpeciem rei apte ornateque praeferimus.

3. *venerit:* in oratione obliqua.

firmitati: cf. in Epam. c. 5, 2. Elocutionis elegantia ineſt in commutatione adiectiui in ſubſtantiuum, quia primariam notionem includit. Tum tenenda exquiſita variatio in efferenda notione praeſtantiae.

4. *cultus*: de veſtitu maxime.

vinolentos: cf. praeter alios Horatium 1. od. 27. de libidine idem 1, 18, 10. et Ovidius Metam. 6, 459.

5. *venari*: docet Xenophontis Cyropaedia; luxuriem Horatius lib. 1. od. vlt.

THRASYBVLVS.

CAP. I. 1. *ponderanda*: eleganter de adcurata ex rebus comparatis exploratione.

dubito an: vt *neſcio an*, modeſte adfirmat incluſa aliqua dubitatione, quod ſequentia declarant. Poſitum eſt autem *an* pro *annon*, inter quae libri paſſim fluctuantur. Poſuit vero pro ſimplici et vulgari: *fortaſſe ponendus ſit.*

Illud: Locus ex nexu durus et diuerſa explicatione actus. Nempe alii τὸ *illud* ad praecedens, alii ad ſequens referunt. Equidem hac probo, quia interpoſito iudicio explicat. Ad nexum continendum editiones multae legunt: *illi ſine dubio neminem praeſero*, quod reddidit hodie Schmiederus. Sed ex noſtra lectione, conſenſu omnium codicum firmata, ſenſus hic exſiſtit: Illud ſine dubio eſt, me praeferre —

3. *nobilitate*: in hoc nexu aperte valet gloria, dignitas.

praecucurrerunt: alii, et hodie, *praecarrerunt*, quae variatio in hoc aliisque compoſitis obſeruatur. *Concurri* ſtabili forma dicitur. Ceterum Graeci eodem ſenſu παρέρχεσθαι, metaphora a ſtadio ducta, prō ſuperare, vincere.

ſine Alcibiade: dum hic in exſilio aberat.

ſine hoc: cf. in Alcib. c. 5, 4-7. Tum poteſt lepida inuerſio notari. Denique *ille* ad propius hic refertur, quum alias ad remotius ſoleat. Sed ſic paſſim. Commode tamen poterat et ſine ambiguitate, quia *hic* de eo dicitur, cuius vita et res geſtae deſcribuntur. *Ille — ille — illa* moleſte obtruduntur; poteratque alterum hoc loco *ille* auerti, ſi dixiſſet: etſi vniuerſa — At talia minus diligenter cauit. Cf. ſupra in Alcib. c. 9. extr.

lucri: ſc. rem, i. e. ſibi vindicauit. Ipſa res intelligitur ex Alcibiadis vita c. 5 et 6. *Naturali bono* Ciceronianum eſt. Refer ad moris ſuauitatem, qua facile ſibi

aliorum gratiam conciliabat, quippe quod non arte quaeritur, ſed a natura inferitur.

4. *vimque:* mire hic locus a librariis et interpretibus verſatus. Libri adferunt *cuiusque, vsque, vndique, vimque;* viri docti vel ponunt vel emendant *vtrimque, virtutemque*, vel relicta hac voce ſubſtituunt *vices*. Nempe quum aperte haec ſententia ſuperiori reſponderet, imperatoribus *conſilium*, militibus, quos pugnantium nomine refert, *vires*, deſiderabatur, quod tribui poſſet fortunae, a qua τὸ *vim* longius non ſolum abit, ſed et in hoc nexu languet. At *vices*, etſi ſubceſſionis mutationem inferunt, nusquam tamen ſic abſolute dicuntur, vt, ad quod pertineant, non adſit. Quare hanc emendationem alii improbarunt, quae tamen etiam nunc adriſit Harleſio. Quod ſi veſtigia plurium codicum ſequaris, quum vnus tantum *vim* habeat, adſcita partium ſingularum concinna forma, reponi poſſit *caſusque*, quod ad *cuiusque* proxime adcedit. Quod Heinrichius protulit *fortunamque* eodem valet, ſed nimis a codicum monitis remotum diſtat. Sin tamen quis vulgatam lectionem retineat, explicanda erit: *copias virtutemque*.

Itaque —: etiam haec verba non ſatis cohaerent et obſcuritatem obiiciunt. Nempe tòtius narrationis ſeries, ſi ad ſuperiora adtendas, ita fluere debet: Valet imperator, ſi adiuuerint milites et fortuna. Hinc inferre debebat: quod in proelii concurſu abit res a conſilio imperatoris (pro quo poſtea dicit *ducis prudentiam*) ad vires fortunamque pugnantium. Quo recte fit, vt miles ſibi multa in proſpero proelii exitu tribuat, etſi maximae ſint fortunae partes, quippe quae ſe plus vtroque valuiſſe praedicare poſſit. Adparet, iuſtam aliquam partem deeſſe et deſiderari militum virtutem. Quod ſi legeris *his*, vti et aliqui legunt, (ſc. imperatore et milite) pro *hic*, et deinde cum Lambino expuleris *ducis prudentiam*, locus ſuis numeris integer conſtabit. Tuentur tamen illa omnes MSSti, a quibus etiam *hic* ſuſtinetur, i. e. in proelii ſorte et euentu. Ceterum apte comparari de fortunae potentia poteſt locus Ciceronis pro Marcello cap. 2.

plurimos: mile quingentos amplius ciues indicta cauſa, vt adfirmat Aeſchines contra Cteſiphont. pag. 628. Reisk. Inmanitatem tyrannorum deſcribunt plures.

parſerat: ita codices antiqua forma, quam frequentant in primis Plautus et Terentius, pro *pepercerat*, quod

et olim hic ante Bosium praeferebant editiones, nunc repetierunt Schmiederus, Rathiius et Wetzelius. Neque tamen illa a librariis profecta videtur.

princeps: primus, vt saepe.

Cap. II. 1. *castellum:* ad Boeotiae fines ab Athenis distans 190 stadia (Diodor. 14, 32.) i. e. circiter 3 miliaria Germanica.

quam: quia in multis MSStis abest, tamquam spurium vncis inclusit Heusingerus. Contra tuetur Staverenus, quia id tum demum fieri obseruatur, quum numerus deinceps sequatur. In ipso numero variant auctores et fere augent.

Atticorum: ex vno codice *Actaeorum* recepit Bosius, quod in librarii mente vix videretur natum esse, eumque secuti sunt alii. Ante Bosium edebatur *Atticorum*, quod reuocaui. Nam *Actaei* est vox poetica, ab vsu prosaico remota. Nec quidquam huc valent formae *Romaei, Thebaei, Athenaei*, a posterioris aetatis scriptoribus potius frequentatae. Tum cap. 3. in. diserte omnes habent *Atticis*. Porro legentis potius error esse videtur in scriptura minus huculenter expressa, quae, si formas Longobardicas cogites, proprie fuisse videtur *Atticorum* pro *Actaeorum*, vti ex Dan. illo codice notatur. Denique quum olim constanter legeretur *Atticorum*, nemo tamen diuersi aliquid ex libris protulit, immo Schlegelius p. 69. ex cod. Thottiano plane proposuit *Atticorum*, quod et probat.

2. *atque:* Sic multi codices et hodie editiones omnes, vt sensus exsistat: neque hic solum contemtus est, sed et eius solitudo. Qui habent *neque*, reuocandum suadent *non*. Quod alii ferunt *sed*, minus est aptum. *Solitudo* de paucis ad maiorem valet contemtum.

pernicii: vt passim *progenii, luxurii, acii*, in altera editione recepit Bosius, quem plerique post secuti sunt. De ipsa forma monuit Gellius 9, 14. Vsitatior vtique est *perniciei*, quam et hic ex suo codice tuetur Schlegelius p. 68. Neque ego valde relucter, quum sic dicat in Chabr. 4, 2.

comparandum: vt alibi passim absolute. Cf. in Hannib. cap. 7. in. *Hos* i. e. Thrasybulum et socios.

robustiores: vltra obpositionem progreditur, quae sit alacriores, promtiores.

3. *timidi:* cauti, prouidi, qui nihil temere audet, nec periculo se obiicit, qualem se Cicero fuisse profitetur ad diuers. 6, 21. qui et cum timidis pro Milone c. 35. *omnia*

circumſpicientes pericula coniungit. Sed et ita Graeci φόβος huc referunt, et ipſa eius natura probat.

4. *auctae:* Diodorus tamen 14, 33. breui tempore mille et ducentos coiiſſe narrat. Xenophon in hiſt. Gr. 2, 4, 5. habet ſeptingentas, qui paullo poſt (9, 10.) ad 1000 adcreuerint.

iam tum: carpit ſui temporis ignauiam in bellis ciuilibus. *Boni* ſunt optimates, nobiles, omnino boni ciues. *Illis temporibus*, etſi *tum* praecedit, quod temporis notationem includit, et ſynonymae particulae paſſim coniunguntur, rerum ſimilem conditionem et ſtatum innuere videtur.

5. *Munychiam:* Vnus fuit ex tribus Athenarum portubus.

adorti: Staverenus in ed. 2. et Harleſius *adorſi* vſu dubio et ſine libris.

6. *inpedimentisque:* quae ex nexu ſunt inſtrumenta militaria exceptis armis.

iacentem: vt *cadere* de vulneratis, interfectis in proelio.

7. *ex aduerſus:* Ita volunt codices, quum edd. antiquae praeferant *aduerſus*. Mira quidem compoſitio, cuius tamen exemplum ſupra adfuit in Themiſt. cap. 3. f. et obcurrit etiam in Cicerone de diuin. 1, 45, 3. Tum, quod monuit Kappius, ſimilibus poteſt adſtrui, qualia ſunt *deinde*, *exinde* et alia. Attamen in praepoſitionibus ſua vi praeditis ſimile exemplum quaerebam et adhuc deſidero. Neque enim *inſuper*, *deſuper* aliquis recte huc referat.

CAP. III. 1. *deiecto:* ſignificantius, quam *interfecto*, addita dignitatis notione vel crudelitatis, quam ille exercuerat, quum in venatione de feris etiam dicatur. Sic Graeci κατα βάλλειν.

publicarentur: Sic in Alcib. c. 4, 5. i. e. venditorum pretium ad aerarium conferretur. Gr. δημεύειν.

populo: hinc democratia.

2. *legem:* hanc vocem, quia deeſt in MSStis et facile ſubintelligitur, non quidem expulit, vetuſtas editiones reueritus, vncis tamen cum plerisque incluſit Boſius in ed. 2. Legis fragmentum apud Petitum de legibus Atticis 8, 4. ita habet: μὴ μνησικακεῖν τῶν πολιτῶν οὐδενὶ, πλὴν τῶν τριάκοντα καὶ τῶν δέκα — quae iure iurando confirmabatur ſecundum Andocidem de myſteriis p. 43. Reisk.

3. *publice:* noua lege, edicto.

CAP. IV. 1. *honoris:* Lambinus addiderat *ergo* ſine re et codicibus. Ita enim, vt ſit corona honoris cauſa data, per ſe intelligitur. Ceterum mores temporum notandi.

quam quod: Quidam, etiam nunc, *quae quod.* Alterum probant boni codices; nota antiptoſis in ſimili nexu. Sed remota figura, aperta erunt omnia, ſi cogites ex breuiloquentia Latina haec dicta eſſe, pro: *quae, quod eam amor* — vel *quam quod amor* — *expreſſerat, ea nullam* — modo *quam quod* ſine interpoſito diſtinctionis ſigno deinceps connectas.

non vis: Tò *et* licet praemittant quidam codices, et tueatur Heuſingerus, arcui, quod ſit *nec potius*, quum hic diuerſa indicet in obpoſitione conſtitutum, vbi noſtri ſolent inſerere *aber.* Poſt *expreſſerat* magis apte ad *vis*, tamquam propius, refertur; qualia non raro in connexu vnius verbi cum duobus ſubſtantiuis diuerſae ſignificationis obcurrunt.

magnaque: Lambinus: *magnaeque — gloriae;* recte omnino. Sed illud tuentur codices nec renuente linguae vſu.

2. *iugerum:* vndecim iugera fere aequant 10 morgas (Morgen) Saxonicas. Vid. ad Eutropium p. 51. vbi de hoc expoſui.

munera: pro quo inde ab Aldo etiam hodie aliqui dederunt *muneri*, praeſtant codices. Etſi alterum recte dicitur, placet tamen codices ſequi, quum ex adpoſitione probetur et ſoni variationem inferat. Fuit autem agri dimidia pars in bello cum Athenienſibus de Sigeo parti. Valer. Max. 6, 5. ext. 1.

propria: vt alibi, ſunt diutina, perpetua, cum qua voce coniungit etiam Cicero pro lege Manil. cap. 6.

4. *barbaris:* Aſpendiis. Xenophon hiſt. Gr. 4, 8, 30. Diodor. Sic. 14, 99.

CONON.

CAP. I. 1. *magni:* codices vel *opere* vel *magnus*, aliqui vtrumque. Leidenſ. 2. *opera magna.* Attamen *operae* pro *opera magni* Voſſ. 1. Noſtram lectionem ex coniectura Puteani recepit Lambinus, probantibus et hodie aliis, et ipſo Nepote confirmante in Datame c. 1, 4.

praetor: obponitur praefectus claſſis, et adiuncta vim vocis docent, Gr. στρατηγὸς et ναύαρχος, vel στολάρχης

et στόλαρχος, etsi et sic *praetor* de classis praefecto vsurpat in Alcib. cap. 8, 1. et alibi, sed et paullo post §. 2. *Praetor* autem omnino noster de exterorum, maxime Athenienſium ducibus dicere solet. Factum id est ann. 22. et 25. belli Peloponnesii.

insulis: quum, Pharnabazo socio, Lacedaemonios mari submouisset. Plutarch. in Artax. cap. 21. in.

potestate: tamquam classis praefectus.

Pheras: quidam malunt *Theram*, quae insula maris Aegaei Lacedaemoniorum colonia fertur. Sed ad *Pheras* deducunt vel recta vel obliqua via codices, in eoque consentit etiam Xenophon in hist. Gr. 4, 8, 7. Intelligendae autem sunt ex cursus progressione *Pherae* Messeniae, non Thessaliae, etsi ex nostro solo de colonia constat. Ceterum, vt ex aliis intelligitur, id post victoriam ad Cnidum, de qua cap. 4., proferri debet.

2. *extremo:* i. e. belli anno, vt alia eiusmodi de tempore, regionibus, locis, animi etiam sensibus.

praetor: Hic ad classem refertur (cf. in Lys. c. 1, 4.) supra ad terrestrem exercitum, vnde promiscuus vsus discitur.

Aegos: vid. ad Lys. c. 1.

abfuit: vt cum aliorum narrationibus concilietur, qui in ipso proelii impetu eum adfuisse scribunt, tenendum est, ipsum se, quum de eius subcessu desperasset, in Cyprum ad Euagoram subduxisse. Nempe Xenophon in hist. Gr. 2, 1, 28. et Plutarch. in Alcib. cap. 37. volunt, eum proelio interfuisse, suorumque clade perspecta cum aliquot nauibus Cyprum inde aufugisse. Tum igitur referre videtur vnice ad *deuictae.*

imperii: ita Stauereni codd. non inusitata structura, nec difficili sensu. Nempe partes imperatoris diligenter sustinebat, etsi militum inmodestia (cf. in Lys. c. 1, 2. Alcib. c. 8, 5.) minime respondebat. Tum membrorum maior ex hac forma emascitur concinnitas. Alii enim, vt olim Bosius, nunc Schmiederus, Rathiius, Wetzelius, praetulerunt *imperator.*

CAP. II. 1. *obsideri:* obsessam et fame malisque fractam postea obcupauit etiam Lysander. Iustin. 5, 8.

quaesiuit: eleganter et efficacius, quam *cogitauit*, ad declarandum studium et industriam.

contulit se: non statim, sed primum, vt antea monui, ad Euagoram Cypri, vbi, quum diu latuisset, tum de-

mum Pharnabazum adiit vel ipse, vel missis literis, vti quidem vult Plutarchus in Artax. cap. 21.

regis: Artaxerxis, cuius filiam Apamam duxerat. Plutarch. in Artax. c. 27. Quod addit *propinquum*, non debet obfendere, quia consanguinem notat, et sic priori vere nouum addit.

2. *societate:* cum Dario ab Alcibiade exsule inita, (cf. in Alcib. c. 4, 7.) et post sine dubio confirmata. Nam pax illa, quae ἐπ' Ἀνταλκίδου vocabatur, hic intelligi nequit, quippe serius facta, quum Agesilaus classem in Asiam traiecisset, et Conon ad Cnidum Lacedaemonios vicisset, (cf. infra c. 4, 4.) vti adparet ex Plutarchi Agesil. c. 23. et Artax. c. 21.

Tissapherne: si haec comparantur cum iis, quae narrat in Agesilao cap. 2., a se ipsum Nepotem discrepare intelliges. Res ita habet: Tissaphernes victus ab Agesilao, stimulante Pharnabazo et Parysatide, regis matre, quod clandestina cum hostibus consilia ageret, in regis odium incurrit, et post adeo per Tithraustem interfectus est. cf. Xenoph. in hist. Gr. 3, 4, 25. Diodor. 14, 80. Plutarch. in Ages. c. 9. Videtur igitur, vt ex hoc loco et cap. 3. in. adparet, Agesilaum clam adiuuisse. Secundum Iustinum 6, 1. Pharnabazus eum apud regem ante Agesilai expeditionem iam criminatus erat, quod cum Dercyllide, Laconum in Asiam inrumpentium duce, transegisset; quod quidem alii et Nepos in altero loco de Agesilao narrant. Quae quidem sic componi possunt, vt ad odium facilior et certior via pateret.

3. *fuisset:* h. l. emphasin habet inclusam.

Asiam: veluti Ioniam, Aeoliam, Cariam, Lyciam, Lydiam, Phrygiam et Pamphyliae partem, quas regiones in pace cum Antiocho inita Asiam cis Taurum Romani vocant apud Liuium 37, 45. Nempe a Tauro monte Asia cis et trans Taurum diuisa dicitur.

4. *reuocatus est:* cf. in Agesil. c. 4. in.

Cap. III. 1. *apertum:* indicauerat regi Pharnabazus. Iustin. 6, 1. Sed, quod antea notaui, spectabat id foedus cum Dercyllide ictum. Defecerat autem, vt superiora declarant, ante Agesilai obitum. Quare non iusto ordine haec persequitur.

meritis: in hoc nexu causam adfert, cur valuerit, non ipsam rem, qua valuit. Igitur est ob merita. Post *etiam* diuise scribi vult Heusinger pro adhuc. Ego intendendi vim habere puto, i. e. *adeo*.

adducebatur: libri etiam *inducebatur.* Equidem et nunc alterum cum Heusingero et aliis praetuli. Rathiius, et Wetzelius reuocarunt *inducebatur.*

Cyrum: in illo bello, Xenophontis opera notissimo, quod contra Cyrum fratrem Artaxerxes de regno gessit.

2. *chiliarchus:* qui aditum ad regem aperiebat, vti post ipse Nepos subiicit, vnde etiam Graecis εἰσαγγελεὺς vocatur. Cum praefecto praetorio apud Imperatores Romanos comparari potest.

tenebat: Sic Latini apte, non, vt nos, *habebat.*

3. *illi:* Qui? Persae interprete vti solebant. Hinc *Graeci,* quam vocem excidisse putat Harlesius, et-substitui pro *illi* malit Rickleffius. Alii totam hanc sententiam interpolatam a librario vel Aemilio Probo suspicantur. Nam ad Tithrausti orationem nemo recte retulerit. Forte obscura breuitate hoc voluit, quod Persae simili vel eodem verbo, si sensum spectes, exprimunt, quo Graeci προσκυνεῖν dicunt. Hinc ipsum verbum Graecum pressiori facta interpretatione a Persis manasse existimo, quod et alii suadent, et ipsa res comprobet, si Persicae historiae antiquae natiua lingua scriptae monimenta exstent.

4. *honorem:* de diis et hominibus dicitur; nam προσκυνεῖν proprie est Deorum. Antea pro *enim vero* Bremius, Wetzelius et Rickleffius dederunt *mihi vero,* cui lectioni etiam quidam codices cum vetustis edd. addicunt. At quum hoc in adfirmationis, vel adsertionis contentione potius adhibeatur, etsi ad *graue* referri omnino possit, et quae sequuntur, illud tamen et nunc praetuli.

ciuitati: quippe liberae. Cf. seq. Quare etiam Ismenios, Thebanorum ad Artaxerxen legatus, proiecto ad regis pedes annulo, illam venerationem callide cauteque imitatus est, vt narrat Aelianus var. hist. 1, 21. Contra Timagoras, qui vere praestitisset, capitali supplicio adfectus est, auctore Valerio Max. 6, 3. ext. 2.

quae volebat: loco substantiui, vt supra §. 3. *quae cogitas,* et alibi *quae sentio.*

scripta: per internuntios cum rege egisse narrat Iustin. 6, 3, 14. Literas et conloquium cum diuerso tamen tempore adnoscit Diodor. 14, 39. et 81.

Cap. IV. 1. *eius:* Pharnabazi calumniis animum regis a Tissapherne alienatum auctores tradunt; matris, Parysatidis, preces addit Plutarch. in Artax. cap. 23. Rem ipsam ante Agesilai aduentum ponit Iustinus c. l.

hostem: in hoc nexu *rebelle*. *Iudicarit* propter *tantum*, vt saepe.

dispensatorem: ministrum impensae singularem quidem sibi dari postulauit. Iustin. 6, 2, 15. Romanis est quaestor.

arbitrium: liberam electionem.

2. *Cypriis:* quorum et Phoenicum maxime peritia in hoc praedicatur. Cf. in Cimone cap. 2, 2. *Naues longae, Kriegs-Schiffe*, quibus *onerariae, Transport-Schiffe* opponuntur. *Imperare* hoc sensu vsitatum et ex Caesare et Curtio notum.

3. *non sine cura:* h. l. est maxima cura, vti passim λιτότης, figura rhetorica, valet. Petierunt enim auxilia ab Aegyptiis ceterisque sociis, nec frustra. Iustin. 6, 2. in. Ita autem locutus videtur ob comparationem superioris temporis.

4. *proficiscuntur:* etiam de nauigatione, vt *ire, currere*. Ceterum narrationis summam et hic contrahit Nepos; quippe Agesilaus interea, Cononis metu et subcessu, domum reuocatus Pisandrum ducem reliquit. Iustin. 6, 2 et 3.

Cnidum: vrbem Cariae in cornu paene insulae. Mela 1, 16, 2. Retinuit hodie idem nomen.

multas naues capit: quinquaginta. Diodor. 14, 83.

sub Lacedaemoniorum: inde a proelio ad Aegos flumen. Cf. in Con. cap. 1, 2. Lys. c. 1, 3.

liberata: Iustin. 6, 4. in. *Hoc initium Athenienſibus resumendae potentiae, et Lacedaemoniis habendae finis fuit.*

CAP. V. 1. *ceteris:* non omnibus; igitur multis, vel cum respectu ad Cononis sortem. *Mortalibus* pro hominibus amat in primis Sallustius.

patriae: passiue, vt saepe in simili nexu genitiui ponuntur; i. e. patriae inlatas.

2. *potius:* propter sequens *maluit* poterat commode abesse; neque tamen similia in hoc nexu desunt exempla apud Ciceronem etiam. Sic *magis* additum reperitur. Forte hic intendendi causa adcessit.

illa: Stauerenus in ed. mai. et antea quidam, post Huttenius, *sua*, inuitis MSStis et remuente, opinor, nexu, ex quo dicendum rectius erat *sua sibi*. Tum *illa* respicit rei celebritatem et memoriam.

constituisset: plus quam *parauisset*, cui addit robur et firmitatem.

omnes: quod vulgo praeponitur infesta repetitione *inter*, repugnant codices et veteres multae editiones. Quare inde ab Heusingero vncis coercitum tenetur. equidem sic expuli.

ciuitatis: Al. *ciuitates*. Ego adhuc probo *ciuitatis* cum Heusingero et Stauereno in ed. mai. altera, ita tamen, vt periphrasin existimem *Graecorum* ex more nostri in Alcib. c. 7, 4. Cf. de reg. c. 1. in. Dicitur vt Ἑλλὰς γῆ in Graecis et alia, et sic proxime *barbaris* obponitur. Quod enim *ciuitatis* illi cum Schmiedero de adcusatiuo pluralis adcipiunt, valet id quidem antiqua scriptura et forma de iis, quorum genitiuus in *ium* exit; quod quidem in *ciuitas* perpetuum non est et constans.

Ioniam: Diodor. 14, 86. inuidiam Tiribazi ob res egregie gestas in causa ponit; Xenophon in hist. Gr. 4, 8, 16. criminationibus Spartanorum, quod iniuste in regem feciſſet, tribuit.

3. *Sardibus:* Fuit haec vrbs Lydiae.

magna de re: Codd. multi subſtituunt *magna feſtinatione*, quod non temere prognatum videtur. Tum vero sequentibus debet adpendi.

4. *Nonnulli:* ex nostris Diodor. 15, 43.

Dinon: vixit Darii Ochi temporibus et Persica scripsit, post deperdita.

addubitat: quum ad res factas earumque fidem refertur, incertam scientiam indicat, et valet, nihil statuere, definire.

DION.

CAP. I. 1. *Hipparinum:* quem Plutarchus in vita c. 3. principem Syracusanorum et Dionysii conlegam vocat.

Dionysiorum: patris et filii.

superior: Sic et a Cicerone de Offic. 2, 7. adpellatur; a nostro de regibus c. 2, 2. *prior;* cf. §. 3. scil. aetate, quare est Dionysius pater.

Aristomachen: quam cum Doride Locrensi eodem die duxit. Plutarch. c. 1.

ex qua: notandus vsus huius particulae solennis in hoc nexu. Rarius *de* additur. Nos *mit*. Sic c. 2. f. *natus ex*.

Nysaeum: Narsaeum vocat Diodor. 16, 6. Sed in illo nomine consentiunt etiam alii, etsi in prima syllaba vel *y* habent vel *i*.

Dioni: Thearide. eius fratre, mortuo. Plutarch. c. 6. Igitur fratri suo, etsi prinigno et nouercae fratri.

2. *come:* Infra c. 6, 5. eius acerbitas notatur; nempe ex diuersa temporum conditione. Tum vero ad mores refert. Hic nisi vage et ambigue locutum velis Nepotem, quum vtrimque adpositą mentem spectent, debet omnino esse. quod facile se insinuat, amplectitur, apte versatur, agile alias.

dignitas: Viris in externo corporis habitu etiam a Cicerone de Offic. 1, 35. et alibi tribuitur.

commendatur: Quidam etiam hodie, praeeunte Lambino, inuitis tamen codd. *commendat*, quod absolute positum durius puto.

3. *esse:* Vncis includitur, quia abest a MSS. et edd. antiquissimis, nec absens desideratur.

etiam: nostrates minus Latine in hoc nexu vulgo dicunt *adhuc;* tum etiam *autem*, *vero* inserunt.

suorum: sororis et huius liberorum. cf. cap. 2, 4.

4. *quae essent:* superlatiui facit elegantem periphrasin. Plutarchus c. 5. κρατοῦλις τὰς ὑπερβολὰς ἐποιεῖτο.

tegebat: sic codd. vel etiam *regebat*, *tenebat*, quae ex commistione nota eodem ducunt. Minus bene Lambinus et Heusingerus ex vno Cod. *leniebat.* At *tegere* ita adhiberi solet. Sic Tacitus Ann. 4, 44. *vbi* (*Massiliae*) *specie studiorum nomen exsilii tegeretur.* Abstineo aliis ex eodem, Floro — Sensus: effecit humanitate sua, vt, quae de tyranni crudelitate ferrentur, nemo crederet, et sic quasi obcultauit.

5. *suspexerunt:* Melius, quam quod quidam libri habent, *susceperunt;* quia admirationis notio in illo adcedit. Cf. in Agesil. c. 4, 2.

Graeca: vt in Milt. 3, 2.

CAP. II. 1. *vni:* Sic in Milt. in. Post *ac* sequente consona magis ex vsu.

2. *Tarentum:* Vrbs Calabriae, h. *Taranto.* Gr. Τάρας, vti et interdum Latinis.

arcessere: Heusingero ex vno cod. placuit *arcessiret*, et vt secum consentiret Nepos, quia eadem forma vtatur in Attico c. 11, 4. Sed nec ibi granior adest auctoritas. Variatio ipsa frequens. In scriptura *arcesso* pro vulgari, olim maxime, *accerso* consentiunt hodie docti. Ceterum notandus hic est error Nepotis. Nempe ter, vti diserte

adfirmat Diogenes Laertius 3, 16., in Sicilia fuit Plato. Primo ex Aegypto redux apud Dionysium maiorem, insulae Aetnaeque explorandae causa, quum Dion admodum esset iuuenis, nec per aetatem ex eius sermonibus fructum percipere posset. Secundo rediit ad Dionysium minorem, quippe male a maiori habitus, de quo cf. c. 3. in. confirmante etiam idem Diogene 3, 15. Tertio, quod noster non adtigit, ad Dionem in exsilio agentem, Dionysio reconciliaturus. Diogenes c. l. cum quo et alii consentiunt. Miscet igitur Nepos patrem cum filio non hic solum, sed et in sequentibus.

veniam: concessit, de qua vi vocis in simili nexu supra.

amicitione: Vt propriae vocis potestati consulatur, ad gratiae captationem, aucupationem, placendi studium spectare debet, quam declarauit variis signis, quod venienti obuiam processit, et sua manu in currum inpositum ipse auriga in vrbem inuexit. Aelianus V. H. 4, 18. qui ad Dionysium iuniorem refert. Sic Plutarchus c. 13.

3. *quem:* concinnius, puto, ad subiecti eiusdem tenorem: *quippe qui ipsum* — Causa autem haec fuit, quod liberius de tyrannis et tyrannide disseruerat.

rediit: Mortuo Dionysio maiori. Cf. supra.

4. *graui:* Sic plerique codd. Vnus *grauiter*, et hinc edd. aliquae, ex recentioribus Schmiederi. Sensus idem, sed illud elegantius, quo vsu adiectiuum a substantiuo suo auulsum pronomini relatiuo adnectitur.

sororis: est Aristomache; v. supra c. 1. in. *filii* Dionysius et Thearides. Plutarch. c. 6. vbi etiam in reliquis cum nostro consentit. *Natus ex* de patre. V. ad cap. 1.

putabat: indicatiuus; quasi ex auctoris mente dicta.

5. *non tacuerunt:* Schmiederus, quia sequentia nihil noui subiiciant, breuius et melius Nepotem dicturum fuisse putat: *hunc medici ad Dionysium filium sermonem retulerunt.* At sic multa auctorum loca amputanda sint, in quibus per ἐπεξήγησιν eadem sententia mutatis verbis factaque inuersione refertur. Hac enim amplificatione vsi concisam nimis et abruptam breuitatem euitant, nec in minuta segmenta diffluere orationem patiuntur. Tum vero, ne frigide talia langueant, ita sensu repetunt eamdem sententiam, vt posterior pars priori aliquid addat et aucta quasi redeat. Sic hic adcessit *ad Dionysium.*

cum eo: debentur hae voces sine codd. Lambino, quare vncis sunt notatae.

ſoporem: notat h. l. potionem ſoporiferam, quae parari ſolebat ex nigri papaueris vel cicutae ſuco. Plutarch. c. 6. dicit φάρμακον ὑπνωτικόν.

aegre: aptius videtur, quod multi codd. et quaedam vett. edd. exhibent, *ergo*, quod in narrationis progreſſione, vt *igitur*, et declarando euentu obportuniorem locum ſortiatur. Illud per ſe patebat.

vt: reiecit cum edd. vett. Wetzelius. Tuentur tamen codd., ex quibus inde a Boſio in editione altera adceſſit. Sustinet et iam Plutarchus c. 6. qui ſic refert: θανάτῳ συναίψαντες τὸν ὕπνον. Niſi hac quaſi adumbratione facta mortis ſpeciem declarare voluiſſet, rectius omnino hic verba illa plane poterat coercere. *Sopor* vero plus quam *ſomnus* eſt, latiusque valet.

obiit: quum regnaſſet annos 38.

CAP. III. 1. *Dionyſii:* iunioris. Tum nota duos genitiuos diuerſi reginiinis: quod quum fit, diuerſo tamen eorum ſono auribus conſuli ſolet. Ceterum ſimultatem illam non inde, ſed ex criminationibus aliorum de adfectatione regni repetit Plutarch. c. 7. et 12. ex ſuſpicione Dionyſii, quam mouerant Dionis virtutes. Diodor. 16, 6. Diſſenſioni tamen noſter in ſeq. ipſe obcurrit.

Platonem: v. ſupra ad cap. 2, 2.

2. *Eodemque:* τὸ *que* ſic paſſim, in primis a Suetonio, initio nouae ſententiae adpenditur, vt vel abeſſe poſſit, vel ſignificet vero etiam, praeterea. In re conſentit et Plutarchus, tantum quod ab inimicis Dionis et Dionyſii adulatoribus reductum ſcribit c. 11. f. vt, quum faueret tyrannidi, Platonem contra ſentientem obpugnaret. Rediit autem Hadria, vbi expulſus exſularat, quod inconſulto Dionyſio patre fratris filiam duxerat. Plutarch. c. 11.

hiſtoricum: ſcripſit enim Aegyptiaca, Sicula — quae perierunt.

tyrannidi: ita primus dedit Aldus, an ex MSS. ignoro, qui cum edd. Aldo prioribus habent *tyrannis*, quod et hodie aliqui praeferunt. Illud efficacius videtur: nempe non tam Dionyſio ipſi fauebat, quam tyrannorum imperio, tyrannidi; non tam homini, quam rei. Quam lectionem adſtruit etiam Plutarchus c. 11. f. et 12. in. Qui alteram lectionem amplectuntur, ad eumdem ſenſum recurrunt. Ceterum de formulis *non magis, quam, non minus, quam* tenendum eſt, illam recte poni, vbi minuendo, hanc, vbi

augendo partes aequamus; illa vim prioris maiorem esse negat, haec contra: quod ex ipsa partium comparatione et dicentis consilio diiudicari debet, nec temere et promiscue adhiberi.

Graecis: quidam codices, editiones etiam aliquae antiquae et recentiores omittunt. Plures addunt melius, quia de vtrisque separatim scripsisse videtur.

3. *deterritus:* plus quam dehortari, disuadere, periculi metu obiecto. Tum *aliquanto* non est, vt vulgo reddunt, et adhuc quidam, paullo, sed *multo*, *longe*, et hac terminatione ablatiui vim sustinet.

Cap. IV. 1. *triremem:* Plutarch. c. 14. extr. ἀκάτιον, actuarii nauigii genus; ipse Plato in epist. 7. pag. 103. Vol. II. Bip. σμικρὸν πλοῖον. Triremem igitur noster aliunde retulit.

Corinthum: exponi eum iussit in ora Italiae, (Plutarch. c. 14. extr.) vnde forte postea Corinthum petiit. Quod narrat Diodor. 16, 6. primum delituit apud amicos, post Corinthum fugit. Valerius Max. 4, 1. ext. 3. pulsum eum Megara contendisse scribit.

praeobcuparet: in hoc nexu est prior insidiis obprimeret. Dionysius certe Dionem conspirationis cum Carthaginiensibus suspectum habebat. Plutarch. c. 14.

2. *quae moueri:* exclusis vxore et filio, de quibus post. Plutarch. c. 15. χρήματα καὶ θεράποντες; Plato epist. 7. p. 142. οὐσία, quam tamen post venditam fuisse scribit a Dionysio. Cf. Themist. 2, 8.

salutis: Plutarchus c. 15. non φυγῆς, sed ἀποδημίας causa factum dixisse Dionysium scribit, et ne quid grauius in eum ob adrogantiam statueret.

3. *alii:* Timocrati, auctore Plutarcho c. 21. pro quo Polycrates vitiose fortasse legitur in Aeliano V. H. 12, 47.

filium: in nomine disensernnt ipsi veteres, vti ex Plutarcho c. 31. discitur. Alios enim Aretaeum, Hipparinum alios nominasse scribit. In Polyaeno 5, 2, 8. legitur *Hipparion.* Cf. Aeliani V. H. 2, 41. vbi in φιλοτοκίαις recensetur Hipparinus.

4. *obruebatur:* Verbum graue de molesta copia. Tum subiecti mutatione variare forte voluit, etsi concinnae elegantiae damno.

vsque eo: compone cum *ferre*, et sensum inde hunc tene: adeo aegre tulit mutatum aduentu patris statum, vt — Ceterum satis perplexe haec narrat Nepos, quod

mouiſſe videtur Longolium, vt ederet: *Is vero, poſtea quam — pater vsque eo vitae ſtatum commutarat (namque — dedocerent), ferri non potuit.* Sed inuidis libris.

adpoſiti: eleganter et proprie. *Victus* de vitae ratione ante commemorata.

de: omittunt alii codd. nuper Ricleſius, et ineſt in verbo, alii vel *de* vel *e* habent. Plutarch. c. 22. f. ἀπὸ τῆς τυράννου; ἔβλιψεν ἐκεῖνον ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν; et ſic Aelian. V. H. 3, 4.

CAP. V. 1. *Heraclides:* rei militaris peritus, at alias inconſtans et varius. Plutarch. c. 22.

multorum: regnauerat pater 38 annos, filius tunc 12.

2. *tyrannis:* pro *tyrannum* primus reſcripſit Lambinus, ipſa re comprobante. Senſus: tyrannis longa annorum ſerie conſtabilita et confirmata. In ipſa elocutionis forma duri aliquid ſubeſt.

pauci: quum non minus mille proſcripti fuiſſent a tyranno, tamen 25. ſe illi adiunxerunt, vti refert Plutarch. c. 22. vel 20. ſecundum Diodorum 16. 19. Ex aliis tamen in Zacyntho inſula, quod receptaculum futuri belli conſtituerat, conuenerunt 800. Plutarch. c. l. Pro iis 1000 habet Diodorus 16, 9. quos ſub eius aduentum in Sicilia ad inſignem numerum excreuiſſe addit.

3. *quinquaginta:* v. antea. Plutarch. c. 28. f. habet 45. Diodor. 16, 11. cum noſtro conſentit.

percelit: efficaciter, vt Graeci κατεπλήττειν. Cf. in Pelop. c. 2, 3. Dat. c. 6. 8. Verbum *adtigerat* apto dilecta poſitum videtur, ad ſubitum rei euentum declarandum.

4. *aberat:* Cauloniae in Bruttiis prope Locros relicto Syracuſanae arcis praeſide Timocrate. Diodor. 16, 11. Plutarch. c. 25.

claſſem: cui praeerat Philiſtus, poſt in nauali proelio victus et obciſus. Plutarch. c. 35.

5. *iis ipſis:* ſc. adiuuantibus. Omiſſo autem *cum* ablatiuum nudum poſuit, quum facti eſſent miniſtri: certe tales Nepos ſpectauit.

repreſſit: apte haec componuntur. *Spiritus* Graecis φρόνημα, ὑπερφρόνημα, θέρμα.

poteſtate: obſendere poteſt, vt *rò que* ſaepius repetitum, in tanta narrationis breuitate, quod proxime praecellit. At talia non ſemper curioſe vitat Nepos.

inſulam: ita pars vrbis adpellabatur, quae mari diiuncta anguſto ponte rurſum adiungebatur et continebatur,

vti eſt apud Ciceronem in Verrin. 4, 53. ex quo plura diſci poſſunt. Vrbis idem facit quatuor partes, vnde Auſonius de claris vrbibus 10. quadruplices vocat Syracuſas. Nempe quinta pars, Epipolae, minus erat habitata. *Oppidum* etiam de maioribus vrbibus.

6. *vellet:* ſignificanter. Non enim adcepit Dion pacis conditiones, vti de re ipſa conſtat ex Plutarcho cap. 37. et Diodoro 16, 13. Nempe in conditionibus diſſentiunt. Renitebantur autem in primis, Syracuſani, qui viuum tyrannum ſe capturos eſſe ſperarent.

Italiam: alii auctores, veluti Plutarchus c. l., referunt, id Dionyſium petiiſſe, vt abire in Italiam publica fide atque ibi habitare liceret, retenta parte agri Syracuſani, vnde fructus perciperet. Si quid igitur huc valet *obtineret*, alio ſenſu atque antea intelligi debet. Nempe condiderat ille in Apulia duas vrbes, (Diodor. 16, 5.) quas forte tunc etiam poſſidebat, et Rhegii praeſidium habebat. (Idem 16, 45. f.) At tunc illa loca iam tenebat, non item Dion Siciliam. Quare, quod dixi, diuerſo ſenſu ad ſingula haec transtulit *obtineret*, nec ſatis adcurate locutus eſt. Tum Syracuſas a Sicilia auulſas minus bene in tertia parte ponit, quum ſic poſſet: Siciliam praeter Syracuſas.

Dion: aut *Dionyſius*, quod inde a Lambino multi et hodie receperunt, legendum eſt, pro quo ex ſcribendi compendio libri dant *Dion;* aut *Dion* exemplo aliorum vncis cingi debet, tamquam in hoc nexu ſuperfluum, certe minus neceſſarium. Fuit autem *Apollocrates* Dionyſii maior natu filius, cui ille abiens arcem tradiderat, auctore Plutarcho cap. 37. quod certae fidei luculentum eſt teſtimonium.

Cap. VI. 1. *demergere:* elegantі metaphora, pro deprimere, deiicere.

adorta: ſic libri, et ſic alibi cum infinitiuo ponitur. Staverenus tamen *adorſa*, quod retinuerunt Harleſius et Huttenus; quaſi ab *adordior*; variatione alias etiam nota.

2. *ſuam vim:* Alii, olim maxime, nunc Bremius et Rathiius, *ſaeuitiam*, codicibus diſſentientibus, quorum plerique habent *vim ſuam*, vnus *ſuam vim*, intra quem ordinem vocabula illa etiam in editionibus iactantur. Sic ego, quum antea dediſſem *vim ſuam*, quod ſic praeirent plerique MSSti nec pronominis vis ſingularis illum locum hic poſtularet, nunc tamen, monitus a Kappio, mutata

priori forma, repoſui *ſuam vim*, quia ſic origo lectionis *ſaeuitiam* melius intelligitur.

vxorem: Areten; cf. ſupra cap. 4, 3. Hinc etiam et ex ſeqq. *reduxiſſet* intelligitur.

perdita: luxuriae vim damni notione adiecta auget.

ruinus: metaphora nota et hic apta. At ſecundum Aelian. V. H. 3, 4. οὐδὲν μετεβάλετο. Ceterum *parens* poſſit abeſſe. Forte per adpoſitionem adceſſit, tamquam parens.

3. *quod:* alii, et hodie, *quidem — concedens.* Diuiſe editum magis placet. libris etiam adſpirantibus. Quidam etiam *qui Dioni principatum* —

4. *rhapſodia:* Il. 2, 204. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. Ceterum nota hinc rationem, qua olim Iliada Homeri ſingulasque eius partes, ſeu libros, indicare ſolebant.

inuidia: ſenſu ciuili, quem nexus facile conſtituit, differt ab odio, quod contrahunt inprobe et nefarie facta, quatenus a iudiciis hominum conſtituuntur; haec ex nimiae potentiae, dignitatis, auctoritatis cupida adfectatione illarumque adrogante ſuperboque vſu: quare ad principes ciuitatis ſaepe refertur. Hoc in loco, vbi ſtudium ſpectat, eſt *Aufſehen*, *Bewegung*, vel, quod hodie frequentant, *Senſation*.

omnia: praeponunt multi et olim, et hodie quidam, *ſe*, quod antea cum Heuſingero vncis notaueram, nunc praeeuntibus Harleio et Hutteno, nuperrime etiam Rieſlio, plane eieci, quia codices ignorant. Centies ſic obtruditur, vbi commode ſubpleri poteſt, vel ſubpleri volunt auctores.

5. *obſequio:* eſt indulgentia, facilitate ad aliorum rationes cauſasque adiuuandas adcommodata. Notum eſt Terentianum illud in Andria 1. 1, 35. *obſequium amicos, veritas odium parit*, vbi ſimul luculenter deſcribitur. Hinc vero adparet ſenſus vbpoſitae vocis *acerbitas*, quae augetur iniecta notione moleſtiae et mordacis doloris. Similis obpoſitio eſt in *lenire* et *obprimere*.

inuerecundum: per Corinthios. Plutarchus cap. 53.

Cap. VII. 2. *ſumtus:* refer ad liberalitatem, amicis et militibus praeſtitam, quum ipſe modeſte et modice viueret. Plutarchus cap. 22. in. In *dispertiit* et *diuiſis* nota variationem.

rapax: de aperta et violenta cupiditate, et, quod praecedit, pro eo, quod conſequitur, rapere, auferre.

in: quidam omittunt et tum referendum eſt ad *ſubpetebat.* At codices addunt, vnde cum *porrigeret* componi debet.

huiusmodi: hatte die Folge, Würkung.

amitteret: ex nexu intelligitur de optimatium fauore.

3. *exiſtimari:* iudicium inſerit, et ſic exiſtimatores, Kenner. Sequitur aeſtimationem, quae eſt differentia.

in coelum: de ſummis laudibus. Igitur etiam proſaici et pedeſtres auctores hac formula vtuntur, cuius exempla ſimilia obcurrunt paſſim.

CAP. VIII. 1. *intuens:* Codices etiam *metuens:* vt in Alcib. c. 4. in.

euaderent: de exitu, euentu; et *quorſum euaderent* locutio eſt Terentiana de incerto rerum exitu.

Callicrates: neſcio, quem ſecutus, quum alii omnes *Callippum* vocent. Certe inſignior ſit corruptio, ſi a librariis fluxit hoc nomen hic et infra.

acutus: cum augmento additur et plus valet quam exercitatus. Sed omnino *callidus* vſu et exercitatione, *acutus* naturae bonitate.

ait: tene ſedem verbi et ſtructuram, quum *τὸ inquit,* quo alterius orationem ipſa et eadem locuti forma referunt, inferatur.

2. *in:* quod abeſt a multis codicibus, et alibi etiam a noſtro omittitur, vncis primus incluſit Heuſingerus, ſed quidam nunc, veteres editiones aliosque codices ſecuti, remouerunt. Praepoſuit certe in eadem formula in Themiſt. c. 9, 2. Att. c. 10, 2. etſi et ibi quidam laceſſunt.

odium: at militibus bona aduerſariorum dispertiuerat. Nempe ita ſolet vulgus. Exhauſta largitionum materia a fauore in odium conuertuntur animi. cf. c. 7, 1. 2.

alicui: igitur non ſemper in hoc connexu ſyllaba *ali* abiicitur, cuius etiam Cicero exempla praebet.

diſſidenti: ſc. a Dione, vt nexus ſuadet. Durius cum Perizonio cum *eius* coniungas et *ab eo* explices. *Inimici,* quum per ſe ex praecedenti *aduerſarios* intelligatur, moleſtum eſt. At talia paſſim, vti aliquoties notatum eſt, in aperto licet breuitatis ſtudio obiicit.

forent: pro *eſſent* obfendit Schmiederum, qui ad Patauinitatem Liuii, vbi is talia habet, referre malit. Attamen non ſemel ita ponit ipſe Cicero, et, ſi ſimpliciter futuri vicem ſuſtineat, nemo recte cum participio prae-

teriti ponere poſſit, quod tamen crebro fieri notum eſt. Nempe cum participio *κοφλατως* ſaepe valet.

3. *partes*: ab hiſtrionibus ducta metaphora, qui aliorum vultus, mores, ſermones in ſcena imitantur et reddunt. Tum *excipit* nunc cum Harleſio et quibusdam aliis reuocaui ex prioribus editionibus, etſi vetuſtae cum codd. pluribus praeferunt *excepit*, et viri aliqui docti enallages, dubiae illius figurae, ope defendunt. Sic vtrumque tempus poſt cap. 9. vagatur.

armat: eleganter, quod imprudentia Dionis, tamquam armis, praeſidiis, adminiculis, vtebatur.

coniurationem: legitur etiam *coniuratione*. Illud magis placet, quia ſic ſingulatim et diſtinctius partes perſequendo ad finem progreditur. *confirmat* grauida breuitate, quia factam includit.

4. *gereretur*: coniunctiuus, quia cauſa ſubeſt.

deſertur: alii *refertur*, nec id ſine codicibus. At et illi dant *defertur*, quod in hoc nexu eſt proprium. *Elata* ſc. in vulgus.

conueniunt: ſc. eum. Duriorem hic ellipſin puto, quia non in vniuerſum valet ſententia, neque tamen vel ſic inſolitam. Cf. cap. 9. 5.

fieri praecepto ſuo: nempe *dicit*, quod ex contrario *negat* repetendum eſſe, non res ipſa ſolum docet, verum etiam particula *ſed* indicat. Sic paſſim *veto*, *nolo*, ex quibus elicitur *iubeo*, *volo*, ex *ne*, *vt*, et ſimilia. Praeceptum autem discrepat a iuſſo, ſic vt rationem, modum rei perficiendae innuat.

5. *iurare*: *τὸν ὅρκον ἔχειν* dicit Plutarch. cap. 56. et ritum deſcribit ſolennem. Hinc deinceps *religio* intelligitur. Cf. in Ageſilao c. 4. 5.

ab incepto: vncos multi admouerunt inde a Boſio, quia in plerisque MSS. et edd. vett. deſiderantur.

conata: ſic in Pauſania c. 3. in. *cogitata*; illud etiam forma et vi paſſiua in deponenti. Volunt tamen *conata* pluralis numeri ſubſtantiuum eſſe. In *perfeciſſet* nota temporis veram rationem, quam melius Latini ſequuntur.

Cap. IX. 1. *mente*: conſilio, propoſito, vt ſaepe.

feſto: Proſerpinae. Plutarch. cap. 56.

edito: nempe ſolebant veteres, vbi ſecreto et ſine arbitris aliquid agendum erat, editam domus partem petere. *Conclaue* *οἴκημα* Plutarch. c. 57.

conſciis: nota abſolute poſitum, etſi nexus adiuuat. Libri etiam *ſóciis* vel *conſciis facinoris*, quod ex gloſſa adceſſiſſe videtur.

ſepit: alii haec omnia praeterito tempore efferunt, adenſu etiam librorum quorumdam. Praeſens praefero ex aliis libris in declarando adparatus ſtudio et celeritate. pſum autem verbum plus valet, quam cingit, et rem ntendit.

certos: fidos; deinceps *armati* ſunt milites, vti Virgius dicit Aen. 2, 485. ſed et Livius et alii paſſim, etſi exus conſiderari debet.

2. *ornat*: quod alias aptam et iuſtam rerum copiam ndicat, pro ſimplici *inſtruere* hic eſt poſitum. Poſſis amen et prius ad milites transferre.

quo: alii *qua* ex vna quidem Codice, quod et hodie nulti poſuerunt vel defenderunt, ſic vt referretur ad *nauem*, cuius ope ſalus quaeri poſſet. Neque valde nunc eluctor. Heuſingerus, pro altero propugnans, explicat *n nauem*, nempe tamquam ſalutis arcem apud ſocios et oniuratos. Bremius tamen latius intelligi poſſe putat, vt t ad praecedentem ſententiam referatur, *vt haberet* ſc. liquid, *quo*. — Tum forte *ad ſalutem* obſendat, quia uplex cauſſa obtruditur.

3. *Zacynthios*: Zacynthos maris Ionii inſula, h. *Zante*, nde ſoluerat.

viribus maximis: variatio loco ſimplicis adiectiui.

ad Dionem: edd. vetuſtae et aliquae ex recentioribus raeponunt *vt*, quod cum codicibus, aliorum exemplo onfirmatus, addicente etiam linguae vſu, omiſi.

venire: rectius forte videatur *veniſſe*, ex vera vi huius erbi. At ita non ad Dionem proxime refert, ſed latius xtendit ad alios ſpectatores, cuſtodes. Nempe venire ad ionem i. e. adcedere.

4. *notitiam*: tamquam noti. Tum *exaudiri* proprie.

5. *ante*: cf. cap. 5, 3. *Singularis potentia* eſt monarhiae ſ. dominationis notatio, quam et Tertullianus aduerſus raxeam cap. 3. explicat: *ſingulare et vnicum imperium*.

vita: ſc. eorum. Cf. cap. 8, 4. Ceterum tragicum illud ictum reſpexiſſe videtur, quod poſt Caligula frequentauit, Sueton. cap. 30.) *oderint, dum metuant*. Idem in Timol. ap. 3, 4.

6. *propitia*: quidam codd. et edd. antiquae *propria* e. ſtabilis, perpetua, vt ſupra in Thraſyb. cap. 4, 3.

quod tamquam elegantius non ſpernendum cenſet Haleſius. Forte tamen hic ex ſcribendi compendio ortum eſt.

Lyco: pro *Lycon*, vti *Dion* dicitur; nimirum prout vſus inualuit. Gr. Λύκων ex more.

interfectus eſt: adde ex Plutarcho cap. 57. quod ſororem eius cum coniuge praegnante in carcerem coniecerunt, in quo filium peperit.

CAP. X. 1. *confecta caede:* poterat hanc narrationis partem ad pauciora verba redigere et arctius ſummam continere. Perpende haec: 1. *confecta caede;* 2. *rumore dilato;* 3. *palam factum eſt.* Tum *rumor*, quum re praecederet inruptionem populi, debebat etiam verbo praecedere. Idem obſeruatur in *introiſſet* et *concurrerant.* Recte igitur de his monuiſſe videtur Schmiederus. Ceterum de hoc populi concurſu et tumultu nihil legitur apud Plutarchum.

inmerentes: Kappius explicat ſic, vt ſenſus ſit, promiſcue, quod fit in tumultibus, vtrosque obcidunt. Neque enim credibile eſt, ſolos inmerentes obcidiſſe. Recte, niſi quis in hoc connexu duri aliquid et inſoliti ſubeſſe putet. Alias intelligere ſic poſſis: inmerentes etiam ſ. adeo, tamquam ſceleratos, vt paullo ſuperius *nonnulli pro noxiis.* Nempe poſterius per ſe patet, prius caecam populi iram declarat.

2. *de morte:* rarior ſtructura, etſi obcurrit; vſitatior eſt in Hannib. cap. 7. extr.

mirabiliter: ex ſenſu hominum rem auget. Sic *mirifice*, *mire*, *mirum in modum*, quae ex Cicerone nota eſſe poſſunt.

iidem: ita ex duobus MSStis nunc repoſui cum Wetzelio et Rickleffio, vti iam ante eos coniecerat Bremius. Vulgata lectio dat *eumdem*, quod in hoc nexu, quum praecedat *eum*, languet, nec adfert, quod τῷ *viuum* reſpondeat. Porro non dicit *quem viuum*, ſed *qui viuum.* Ita vero magis, quod volebat, percutiunt ſenſus mutati ſubito hominum animi.

ſi poſſent: propius ad tempus actae rei transfert. Alias, *ſi potuiſſent.* Non deſunt exempla ſimilia, in primis vbi praecedit connexum *ſi.*

Acheronte: docte ad mythica adludit, vt Cicero pro reditu ad Senat. c. 10.

3. *publice:* alii variata diſtinctione ad *elatus*, alii ad *donatus eſt* referunt; alii denique omiſſa omni diſtinctione

eligendi arbitrium faciunt. Equidem refero ad *elatus*, vt ſit comitantibus magiſtratibus, frequente populo, vel omnino publico ſumtu. Cf. in Ariſt. cap. 3, 3. Con. cap. 4, 3. Timol. cap. 5. extr. Tum *elatus* durius cum *loco* nectitur, vel, ſi abſolute poſitum velis, ieiunum ſit, quum per ſe id conſtet. Contra monimentum publicum rectius intelligitur. Ceterum quod interponit *elatus*, poterat id melius praemittere ſic: *publice elatus et in vrbe c. l.* vel *in vrbis c. loco.* Forte tamen diſtinctius et per partes voluit deſcribere, i. e. quum elatus eſſet publice. Verbum autem ipſum *efferre* de funeribus vſitate dicitur. *Celeberrimo* vt *celebritas* in praef. §. 6.

ſepulcri: poterat omittere; ſocium tamen patitur ſignificatio propria vocis *monimentum*.

IPHICRATES.

CAP. I. 1. *magnitudine:* quidam olim a codice aliquo inuitati legebant *non tam genere, quam magnitudine r. g. diſciplinaque* — vel, *non tam genere aut magnitudine r. g. quam diſc. mil.* Nempe obſcuro loco natum eum ſcribit Plutarchus in Apophthegm. p. 708. Vol. 6. ed. Lipſ. et ſutoris filium facit Suidas. Porro generis mentionem noſter ſolet praemittere. Forte tamen, cum ipſa res non cogat, vnius libri auctoritatem ſequi, diſerto id noſter ſilentio prodidit, et verbo *nobilitatus* id innuit.

dux: inde ab anno aetatis 20. Iuſtinus 6, 5, 5. cuius locus propter elocutionis variationem cum noſtro vtiliter conferri poteſt.

cum: non ſatis apto loco ſequi videtur. Poſt durius abeſt *huic*.

2. *eſt:* nunc cum Heuſingero et aliis recentioribus quibusdam ex vno codice et edd. priſcis inſerui, quum *verſatus* non ſit participium cum *praefuit* connectendum, ſed, vt reliqua, locum ſuum ſingulatim et ſeorſum teneat.

ſua: codices, vt editiones, aut addunt, aut omittunt. Quum videatur aliarum culpae obponere, expellere nolim. Sic in Aegypto Pharnabazi culpa male res ceſſit. Diodor. 15, 43. Cf. etiam ad cap. 2. f. Vncos igitur antea adpoſitos nunc reieci.

conſilio: hinc στρατηγικὴν ἀγχίνοιαν illi tribuit Diodor. 15, 44. qui cum noſtro vtiliter conferri poteſt.

multa: abeſt in quibusdam libris, et, quod abeſſe poſſit, vncos admouit Heuſingerus. Iudicium in vtramque partem dubium, etſi meum quidem ad ſeruandam vocem magis inclinat.

1. *peltam:* vel ex nexu adparet breuiorem fuiſſe parma. Forma eius varia, ſine vmbone tamen. Pro parma *σκύτη* habet Diodorus vel *peltae* vocem retinuit.

peltaſtae: πελτασταὶ antea dicti Diodoro auctore.

loricarum: de iis nihil legitur apud Diodorum, qui tamen monet, plura ab Iphicrate inuenta fuiſſe, quae attingere ipſe noluerit. Sic quos ille commemorat calceos ſolutu faciles et leuiores, noſter aut ignorauit aut praeteriit.

ferris: inde ab Aldo legitur in multis edd., quibus et nunc quaedam adcceſſerunt, *ferreis;* ante eum omnes praeferebant *ferris*, quod vix ex notiſſimo illo vocabulo prodiit. Quod enim reluctatur Bergſtraeſſerus, ita ſpeciem ſeu formam generi a Nepote praeponi, duo potius ille genera indicat, quorum alterum circulis ſ. annulis conſertum erat; (Kettenpanzer) alterum laminis conſtabat. Illas Graeci vocant *κλιβανίους*. Plura de his armis peti poſſunt ex Potteri Archaeologia Graeca.

lineas: earum vſus apud varias gentes, Romanos etiam, ex Auctoribus diſcitur. Cf. Homer. Il. 2, 529. 830. Sueton. Galb. c. 19. — Nempe linum probe maceratum ad eam craſſitudinem cogebatur, vt ferro reſiſteret.

Cap. II. 1. *cum Thracibus:* ab Athenienſibus miſſus, fugauitque Anaxibium, Lacedaemoniorum ducem. Xenoph. hiſt. Gr. 4, 8. 1.

Corinthum: nempe Spartani exſules Corinthios reducere tentabant, quibus obnitebantur Athenienſes. Xenoph. hiſt. Gr. 4, 4. Diodor. 14, 86. Hinc *Corinthium bellum* vocatur in Ageſil. cap. 5. in.

neque: notandum, quum praecedat *nullae*, quod et ſit paſſim in Cicerone, vſu Graeco.

dicto: cf. ad Lyſandr. c. 1, 2.

3. *moram:* apud Lacedaemonios fuit pars exercitus, quae complectebatur milites 500 vel amplius, pro temporum ratione, diuidebatur in 4 *λόχους*: praeerat *πολέμαρχος*.

intercepit: libri et ſcripti et editi fluctuantur; alii enim *intercepit*, alii *interfecit*. Si aliorum auctorum narrationes conferas, vtrumque congruit. Sic et Aeſchines in Cteſiph. p. 531. ed. Reisk. dicit *ἀνᾄρηκεν*. At *intercepit* facilius mutari potuit, et de ſubita oppreſſione

ex insidiis factis, quam describit Xenoph. in hist. Gr. 4, 5, 11 sqq., eleganter ponitur.

Iterum: de eo nihil certi aliunde constat.

4. *Artaxerxes:* Mnemon.

Aegyptio: Aegypti regem Diodorus 15, 29. vocat *Acorin*, post cap. 42. vbi prolixius de illo bello exponit *Nectanebim.* (s.) Quae quidem ex diuersa temporum ratione in ipsa belli duratione et progressione facile componuntur. Ipsum bellum dissidio ducum parum, vt supra notaui, subcessit.

conductitio: Cf. in Chabr. c. 1, 2. *Mercenarios milites* pro eo habet in Timol. c. 1, 3. qui Graecis sunt μισθοφόροι, vti etiam vocat Diodor. 15, 41. At idem adnumerat 20,000.

Fabiani: sine dubio sic dicti a Fabio Maximo, Romanorum duce celeberrimo in bello Punico 2. Eius disciplina passim etiam laudatur, veluti a Velleio 2, 5. Valent etiam huc sequentia.

5. *Lacedaemoniis:* qui post cladem Leuctricam Athenienſium auxilium, etsi multa his mala intulerant, implorauerunt. Cf. Xenoph. in hist. Gr. 6, 5.

inpetus; ita plerique editores, etiam recentiores, quorum iudicio nunc cessi. Aliqui enim *inceptus*, vt et ego antea dederam cum Bosio in ed. 2. et Stanereno. Nempe vtrumque exstat in MSStis. At quum insolentior sit forma vocis *inceptus*, etsi in Valerio Flacco 6, 124. obcurrat, et similibus, veluti *actus*, *ausus*, *raptus*, inlustrari possit, tamen in primis parum apte respondet adposito verbo *retardauit*, quod melius ad inpetus refertur, quod et factum est a Cicerone. Ceterum ipsam rem Agesilao tribuit in eius vita Xenophon cap. 2, 24. et noster cap. 6. in. Contra Diodorus 15, 65. narrat, Epaminondam in ipsa vrbis obpugnatione cum magna suorum clade repulsum ad agros vastandos discessisse, Athenienses, tardius adnenientes, temere et inutiliter in Atticam reuertisse. Iphicratem etiam ipsum grauiter reprehendit Xenophon in hist. Gr. lib. 6. extr.

Cap. III. 2. *remissus:* qui pugnare secum Nepotem in cap. 1. volunt, cogitent verba Theopompi, scriptoris maledici, (in Alcib. c. 11. in.) referri, si ad varias vitae vices, quales in Alcibiade noster descripsit c. 1, 3. et 4., recurrens detrectes.

G

duobus: Amyntas, Macedoniae rex, ex Eurydice, quam exegerat Pauſanias, 3 filios ſuſtulerat, Alexandrum, Perdiccam et Philippum, Alexandri M. patrem, tum filiam Eurynomem. Iuſtin. 7, 4, 5. cui adde Aeſchinem de falſa legatione p. 211. ed. Reisk. vnde haec narratio magis illuſtratur. *Puer*, vt παῖς in Graecis, pro filius.

2. *ſociali:* quod per triennium Athenienſes geſſerunt contra Byzantinos, Chios, Rhodios et Coos, qui foedere inito Athenienſibus bellum intulerant. v. Diodor. 16, 7. noſter in Chabr. c. 4. in. Timoth. c. 3. Orationem ab Iphicrate in iudicio habitam laudat Dionyſ. Halicarnas. de Lyſia p. 480. opp. Vol. 5. ed. Reisk. Stricto gladio iudices terruiſſe et abſolutionem expugnaſſe narrat cum aliis Polyaenus 3, 9, 29. vbi omnino multa de Iphicrate congeſſit.

4. *Meneſthea:* cf. in Timoth. c. 3, 2. Alium filium cognominem, quem in magno honore habuit Alexander M., memorat Arrianus de exped. Alex. M. 2, 15.

Coti: et nunc retinui ob codices et hic et in Timoth. c. 1, 2, vbi itidem praeferunt *Cotum*. Editiones, vt in aliis locis viri docti, de ſcriptura ambigunt, et vel *Coti* adponunt, vel *Cotyis*. Sic *Phorcys* et *Phorcus*, etſi multa Graecum *ys* ſeruant, in quo vſus dominatur a librariis quidem ſanctius.

matremne: codd. aliqui et edd. adpendunt *ve* pro *ne*, quod hic locum non habet, quum duo reſpiciat τὸ *vtrum*, inter quos eligendi data erat poteſtas, quam altera particula *ve* praecidit. Retinuit tamen hoc ex recentioribus Bremius.

at: in refutando cum indignationis aliquo ſenſu. Nempe *at* coniungi debet cum *facio*.

genuit: Codices addunt praeterea *creauit*, quod verum videtur et de vtroque parente dicitur.

CHABRIAS.

CAP. I. 1. *multas:* quas perſequitur deinceps, omiſſa tamen mentione victoriae naualis apud Naxum, forte quia tunc Phocion dux fuerat. Res ab eo praeclare geſtas breuiter enarrat Demoſthenes in Leptin. p. 479 ſq. ed. Reisk. ſ. p. 77. ed. Wolfii.

in proelio: nempe μισθοφόρων ἡγούμενος fuit. Diodor. 15, 32. vbi etiam illud prolixius deſcripſit. Athe-

nienſes enim in bello illo Thebano Thebanorum partes erant amplexi.

2. *in eo:* ita ex ingenio, poſtulante ſenſu, repoſuit Lambinus, quum antea in libris exſtaret *in ea victoria fidentem.* Nam de victoria nihil praeceſſit, nec habet adcuſatiuus, vnde pendeat. Senſus eſt: Cum in eo proelio iam certus eſſet victoriae Ageſilaus.

obnixoque: Diodor. 15, 32. τὰς ἀσπίδας πρὸς τὸ γόνυ κλίναντες; Polyaenus 2, 1, 2. τὰς ἀσπίδας εἰς γόνυ ἐρεισάμενοι. Agitauit hic locus doctorum virorum ingenia, in quibus Leſſingii, qui de eo diſſeruit in libro egregio *Laokoon* p. 286 ſq. vbi ſtatuam gladiatoris illius Borgheſiani Chabriae vindicare ſtudet, et, vt id efficiat, diſtinguit *obnixo genu, ſcuto proiectaque haſta.* At tum *obnixo* hic quidem acerbius priuatur ſubſtantiuo, cui adhaereat, et ſuperiora Graecorum loca reluctantur. Cf. etiam eiusd. antiquariſche Briefe T. 2. p. 1 ſqq.

proiecta: i. e. porrecta, cum qua voce etiam alibi commutatur. Editiones, maxime veteres, adpendunt *que* vel nudum vel, vt recentiores multae, vncis munitum; quaedam plane eiecerunt, adſentientibus ipſis Codicibus. In vtramque partem agitari disputatio poteſt. Recte adiicitur, ſi in his participiis ablatiuos, quos vocant, conſequentiae adnoſcas; abeſt contra, ſi id de *obnixo* tantum valeat, et verbis *proiecta haſta* militaris ſtatus forma et habitus declaretur, ſic vt propius ad excipiendum inpetum hoſtilem pertineat. Cui quidem ſententiae momentum addunt codices. Ex ſuperiori *vetuit* repete *inſſit.* Cf. ad Dion. c. 8, 4.

contuens: olim edd. quidem *intuens.* Illud eſt codicum et auget.

3. *tota Graecia:* Sic codices, et noſter ſupra in praef. §. 8. olim maxime edd. aliquae praeponebant *in.*

artifices: veluti ſcenici, muſici, pantomimi.

Cap. II. 1. *ſua ſponte:* Sic in fine capitis et in Pauſan. c. 3, 1. i. e. nulla publica auctoritate et decreto, quo ſenſu mox obponitur *publice.* Hinc Ageſilaus apud Plutarch. in vita cap. 37. ad eum κατὰ σεαυτὸν ἀφιγμένος, et de ſe ἐγὼ δ' ὑπὸ τῆς πατρίδος ἐδόξην Αἰγυπτίοις στρατηγός Sic Diodor. 15, 92. δημοσίᾳ et ἰδίᾳ obponit. Videtur autem tunc exſul in Aegypto egiſſe, quod omnino refert Athenaeus 12, 8. p. 532.

gesit: repete ex superioribus non tam *multa*, quam vocem Lambinus et alii quidam contra libros adiecerunt, quam *fuit*. Nempe unum hoc commemoratur a Plutarcho, Diodoro et Nepote in vita cap. 2. in quo clari praefuit.

Nectanebis: vulgo legitur *Nectanebum*, et variatur nomen in antiquis. vt infra in Ages. c. 3, 1. ad quem locum, vt hoc Nepotis conflictum, scripturam hic adcommodandam putavi. sed ipsa quoque res variatur. Alii enim cum Apsino Tarbium adiunxit, et hoc deficiente constantem eidem praefuisse narrant; alii virumque diuersum putant, velut Wesseling. ad Diodor. 15. 42. quorum hic Tachos subtexerit et a plerisque Nectanebis adpellatur. At eodem auctore 15. 29. Ac tum primum populi arcessitus adiuvit contra Artaxerxem, Persarum regem. sed paullo post a civibus inde reuocatus et contra Iphicrates dux Persis missus est, de quo in eius vita c. 2, 2. Quidquid est, quum singula hic enarrare non licuit, rediisse post in Aegyptum, et Nepos minus accurate et luculenter de hoc expositisse videtur.

2. *Exercere*: de hac expeditione plura dabit in primis Xenophon in hist. Gr. 7, 1. 10.

aduersus: contra Artaxerxem Mnemonem, qui et in seq. intelligitur.

deliberaret: proxime ad ipsum rei tempus adcommodat. Vsitatius alius dicere poterat *deliberasset*.

2. *a quibus*: locus. ii quibus alius, vexatus varieque tentatus. Neque enim, quod primo intuitu et vsitata via obiicitur, socium suum spoliasse videtur, nec, ii *a quibus* ad Aegyptios pertineat, eorum de iisdem intelligi potest, sed de Lacedaemoniis. Codices in vulgata lectione firmiter perstant. Ex iis, quae ad expediendam difficultatem adtulerunt interpretes, putiora haec et quasi delibata propinari possunt: a) *a quibus*, i. e. a quorum partibus. At etsi *ab aliquo stare* simpliciter recte dici potest, non tamen adiuncto substantivo, vt hic *praedae*; nec, si absolute ea ponta velis, i. e. a quorum partibus quum staret, altius tamen repetitam explicationem argutiusque etiamnum difficeris. b) Alii *praedae* de praemiis, commodis explicant, quae Agesilaus ab Aegyptiis adcepta tulerit, eo sensu, quo in Timotheo c. 1, 3. dicatur, *a quo quum Iason pecuniam numeratam adcepisset*. Tum vero satis impropria posuit in hoc nexu, nec cupidae

auaritiae et rapacitatis notio inde excludi poteſt. cf. Tibullus 2, 3, 38. 3) Alii deleta praepoſ. *a* ſimpliciter legunt *quibus*, et datiuum commodi habent, tum etiam *rex* mutant in *dux*, quod quidem poſteriori ſententiae parti medetur. At noua priori labes adſpergitur ex ſenſu, quod non videtur in ſociorum vſum praedas conlegiſſe, ſi vel in mutatione vocis *rex* adquieſcas. 4) Ab aliis excluditur *rex eorum*. at ita prior difficultas reſidet de ſociis Aegyptiis. Hinc porro 5) aliqui verba *Athenienſes — cum Aegyptiis* parentheſi includunt; quae quidem hinc inferatur paullo longior, nec ad dispellendam obſcuritatem valeat. Certiora tamen, quae ſubſtituam, ipſe non habeo, et aegrotum locum peritioribus ſanandum relinquere cogor.

ſuâ ſponte: cf. ſupra ad §. 1. At Tachum adiuuiſſe, non Nectanabin, narrat Plutarchus cap. 37. vbi tamen de Ageſilao conſentit.

Cap. III. 1. *praefecti:* proprie Pharnabazus ſummus Perſici exercitus dux fuit. Diodor. 15, 29. At idem, quae hic ſubiiciuntur, refert ad bellum ab Acori, Aegyptiorum rege, contra Perſas moto. Igitur vel omnia miſcet Nepos, vel eſt idem bellum longius et per plures annos tractum ad aliosque reges propagatum, cui adceſſit defectio Nectanabis, qui remoto Tacho imperium adpetebat. Tum vero rediit Chabrias et bis iniuſſu populi bello praefuit.

cum: vna cum, tamquam ſocius. Eſt Graecorum ἅμα.

certain: omitti in hoc nexu ſolet.

2. *Non enim:* ducta haec ſunt ex Theopompo, cuius verba ſeruauit Athenaeus 12, 8. p. 532. vnde ſimul intelligitur, quem potiſſimum auctorem noſter in hac narrationis parte ſecutus ſit.

3. *emittere:* aptius adcommodatur ad altius, quam, quod aliqui codd. et edd. habent, *emergere*; verbum alias elegans, ſuo quidem loco poſitum.

opulentium: nempe *opulentius* dicitur et *opulens*, vt *violens* et aliqua alia. Ricleſſius hanc vocem tamquam ſuperfluam et hinc ſpuriam vncis incluſit.

intuuntur: antiquam hanc formam, in Plauto, Terentio, Lucretio obuiam, tuentur codices. Ante Boſium in edd. vulgatum exſtabat *intuentur*, quod et reuocare nuper maluit Wetzelius. At antiquas formas captare noſter ſaepe videtur, v. c. *pernicii*, *parſerat*. Quare, reluctantibus etiam codicibus, noſtro obtrudi non debent, aut omnes

cum iis probes, aut iis contemtis nullas. Ceterum si bene habet indicatiuus et a Nepote positus est, ex ipsius haec mente et sensu dicta sunt. Sin vero coniuncta arctius prioribus adhaerent, vel eodem modo, quo hic, antea legendum est *detrahunt*, quod et habent edd. quaedam, vel h. l. *intuentur*.

4. *fecerunt idem*: glossae nomine haec verba damnarunt interpretes quidam docti. At iis patrocinantur codices, nec hanc amplificandae orationis formam fastidiunt auctores optimi. in quibus Cicero, veluti de Offic. 1, 1. in. Nempe hac forma, quod singulatim erat dictum, latius complectuntur.

futuros: ita codices scripti: editi quidam libri *afuturos* vel *abfuturos*, quod nec hodie omnibus displicuit; nec omnino temere. Sic in Agesil. c. 5, 2. Sed et altera forma simili in nexu passim reperitur.

Cypri: aperte hic, si structuram spectes, insularum nomina urbibus aequauit a regionibus distincta. Ceterum ex Theopompo etiam haec transtulisse, idem Athenaei locus antea notatus docet.

Sigeo: Troadis notum promontorium, h. *Iamnizari*, cum urbe cognomini, quam hic innuit. Male cum MSS. et hodie quidam per *ae* efferunt, vt *Museum* vulgo, quum in Graecis scribatur Σίγειον.

eorum: si cum *factis* — coniungas, tollenda est distinctio interposita, et sic, quod nec Cicero respuit, hominem ipsum cum hominum factis comparat; sin retinueris distinctionem, sunt illi ablatini hoc sensu positi; qua facta et mores, vel, si facta spectes et mores. Ceterum Charetem ignauum et luxuriosum auctores describunt.

CAP. IV. 1. *sociali*: συμμαχικὸν πόλεμον Graeci vocant. Cf. ad Iphicrat. c. 3, 3.

Chium: insula fuit maris Ionii cum urbe cognomini.

privatus: nota obpositum *in magistratu*, qui h. l. de imperio dicitur. Attamen Diodorus 16, 7, commode hic consulendus, eum classi praefuisse narrat, Charetem pedestribus copiis.

adspiciebant: vt *adspectare*, *intueri*, *respicere* significantiori sensu causam includunt, i. e. reuereri, obseruare. Ante *praerant* subintellige *eos*, et nota periphrasin ducum.

circumfusus: eleganti metaphora hostium vndique instantium multitudinem exprimit. Tum notanda orationis

Latinae forma, qua *τὸ quum* participio praemisso subiici solet, quod in primis frequentat Livius.

rostro: sc. hostilis nauis.

3. *suberat:* nec tamen suberat, quia non erat sequuta, neq, si suberat, id agebat, vt natantes exciperet. Igitur forte leg. *subierat*, nempe conspecto Chabriae sociorumque periculo, vt auxilium ferret et seruaret. Ne tamen argutari videatur, consequens posuit pro antecedente, ex quo illa conciliantur.

natantis: pro *natantes*, vti nunc plerique, antiqua forma volunt codices, quod, quum talia passim Nostor aucupetur, secutus Bosii aliorumque iudicia, reliqui. Pluralis certe praeferendus *τῷ natantem*, quod habet vnus codex et multae olim editiones ante Bosianam primam. Ita nempe ad alios etiam eadem naue vectos melius refertur.

maluit: elegantiori situ poterat haec verba struere: *perire, quam armis abiectis — relinquere maluit.* Sed vt id non est perpetuum, ita vulgarem ordinem in seruanda narrationis simplicitate sequi statuit. Sic et post poterat: *id* s. *quod quum ceteri noluissent*, vel etiam hic *nollent*, *nando* — Ceterum arma abiicere summum erat militibus dedecus.

in qua — vectus: verba haec ex glossa male intrusa esse existimat Oudendorpius. At sine codicibus difficile est in his iudicium, nisi languide frigeant, quum talia magno numero obuersentur, quae saluo quidem sensu recidi et abiici possunt. Molestius adeo in nostro quaedam redundare obseruatur.

praestare: Diodor. 16, 7. haec ita eloquitur: *ὁ δ' ἀντὶ τῆς ἥττης ἀλλαξάμενος τὸν αὐκλεᾶ θάνατον ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ τῆς νεὼς καὶ τρωθεὶς ἐτελεύτησε.* Similes vero sententiae in laudanda militum virtute celebrantur saepe in auctoribus, veluti Tyrtaeo.

TIMOTHEVS.

CAP. I. 1. *Cononis:* ex Thessa eaque pellice.

disertus: Diodor. Sic. 15, 36. *πείθων μὲν διὰ τῆς τοῦ λόγου δυνάμεως, νικῶν δὲ δι' ἀνδρίαν καὶ στρατηγίαν.*

inpiger: agendi alacritatem, alterum constantiam indicat.

peritus: etsi inuidi aemulique res ab illo egregie gestas fortunae tribuerunt, vt narrat Plutarchus in Sulla c. 6.

2. *Olynthios:* nempe eorum vrbibus expugnatis. Olynthus vrbs Macedoniae. Byzantium in vulgus notum. Prius adtingit Demosthenes in orat. Olynth. 3. p. 22. ed. Reisk. posterius ex solo Nepote innotuit, et forte factum eo eodem tempore, quo gesta sunt ea, quae cap. 3. narrantur.

Samum: Ioniae fuit insula. Ante bellum sociale id factum esse debet, ne ipse Nepos sibi aduersetur in iis, quae commemorat cap. 3. Expugnasse autem omnino affirmat etiam Polyaenus 3. 10, 5. vbi καὶ πρώτος εἶλεν.

superiore: quo Pericles post magnam cladem Samum ceperat. Cf. Diodor. Sic. 12, 27 sq. et in primis Plutarch. in Pericle cap. 25 sq. Factum id est a. V. 311.

mille: circiter 1,531,300 thaleros.

id: per synesin, sc. argentum, s. argenti pondus, vt nempe verborum sensum amplectamur non ipsa verba.

impensa: scilicet tantum praedae ex Samo reportauit in aerarium, vt impensa publica resarciretur. Ita etiam Isocrati, magistro suo, talentum τὸν ἐπὶ Σάμῳ στρατηγήσαντα donasse scribit Plutarchus in 10 oratorum vitis p. 330. Vol. 9. ed. Lips. Polyaenus omnino ἀναπρᾶσαι χρήματα.

Cotum: cf. ad Iphicrat. c. 3, 4. Hostis hic Atheniensium, quibus multa mala intulit, de quibus cf. Demosth. aduers. Aristocr. p. 669. ed. Reisk. et alibi. Tum quidam non sine codd. *cohersas* variato sono, etsi talia non semper vitant.

detulit: al. *retulit*, forte in hoc nexu melius. Inter vtrumque incerti pendent etiam MSSti.

3. *Cyzicum:* vrbs in cervice paene insulae ad Propontidem in Asia minori. Mela 1, 19. 2. Rem adtigit etiam Diodor. Sic. 15, 81. etsi, qui hostes obsederint, non addit.

Ariobarzani: errat Lambinus, eumque ex more secutus Bergstraesserus, dum putant, ab nullo alio auctore huius belli mentionem fieri. Immo fit a Demosth. de Rhodiorum libert. p. 192. ed. Lips. qui diserte memorat, Timotheum ab Atheniensibus Ariobarzani auxilio quidem missum fuisse, nec tamen illud praestitisse, cognita eius a rege defectione, ne foedus cum rege initum violaretur. Phrygiae autem videtur fuisse satrapes, qui cum Tacho, Aegyptiorum rege, in Persas conspirauit secundum Diodor. Sic. 15, 90. Tum vero in eadem tempora incidit haec expeditio, quibus bellum cum Aegyptiis supra commemoratum flagrabat. Forte fuit idem, qui in Datame cap. 2, 5. obcurrit, etsi non satis id liquet.

posset: al. *possent*, quod et ego antea cum Bosio tuitus eram, vt ad cines pertineret, in primis quum Agesilaum nihil vmquam domum suam contulisse scribat in vita c. 7, 3. Nunc tamen monitus etiam ab Harlesio, mutata sententia, amplector cum aliis MSSstis *posset*, quia manifestam indicat obpositionem inter Timotheum et Agesilaum, pecuniam numeratam, quae domum ferri potest, et agros cum vrbibus, quae moueri nequeunt et constantius augent. Tum efficacius sic carpit peruersas Romanorum ducum mores, vti solet passim oblata obportunitate.

Crithoten: vrbs fuit Hellesponti (vt *Sestus*) in Chersoneso Thracia. Ex codicum sordibus nomen ipsum sagaciter eruit Gebhardus, quem secuti sunt ceteri.

Cap. II. 1. *classi:* Codices etiam *classis;* vtrumque Latine, nec, quod putat Bergstraesserus, illud magis.

circumuehens: pro *circumuectus*, non insolito vsu, qui in verbo simplici eiusque compositis valet.

eorum: syntheſis nota, de qua aliquoties monui, pro *eius* s. Peloponnesi. Sic in Alcib. c. 11, 3. *Laconicen* forma Graeca dixit, vt plura.

Corcyram: insula maris Ionii, h. *Corfu.* Ceterum prima fuit haec expeditio eaque prospera, quam etiam commemorat Xenophon in hist. Gr. 5, 4, 64. Sequuta altera, in qua, quum tempus ad nauigationem idoneum frustra contriuisset, vel tardius Corcyrae liberandae auxilium tulisset, ab imperio remotus, vix mortem euasit, vti constat in primis ex Diodoro 15, 47. et Xenophonte in hist. Gr. 6, 2, 7. Noster hanc adtingit etiam infra.

idem: iisdem non male coniecit Heusingerus.

Athamanas: ita volunt libri veteres, quod quidam editores postea mutarunt in *Acarnanas*, adstipulante quidem Diodoro 15, 36. Neque mira omnino sit illa commutatio; at nec certa est, nec necessaria. Latiori enim illi sensu pertinent ad Epiri gentes, vt *Chaopes*, quos tamen hic distinguere voluit. Finitimos habuerunt Aetolas et Acarnanas. Xenophon c. l. omnino commemorat Corcyrae ciuitates.

mare adiacent: i. e. ad mare iacent, vt saepe praepositiones in regimine nominibus amotae verbis iunguntur. *Iacere* etiam de gentibus verbum Geographicum.

2. *pacemque:* poterat summam huius narrationis adstrictiori breuitate, qua et alias vtitur, coercere. Sed et sic passim facit.

Quae victoria: ad Leucada, Acarnaniae oppidum. At in tempore discrepat Plutarchus in Cimone cap. 13. qui poſt victoriam ad Eurymedontem, Olymp. 77, 3, Phaſelidem ab eo poſitam fuiſſe tradit, quum ad Leucada pugnatum fuerit Olymp. 101, 1. Ant igitur Nepos erranit, aut, quod alii putant, Plutarchus, ni cum Schmiedero velis, tunc primum aram illam, antea quidem extructam, publica veneratione inſignitam fuiſſe et conſecratam. Quod tamen idem putat, rectius dicendum fuiſſe *fierent* quam *ſint factae*, poſt augendi. intendendi vocabula, in primis vbi rei grauitas et magnitudo potius, quam certum tempus ſpectetur, ſatis eſt vſu frequentatum et in noſtro cbuium.

pulvinar: nota lectiſternia, quae et Graeci Diis adpoſuerunt.

3. *in foro:* prope porticum regiam, vti narrat Pauſanias 1, 3. in.

id tempus: al. *hoc tempus.* Sed illud tuentur codices adiuuante ipſo ſenſu, i. e. ante Timotheum.

CAP. III. 1. *magno natu:* ſic in Pauſan. c. 5, 3.

Macedo: ferenda ſit haec vox poſt *Philippus;* ſed hoc ſitu languet. Quare, opinor, recte plerique tamquam ſpuriam vncis incluſerunt.

moliebatur: de conſiliis arduis operoſoque ſtudio perficiendis.

ſatis: cf. in Chabr. c. 3, 4.

2. *Meneſtheus:* cf. ad Iphicr. c. 3. extr. Adiunctos habuit alios duces, in quibus Charetem, (Plutarch. in Phocione c. 7.) Iphicratem et Timotheum aequato imperio. Diodor. 16, 21.

quorum — vteretur: quum, quod iam antea dictum erat, ſine verbi mutatione aut ſententiae incremento referant. tamquam moleſtam gloſſam, repugnantibus quidem vetuſtis libris, plerique vncis caſtigant. Ex vno codice ferri tamen aliquatenus poſſit *cuxilio.* Cf. in Miltiade c. 1, 2.

3. *Samum:* diſſentit Diodor. 16, 21. quippe qui refert, a Sami obpugnatione ad Byzantium coiiſſe et pugnam naualem inſtruxiſſe, quum tempeſtas oriretur; niſi quis ad aliud tempus reiiciendum putet.

eorum: omittunt veteres editiones, non item codices. Poſſit abeſſe, et vncis adpoſitis ſpurium declarauit Heuſingerus; neque tamen, vt ſimilia alia, neceſſario et iure abeſt.

ſubpreſſerunt: Graecorum ἐπέσχεν reddit, i. e. inhibere curſum, morari, quo verbo explicat Hirtius de B. G. 8, 42. Noſtrates *die Flotte vor Anker legen*, vel etiam *beylegen.*

4. *ille:* Chares, non Meneſtheus, ad quem quidam retulerunt, ſi audias Diodor. 16, 21.

vt in: quidam, praeeunte Lambino, inſerto *ſi*, legunt *vt ſi*, exemplis etiam noſtri auctoris inducti, quae occurrunt in Dione c. 9, 2. Datame c. 3, 2. 11, 3. Ageſil. c. 6, 1. 2. Potuit facile excidere, vel *et vt* ex ingenioſa Heuſingeri coniectura ortum eſt ex *velut.* Τὸ *ſi* certe reſpuunt hic veteres libri omnes. Si adeſſet, lubens amplecterer.

naui: ſuspenſam hanc lectionem reddunt libri, in quibus etiam legitur *manu*, quod et receperunt editores quidam, nuper Schmiederus et Wetzelius. Vtrumque ſignificat feliciſſimi curſus et aduentus fiduciam, luculenta et viuida notatione expreſſam. Attamen hic res ipſa facit, vt praeferam *naui*, et Nepotem Caeſaris nota illa verba: *Caeſarem vehis Caeſarisque fortunam* reſpexiſſe cum aliis putem. Ceterum mutatio illarum vocum non eſt inſolita.

5. *Ob eam rem:* ipſa haec verba non ſolum impugnantur, ſed et eorum ſeries in libris varie disiicitur, quae quidem corruptionem indicant. *Vocabantur* et *reuocat* moleſta ſunt. Forte verba, *ob eam rem in crimen vocabantur*, quae ſummam narrationis continerent, ex gloſſae notatione poſt in ipſum contextum inrepſerunt, certe hinc in vno codice exſulant, vel concinniori nexu omnia melius effingantur ſi, eiectis verbis *in crimen vocabantur*, legeris: Ob eam *rem populus acer* —

ſuſpicax: aureae igitur Latinitatis vocabulum, quod certiori teſtimonio confirmat Livius 40, 14, 4. Solet autem haec terminatio cupiditatem, ſtudium rei ſubiectae indicare.

damnatur: contra abſoluitur Iphicrates, de quo in vita cap. 3, 3.

lis: v. ad Miltiad. c. 7, 6.

centum talentis: quae, ſi talentum aequat 1280 thaleros, efficiunt ſummam 128,000 thalerorum.

Chalcidem: fuit vrbs Euboeae ad Euripum, vbi h. *Negroponte.*

CAP. IV. 1. *Conon:* cf. in vita c. 4, 5.

2. *pleraque:* al. et hodie *plura;* vtrumque cum MSStis. Si *pleraque* recte habet, quod tamen tamquam

ineptum damnat Wetzelius, contra Bremius vnice verum cenſet, ſignificare hic debet *multa*, de quo vid. ad praefat. in. Praetulerim *plura* ex ſententia etiam Heuſingeri, et ſic apte ſpectat τὸ ὑνὸ.

adoleſcentulus: quo modulo iudicari debeat, ex nexu ſubgeritur.

Iaſon: Pherarum in Theſſalia tyrannus. Duo etiam codices addunt *Theſſaliae*, quod probat Staverenus, vt ab aliis diſtinguatur.

3. *praeſidio*: ad variationem; antea *ſatellitibus*.

deeſſe: in rebus forenſibus vſitatum, vt contra *adeſſe*. Supra *defendere*. Cauſa ipſa ſpectat alteram expeditionem Corcyraeam, de qua cf. ad c. 2. in.

4. *Iphicratis*: idem innuunt Diodorus Sic. 16, 85. extr. et Iuſtin. 6, 9. in. Exſtitit tamen Phocion, ex paucis quidem vnus.

DATAMES.

CAP. I. 2. *obſcuriora:* nempe pauci de eo rebusque ab eo geſtis expoſuerunt. Ex noſtris adtigerunt Diodorus Siculus, Polyaenus, Frontinus.

tunc omnes: Al. etiam hodie ex Teuenini coniectura, praeeunte Lambino, inuitis tamen codicibus, *tantum non omnes*, quod nuper defendere conatus eſt Bremius. Neque tamen video, quid in codicum lectione obſtet, quo minus retineatur. Eſt enim illa aetate, et ſatis §. 1. confirmatur. Minus commode alii, etſi non ſine codicibus, olim *tamen omnes*, quod ortum eſt ex ſcribendi compendio *tñ*. Reuocaui igitur *tum* cum Boſio aliisque recentiorum, tantum quod *tum* mutaui in *tunc*, quod prius de progreſſione, hoc de ſtato tempore rectius dici puto.

ratio: intelligit cauſarum vim, momenta, conſilia ſeriemque rerum connexam, vnde res ipſae earumque euentus clarius perſpiciuntur. Atque id vult verbum *adparere*.

3. *Datames:* maiuſculis literis dedi, quia hinc in codd. et priſcis edd. ipſa eius vita exorditur, quod primum, vti nunc habemus, mutaſſe videtur Lambinus. Neque tamen cum Schmiedero priorem diſtinctionem in vitiis poſuerim, quod et verbum *venio*, non *veni*, innuit. Videtur praefationis loco haec adpoſuiſſe.

Scythiſſa: at haec erat amita Thyi Paphlagonis; vid. cap. 2, 3. et 4. et in Paphlagonia nata eſſe debuit. Remotius igitur genus hic ſpectare videtur.

eorum: σωματοφυλάκων, quibus praeerat chiliarchus; cf. in Con. c. 3, 2. Herodotos 3, 77. f. portarum dicit φυλάκους. *Artaxerxes* intelligitur cognomine *Mnemon.*

partem: omittunt vetuſtae editiones, quare etiam Heuſingerus, quum Datames toti Ciliciae et Cappadociae praefuiſſe videatur, quod certe de Cilicia diſertis verbis adfirmat Diodorus 15, 91, legendum cenſebat: *prouinciam Ciliciae iuxta ac Cappadociae,* vel ſeruata illa voce, *Ciliciae partem iuxta ac Cappadociam.* At vulgata bene conſtituta videtur propter Leucoſyros, Syrorum reliquias in ea Cappadociae parte. Tum hic de patre loquitur, illud de filio valet, qui potuit amplificatam prouinciam obtinere.

4. *fungens:* cum adcuſatiuo paſſim, etſi rarius, reperitur.

aperuit: al. *adparuit*, quod et exſtat in codicibus quibusdam. Neutrum a loci nexu et ſenſu alienum eſt. Malim tamen *aperuit*, quod propius ad Datamem refertur eiusque induſtriam indicat, quae publice conſpici geſtiebat. Senſus autem eſt, vt alibi, declarauit. Sic in Attico c. 9, 5.

Caduſios: prope mare Caſpium, vbi h. *Kilan.*

regiorum: codices vel *multis millibus hoſtium, regiorum quoque non paucis*, vel *multis millibus hoſtium et regiorum* vel denique omnino *multis millibus interfectis*, quod reddiderunt etiam edd. aliquae. Videntur librarii haeſitaſſe in ſenſu verbi *interfectis*, quod hic de clade regii exercitus dicitur; atque hinc vel omiſerunt illa vel explicare tentarunt. Equidem retinendum cenſui, vt, quo ſenſu et ad vtrum in prioribus pertineat, intelligatur. De ipſa expeditionis calamitate triſtique euentu v. Plutarchus in Artax. cap. 24. etſi nihil ibi de Datame.

Cap. II. 1. *Autophradates:* Lydiae ſatrapa, qui poſt cum aliis a rege defecit. Diodor. Sic. 15, 99. f.

defecerant: Lycii, Piſidae, Pamphylii, Cilices, Syri, Phoenices et fere omnes Aſiatici maris adcolae. Diodor. c. l.

regis: gloſſam putat Boſius, quia in vett. quidem edd. abeſt. Certe iniqua ſede poſitum videtur.

2. *dynaſtes:* infra *rex* c. 3, 4. vti vocat etiam Athenaeus 4, 10. p. 144. ipſum Θῦν, qua forma vel *Thus* hic etiam malit Lambinus. Nempe Paphlagonia antiquitus

reges habuit, vti et docet Iustin. 37, 4. f. et Livius 1, 1. Igitur plus esse videtur dynastes, quam satrapes; certe latius valet, vt cum rege commutari possit, non item satrapes.

natus: pro quo *ortus* ex 2 MSStis in ed. minori dederat Stauerenus. Est glossa, qua explicatum erat *natus*, quia forte in hoc nexu obsendisset, etsi ipsa res ferat et vsus.

Patroclo: immo Menelao, quem errorem omnes redarguerunt ex Homero Il. 5, 576 sq.

3. *dicto:* cf. ad Lysandr. c. 1, 2. Male hic quidam libri et scripti et editi *regis*. Ceterum in particulas minutas haec diffluunt, quum posset ita summam narrationis continere: *Qui quum — non esset, hic bello eum* — Tum durius casum obliquum, *regi*, in continuata narrationis serie, neglecto tenore, ad *constituit* refert, etsi non desunt similia aliorum exempla.

omnia: quia abest a 5 codd. et edd. antiquissimis, tamquam spurium vncis signauit Heusingerus, qui et alias *prius* non *primum* dicendum fuisse existimat. At *prius* desiderat *quam*, quum, quod sequitur, *vt* postulet nexus et sensus. Si quis vero sic exspectet *deinde*, latet id in verbis *sine armis*, et quae infra subiiciuntur.

propinquum: poterat *eum* substituere, quod facile vocem illam praeuiam reuocet. Sed talia plurima, proxime repetita, obcurrunt, et hic momentum inesse videtur ad probandam moris lenitatem. Ceterum adnosce concisam Nepotis breuitatem et in membra minuta dissectam narrationem. Neque tamen vel sic hanc vitam ab epitomatore contractam putat Barthius, qui in aliis id factum contendit.

5. *Ariobarzane:* qui etiam post a rege defecit, et cum aliis conspirauit in eo bello, quod mouerat Tachus, rex Aegypti. Diodor. Sic. 15, 90. Nam quae hic Nepos narrat, ante id bellum facta sunt, vt adparet ex cap. 3, f.

segnius: sic et passim alii, veluti Sallust. Iug. cap. 65. Liv. 7, 18, f. Non igitur opus est substituere *secius*, vt quidam hic et alibi volunt. Praeterea voce *segnius* studii et operae notio infertur.

Cap. III. 1. *omnibus:* sc. quorum ope minime indigebat.

terribili facie: notanda mutatio casuum in eadem serie, quae tamen exemplis minime destituitur.

promissa: libri etiam *prolixa*, quae est glossa, eadem in Virgilii eclog. 8, 34. notata. Tum *optima vestis* in hoc nexu est *purpurea*, vti docere potest Palaephatus c. 52, 7.

torque: aureo ex connexu cum seq.

ceteraque: Heusingero placet *ceteraque*, quia superiora fuerint satraparum, et sic Cicero aliique loquantur. Tum vero, opinor, sine copula, vt notetur a praecedentibus discrepantia. Dein *rex* paullo post vocatur, in quem congeri vere etiam possunt insignia regum. Denique nec antea commemorata a regali ornatu fuerunt aliena.

2. *agreſti:* duo adiectiua, quorum neutrum est participium sine copula, etsi codices quidam et edd. subnectunt *duplicique*. At ita passim, in primis vbi alterutrum vel summam rei continet vel explicationi confirmandae inseruit. Sic hic *duplex* declarat primarium *agreſte*. *Duplex* est crassum, qualia sunt vel esse debent duplicia. *Amiculum*, pallium, vestis exterior, vt *tunica* interior. *Galea* notanda in cultu venatorum, vt omnino eorum habitus.

feram: alias saepe absolute ponitur.

3. *proſpicerent:* Heusingerus, quem reddiderunt Schmiederus et Rathiius, ex codicibus quibusdam *adſpicerent*, quod faciat ad admirationem. At hoc est propius ad stantium et contemplantium, et hic sequitur *concurſus* et *adnoſceret*. Est autem hic non tam ex longinquo spectare, sed versus aliquem spectare, oculos ad aliquem vertere, neque sic incommodum est τὸ *omnes*, in quo quidem illi haesitarunt. Cf. in Hannib. c. 12, 4.

non nemo: al. olim *nemo non*. At illud non solum codices, sed et subiecta probant. Vtriusque ex negandi particulae sede discrimen notum.

5. *Tithrauſte:* pro hoc Iphicratem addunt Plutarchus in Artax. cap. 24. et Diodor. 15, 41. De Iphicrate vid. supra c. 2, 4.

CAP. IV. 1. *Aegyptumque:* sine praepositione, vti fit passim.

quae gens: Synesis et hic notanda, quae sensum respicit vel cognatam vocem. *Iacere* etiam de populis.

vexabat: deuastabat, incursionibus grauiter infestabat. Cf. c. 4, 2.

portarentur: antequam perlata essent, quae est causa coniunctiui. Igitur in via, et *abripiebat* hinc est intercipiebat.

2. *aberat:* nempe exercitus in Aegyptios contrahebatur Acae s. Ptolemaide in Phoenice, vnde post incursio

facta est in Aegyptum. Diodor. 15, 41. Cf. post cap. 5. in. Igitur *maiori re* bellum illud spectat.

3. *sed:* praecedere sic alias solet *quidem.*

imprudentem: quidam praeeunte Lambino contra codices addunt *et imparatum,* vti quidem legitur in Agesil. c. 2, 2. Hic ex obpositionis indicio vtrumque vno vocabulo complexus est.

4. *dies:* alias solet postponi. Tum tempora praesentia et copulae in fine neglectus ipsaque membrorum breuitas festinationem eleganter declarant.

5. *sumit:* alii olim cum 2 codd. *capit.* Vtrumque Latine. *ferentem:* passiue valet, vt alibi *vehens.*

Mithridati: Ariobarzanis filio. Vid. c. 10. in.

Cap. V. 1. *ipse:* quidam *ipsum;* hic minus bene. Vid. ad Paus. c. 4, 3.

Acen: Phoenices vrbs, post *Ptolemais* dicta, h. *Acca,* vbi erat ὁρμητήριον Persarum in Aegyptum, vt adfirmat Strabo lib. 16. p. 758. ed. Paris.

2. *excepit:* hic est suscepit, vt passim.

3. *in quibus:* quum referatur ad praecedens de eius obpressione, tamquam primarium, cui adcessit *perscripta,* duri aliquid et asperi subesse videtur. Ex posteriori tamen voce eruenda est ellipsis *literis,* in quibus docuit.

adcidisset: tenenda est vis plusquamperfecti, recte a Latinis auctoribus seruata. Cf. ad c. 6, 4.

4. *regum:* al. *regiam,* neque hoc sine libris. Si *regum* latius, quod potest, extendatur ad idem vtrumque ipso sensu redit. Tum, nisi synesin subesse velis, *το putant* tuetur *regum.*

fieri: edd. ante Bosium *quo facile fieri.* hic receptam lectionem ex codicibus instaurauit.

ductu: paullo superius *illo imperante.* Cf. ad Paus. c. 1, 3.

5. *Talibus:* periodica forma, vbi his participiis *quum* subiicitur.

6. *Magnetem:* ex Magnesia.

Cappadociam: cui praefuisse et Paphlagoniam adiecisse ex his videtur.

Ariobarzane: de eo v. cap. 2, 5.

Cap. VI. 1. *sed haec — procedebant:* haec spuria quibusdam visa sunt; et transitus quidem hinc ad sequentia vtique est paullo asperior. Alii *hiemale tempus* impro-

bant, quod nihil ad rem valeat, alii *prospere:* quae tamen cur expellenda sint sine libris, non video. *Prospere procedere* dixit etiam Cicero ad diuers. 12, 9. et omnino natura verbi *procedere* quemuis modum admittit. Ceterum tota haec narratio in minutas particulas diuisa est, quale exemplum cum praesentis etiam temporis vsu supra notaui ad c. 4, 4. sed in quo festinationis suberat declaratio, quam hic non videtur respexisse.

Pisidas: paullo aliter hanc rem narrat Diodor. Sic. 15, 9. Nempe Artabazum cum magno Persarum exercitu Cappadociam inuasisse contraque eum Datamen pugnasse.

Arsidaeum: ita codices, vel *Aruidaeum.* Viri docti volunt *Aridaeum* vel *Arridaeum*, nomen apud Persas et Macedonas (certe apud hos) frequentatum. Forte etiam *Arsaeum*, quod Persis tribui potest ex libro Esther. 9, 9.

vulnus: de acri et mordaci dolore.

2. *aduersariorum:* etiam in bello dicuntur pro *hostes*, vt in Themist. c. 4, 3. Vocis enim vis per se latissime patet.

3. *turbam:* militum; λαὸς Homero. Sensus: si militibus innotuisset.

relictum: ad rem propius sit *desertum.* Sic infra.

4. *et:* al. *sed.* Illud tuentur libri veteres; recte. Τὸ *et* enim post enuntiationem negantem passim disiungit, et pro *sed* ponitur, cum quo etiam non raro in contrariis et obpositis commutatur. Cf. in Pausan. c. 3, 3. Eumene 4, 3. et alibi.

intra: in castris a Mithrobarzane; *foris* a Datame. *Vallum* castrorum notionem ex munimenti vsu infert.

5. *Hac re:* alias *qua re*, arctiori connexui illud tamen hic forte, vt crebrior pronominis relatiui concursus vitaretur, et quia omnino arbitrarium esset.

tantum quod: sic vnus codex et editiones inde a Lambino omnes, quum in aliis varie haec corrupta legantur. Sic autem aptissime ad nexum, probante etiam vsu, quia valet *simulac*, *vix.*

signa: haec vox variis pugnarum bellique vicibus declarandis inseruit, veluti *inferre* i. e. adgredi, *conferre* i. e. dimicare, et alia in Lexicis etiam notata. Quia signa sequi cogebantur milites, facile earum formularum vis ex verbis adiectis intelligitur.

noua: de insolitis, inuisis, inopinis saepe, et sic inusitatius etiam additur.

compositoque: praeponitur alias *ex.*

6. *cum eis:* contra eos ex nexu in obpositis. Post *stare* ad partes, quas quis in certamine, bello sequitur, referri solet. Stant enim pugnantes. Hinc *cadere* de vulneratis, obcisis, qui stare i. e. pugnare amplius nequeunt.

7. *castra:* ἀσύνδετον ad rei celeritatem notandam pertinet. Rem ipsam plures testantur, etsi, quod solet, in singulis discrepant.

8. *perculit:* vid. ad Dion. cap. 5, 3.

cogitatum: substantiue. Hic est consilium, et quod propius ferit, stratagema. Obsendat forte eiusdem verbi repetitio, etsi antea est *excogitatum;* sed talia non respuit auctor.

vsquam: Latinius quam *vllibi*, et sic *nusquam*, quae facile constantius hodie reddi possint.

Cap. VII. 1. *Sciſmas:* alii malint *Sisinas*, tamquam Perficis nominibus propius. Quaestio dubia parumque fructuosa.

maximo natu: sic in Pausania c. 5, 2. *mater magno natu*, vbi quidem de sene, vetula, vt de Timotheo cap. 3. in. Idem declarant loca aliqua Liuiana. At de aetatis discrimine inter plures liberos in primis *maximus natu*, vt in Agesil. c. 1, 3. Quod si vtraque forma ipso sensu differt, *maximus natu* ponendum videatur, vti et ante Bosium exstabat.

ad regemque: non enim praepositioni *ad* vocalem *que* adpendere, sed ad sequens vocabulum proiicere solent. Sic passim *in* reperitur, vt in Hamilc. c. 4, 1. *in Hispaniamque* venit.

quum cogitasset: malim *quod cog.* cum Lambino et Wetzelio, dummodo codex addicat, ne idem in sequentibus recurrere videatur. Intercedit tamen, quamuis leui discrimine, verbum *conari*, quod motum adparatumque ad aliquid faciendum indicat et ab *audere*, contra ac Schellerus arbitratur, multum differt. Respondet enim τῷ *facere* cum notionis aliqua mutatione, quod fit in synonymorum vsu. Ceterum nota est Sallustiana illa sententia de B. Catil. in. *Prius, quam incipias, consulto, et vbi consulueris, mature facto opus.*

Autophradatem: cf. ad c. 2. in.

2. *intrare:* sc. in Cappadociam, quod ex nexu facile subintelligitur. Tum melius post *posset*, quam post *saltum*, inciſi signum ponitur, vt *saltum* ad *praeobcupare* referatur.

portae: anguſtiae viarum, arctiſſimae fauces, per quas tamquam per portas in latius ſpatium exitur. Gr. πύλαι, quod verbum exceperunt etiam Latini, vt Mela. Nos *enge Päſſe;* Gallo-Franci *defilées.* Nempe Cilicia Tauro et Amano montibus a Cappadocia dirimitur. Ex Ciliciae autem verſus Cappadociam ſitu adparet, portas fuiſſe ſeptemtrionales.

3. *depulſus:* neceſſitatis vim bene exprimit.

ancipitibus: Curtius 3, 7, 9. de his anguſtiis: *vbi circumiri,* (regis copiae) *vbi ancipiti acie obprimi poſſent.* Cf. in Themiſt. c. 3, 3. et ſupra c. 6, 2.

cum: abeſt a MSStis et Edd. antiquis. Durius tamen eſt et inſolentius, illo omiſſo, explicare *ibi,* quod deſiderat nexus, niſi ex praecedentibus ſubpleas *loci,* qua forma, etſi rarius, obcurrit.

paucitati: concinna obpoſitio.

CAP. VIII. 1. *tamen:* Lambinus, inuitis libris nec inpellente vſu, ante *tamen* inſeruit *ſatius,* eumque nuper ſecutus Wetzelius. Poteſt quidem omnino recte; ſed τὸ *quam* ita paſſim ponitur, vt, quibus reſpondeat, veluti *magis, potius,* deſint.

ſedere: de caſtris in bello. Hic ex adiunctis otium ſegne, vt alias, declarat.

2. *Cardacas:* explicat Strabo lib. 15. p. 734. ed. Parif. fuiſſe apud Perſas militum genus, qui ex raptis vixerint; nempe κάρδακ Perſis eſſe virile et bellicoſum. furem addit ex Dionyſio Grammatico Euſtathius ad Homer. Il. 2, 867.

Aſpendiorum: ab oppido Pamphyliae Aſpendo dicti. Mirum tamen, quod non potius Pamphylios commemorat.

Captianorum: ignotus populus; forte leg. *Caſpianorum,* quod coniecerat Schottus et nuper receperunt Schmiederus et Rathiius.

tria: editiones ſubiiciunt *millia,* quod abeſt a pleriſque MSStis, quare et recentiores fere omnes vncos adpoſuerunt. Eiecit tamen Ricleſſius, quae melior viſa eſt ratio, quum ex initio recenſus facti et ipſo orationis tenore facile abeſſe poſſit.

3. *huius:* numeri ſ. exercitus i. e. talis.

cecidiſſet: legitur etiam *cecidiſſent;* quod etſi habeant libri quidam, non tamen eſt neceſſe. Poſſit ſubintelligi numerus. Forte tamen, quando *mille* tamquam ſubſtantiuum cum genitiuo ſtruitur, ſingulari etiam numero valet, cuius quidem pluralis eſt millia.

4. *discederet:* notanda temporis mutatio, quia hoc ad proximum refertur; et sic reliqua ex serie rerum gestarum et consecutione. Adcedit porro praeter Nepotis nostri morem forma periodica. *Discederet* pro esset ex forma in hoc nexu vsitata; hic tamen latius et per zeugma priorem sententiae partem adficit.

5. *duci:* aliud *geri;* est enim protrahi.

vt cum: tautologiae speciem habent, et hinc a quibusdam ad glossas ablegantur. At simile exemplum exstat in Milt. c. 2, 2. et, quod bene monet Harlesius, periodum faciunt rotundiorem et vndique aequalem. Neque omnino talia Nepos refugit.

Cap. IX. 2. *sicut:* exempli causa.

inimici: sc. eorum.

experiri: cognoscere non simpliciter et mente, sed sensu ipso et vsu.

3. *itinere:* cum et sine *in* praemisso in libris adparet. At in ipsa voce primus nuper haesit Heinrichius, et glossam existimauit, quae post in textum inmigrauerit, etsi eam omnes libri tuentur. Moratur tamen quod, si expuleris *itinere*, *quo* stare recte non potest, quum *loco*, vti paullo post, non praecedat, sed subiiciendum erat *vbi*. Equidem sic intelligo: profectus est ad eum locum, in quo iter facienti insidias futuras dixerunt. Breuitas formam hanc insolitam intulit.

sui: praeter vulgarem vsum, quum ad externam speciem referatur, pro *sibi* dictum esse volunt. Recte id quidem. Sed promiscui vsus exempla sunt satis multa.

eo loco: in eo agminis ordine et parte, qua alias ipse dux solebat conspici. Cf. §. 4. Male igitur Lambinus cum quibusdam dedit *eo loci*, quasi in eum locum.

vestituque: glossae ex seqq. ductae suspicionem non temere mouit, et hinc vncis continetur, etsi Codices probant, plerique quidem. *Ornatus* nempe est totus adparatus militaris, qui sic arma et vestitum complectitur. Sic *statuae ornatu militari* apud Cicero. de Offic. 1, 18. f. Polyaenus 7, 4. vocat *πανοπλίαν*. Ferri tamen possit, si quis seruari vocem malit, quod habent edd. antiquae *ornatus vestitu militari*. Probauit hoc etiam nuper Richterius, etsi prius sic explicandum censeat, vt *ornatus* genus designet, *vestitus* partem.

facere: de moleſta eiusdem verbi repetitione cf. ad Phocion. c. 3, 2.

4. *parati:* ſequ. infinitiuo ex Graeca ratione, vt alibi.

CAP. X. 1. *captus:* idem, etſi paullo aliter, narrat Polyaenus 7, 1.

ei: pro *ſibi*, vt fit paſſim, in primis vbi ſenſus inde exſiſtit minime dubius, quem hic conſtituit res ipſa et praecedens *ſe*. Tum *permitteret* et *dediſſet;* in quibus notanda temporum diuerſitas, quam quidem ſaepe diuerſa rerum ſeries et progreſſio requirunt. Hic, opinor, *permiſiſſet* poterat ſtare, niſi quis omnino intellectum velit, et in *dediſſet* praeuium permiſſionis ſignum adnouerit. Ceterum quidam ex pluribus adeo MSStis dant *promitteret;* hic quidem minus commode. Confuſio nota.

dextra: certae fidei ſignum, quod hinc adparet, etiam apud alias gentes. De Perſis cf. Curtius 4, 4, 14. Hinc *en dextra fidesque!*

2. *adcepit:* al. *recepit*, quod et eſt in MSStis quibusdam et editionibus. Lambinus, quem et hic ſequuntur Manhemienſes et olim alii, nuper etiam Rathiius, poſt *adcepit* ſubnectit: *ſimilat ſe ſuscepiſſe cum rege inimicitiam, copias* — ſed ſine codicum exemplo, forte ex Polyaeno c. l. Reſtat vero difficultas in *miſſam*, quam vocem edd. quaedam, et nuper Schmiederus et Rathiius, omittunt, quia deſit in MSS. quibusdam et rem ipſam per internuntios actam aliis patefecerit. Quod ſi retinueris, praeſens certe non fuit, ſed fidem datam abſens, per literas aut internuntios, adcepit. More autem Perſarum id dextra data, quam quis perferret, factum contendit Heuſingerus ex iis, quae conlegit Briſſonius de regno Perſico lib. 1. p. m. 107 ſqq.

vexat: cf. ad c. 4, 2.

capit: Lambinus *agit;* vſitate quidem, ſed ſine libris et arbitrario vſu. Nam et *capit* probum eſt. Hoc praecedit, illud ſequitur.

3. *homini:* etiam de ſummis viris obcurrit, veluti de Pompeio, Caeſare, in primis vbi conditionem indicat. Sic ſupra c. 3. in. et in Eum. c. 4, 4. Tum ſaepe valet *is*, et reſpicit eum, de quo agitur.

nihilo: comparatiuo, vbi adeſt, praeponitur. *Gerit* bene de externa ſpecie et ſignis.

CAP. XI. 1. *parari:* ſic paſſim loco gerundii, et hic quidem paſſiuum ponitur, quia ſermo eſt indefinitus.

de eaque re: sic 5 codices; alii *de qua re* scribunt. Prius quidem adeo vnice Latinum censent, reiecto posteriori forma. Quod etsi ex ipso Cicerone refutari potest, nec ipsa linguae ratione et vsu deprimitur, illud tamen nunc praeferendum cum quibusdam duxi.

veniret: ex sensu superiorum substituendum est verbum, quod huc apte transferri possit, vt fit passim, veluti hic, monet, postulat. Nempe praesens in oratione historica admittit etiam in consecutione inperfectum, quod ex Caesare satis probatur. Sic paullo post, Ipsum autem verbum *veniret* alii ad Mithridatem referunt, alii ad Datamen, At Mithridatis sunt haec verba, quibus non se venturum esse pollicetur, quod quidem minime erat dubium, sed Datamen ille tentat, vt veniat. Et hinc etiam *veniret*, alias se *venturum esse*. *Si ei videretur* formula est modestorum, blandorum.

2. *ante aliquot dies:* non satis adcurate Nepotem hic locutum esse, monet Bremius, quum nexus et Latini sermonis indoles requirat: *aliquot diebus ante*, quia illud respiciat loquentem, hoc rem narratam. Notandus certe videtur hic locus.

obruit: abscondit; modus rei pro re: vel defodit, consequens pro antecedenti ex connexorum ratione. Post *inpositum* dicit, pro quo Heusingerus contra codices volebat *infossum;* post tamen in vulgata recte adquieuit.

3. *diuersi:* in diuersas partes, vnde conuenerant. Temporum diuersitatem ipsa rei series et oratio tuentur.

quiddam: sic passim *obliuiscor* cum adcusatiuo.

5. *auersum:* ratione vultus dicitur; hinc per tergum.

priusque quam: soni asperitatem non semper, vbi facile poterat, auertit. Sic in Pausan. c. 1, 3. 3, 2. et passim alibi.

amicitia: similato amico, sic apte, vt respondeat τῷ *perfidia*. Ceterum contra fidem datam Sinopen obpugnasse notatur ex Polyaeno 7, 21.

EPAMINONDAS.

CAP. I, 1. *Polymnis:* ita nunc cum Wetzelio rescripsi pro *Polymni*, quod obcupat reliquas editiones omnesque codices. In Graecis enim est *Polymnis*, nusquam *Polymnus;* quare vel *Polymnidis* cum Graecis, vel Latina forma

Polymnis etiam dici poteſt, quae propius a MSStis diſtat. Cf. ad Themiſt. c. 1. in.

praecipienda: edocenda, praemonenda. Differt enim a *iubere* ſic, vt expoſitionem, demonſtrationem, modum rei faciendae contineat.

videntur: modeſte mollit praecedentis verbi, ſi qua obſcendere poſſit, aſperitatem. Ne quis tamen cum Magio putet, praefationis oblitum hoc ſcripſiſſe, illa finito demum operi adceſſit.

referant: adcommodent, comparent. Cf. praef. §. 2. *Alieni* igitur *mores* latius dicuntur, vt peregrinos indicent, quod ad adcuratam elocutionem hic deſiderabat adeo Schmiederus. Nempe gentem genti obponit, et hinc ſuos alienis.

2. *principis:* aliquatenus valet etiam de antiquis temporibus. De voce *perſona* dictum ad praefat. in.

vitiis: locus in hanc rem inluſtris exſtat apud Ciceronem pro Murena c. 6. vbi praeter alia haec: *Nemo ferè ſaltat ſobrius, niſi forte inſanit; neque in ſolitudine, neque in conuiuio moderato atque honeſto. Tempeſtiui conuiuii, amoeni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio.*

3. *atque:* quia abeſt in cod. Axen., ſpurium cenſuit Heuſingerus et vncis incluſit. Vſitatior quidem forma eſt *conſuetudo vitae*, pro quo Cicero pro Roſc. Amer. c. 16. dixit *expreſſam imaginem vitae quotidianae.* Forte concurſum genitiuorum vitare voluit, et potius figuram illam ἓν διὰ δυοῖν adhibendam putauit. Tum vero proxima non ſatis adcurate reſpondent, quae tamen vel conſuetudines earumque cauſas vel omnino vitam explicant. Hinc ſeparatim ſingula dixiſſe videtur.

4. *primum:* adcurata partium deſcriptio ſecus atque in aliis vitis. Particularum vſus in diuiſionibus et progreſſionibus notus.

ſi qua: veluti acute dicta, qualia multa ſeruauit Plutarchus.

omnium: cf. cap. 10. extr. Sic *principem Graeciae* vocat Cicero Tuſcul. Qu. 1, 2.

CAP. II. 1. *igitur:* in progreſſione et transitu ad ipſam ſummae ſingularumque partium expoſitionem.

honeſto: quod quidam referebant ad Spartos illos in Cadmi hiſtoria. Pauſan. 8, 11, 5. Minus quidem eſt, quam *nobilis*, neque tamen mediocris vel adeo humilis, quod

olim volebat Gebhardus. Γένους δόξαν diſerte notat Pauſan. 9, 13. in. etſi πατρὸς ἀφανῆ illi tribuit Aelianus V. H. 12, 43. extr. quod tamen ad res geſtas vel paupertatem, quam et alii cum noſtro memorant, referri poteſt.

vt nemo: luculentior et efficacior ſuperlatiui periphraſis. Ita vero omni artium diſciplina fuit eruditus, vt, quod in Iuſtino 6, 8, 9. legitur, mirabile videretur, vnde tam inſignis militiae ſcientia homini inter literas nato. Ceterum diſce hinc, quibus artibus iuuentutem erudiendam illo tempore putauerint.

Dionyſio: eum cum Lampro in peritorum muſicorum numero recenſet etiam Plutarchus de Muſica p. 685. Opp. Vol. 10. ed. Lipſ. Lamprum et Damonem alii etiam praeterea ab hac arte laudant.

carmina: disputatur de hac voce, et quidam vncis incluſerunt, quia abeſt in 3 codicibus. Bremius et Huttenus plane omiſerunt. Contra cod. Axen. ignorat vocem *nomina*. Poteſt in vtramque partem disputari ex ipſa re et conſinium vocabulorum ſono. Latius valeat verbum *cantare*, ſi omiſſa illa vox fuerit; ſoni etiam moleſti aſperitas tollatur.

Olympiodoro: Orthagoram ex Ariſtoxeno adiungit Athenaeus lib. 4. extr.

1. *Lyſim*: memorant plures. *Triſtis* (*düſtern, finſter*) hilari in moribus obponitur. *Senem*, quod Staverenus ad philoſophi cognomen refert, in hac obpoſitione proprie cum aliis intelligo.

anteceſſerit: recte et ex vſu linguae perfectum ponitur praecedente particulis *ſic*, vt hic, vel *adeo*, *tantum*, vbi non finitum tempus, ſed res omnino eiusque vis ſpectatur, vti iam ſupra notaui et hic iterum monendum duxi, quod vidi eſſe, qui minus adcurate locutum hic eſſe Nepotem opinarentur. Sic c. 3, 4. et alibi ſaepe.

in doctrinis: praepoſitionem, quam hic 2. codd. et plures edd. abiiciunt, etiam alibi noſter praeponit, vt in Alcib. c. 11, 4. Tum *doctrinae* ex nexu ſunt philoſophicae, quae illo tempore plurimum valebant.

3. *vtique*: eſt maxime, vt ſaepius in Livio et poſterioribus. Quare poſt *Graecia* incifum minus poſui.

4. *ad eum finem*: ex propria vocabuli vi intelligendum, quam vulgo ad cauſam, conſilium transferre ſolent, quod nusquam valet in bonis auctoribus. Pro eo infra c. 9, 3. eodem ſenſu dicitur *vsque eo*, vbi reſpondet *quoad*.

ſtans: pertinet ad luctam *erectam*, quum alia eſſet *volutatoria* iacentium, a qua abſtinuit. Senſus eſt: vt ſtans et erecto corpore ſe ſuſtineret, ne procumberet aut ſtatu demoueretur.

Cap. III. 1. *plura*: al. *plurima*, quod in altera editione tacite poſuerat Boſius. Non ſubeſt cauſa, cur a libris antiquis diſceſſio fiat.

modeſtus: quod laudatur in honoribus petendis, in victu cultuque.

fortis manu: de hac formula, quae et alibi obcurrit, cf. ad Pauſan. c. 1, 2. At hic dubitationem iniicit, quia de animi bonis ſe hic expoſiturum eſſe promiſerat. Quum libri pertinaciter et ſine vlla discrepantia in his verbis haereant, ad coniecturas res rediit. Harleſius profert *fortiſſimus animo maximo*, ſic vt *manu* ex ſcribendi compendio male intellecto infartum fuerit, vel *forti animo, ingenio*, aut *conſilio maxima*. Ex quibus primum, ſi quid eligendum ſit, facilius probetur, licet in obuia voce *manu* vix aberraſſe videantur librarii. Bremius propoſiti ſui inmemorem Nepotem haec addidiſſe putat, vt in Alcibiade c. 1, 3. *diues* inter animi bona et mores commemoratur; tum plane ſpuria cenſet haec verba. Poſterius malim adcipere, quum adeo obliuioſum vix credam Nepotem, vt, quae profeſſus ſit proxime antea, ignorarit. Si ſanus eſt locus, ita in hac ſerie ferri illa poſſunt, vt fortitudinis, quae ipſa in animi bonis numeratur, ſignum adpoſuerit, bellique peritiam ipſo vſu praeſtitam indicarit; atque ita nexus excuſet.

3. *disputaretur*: coniunctiuus, quia omnino ad quemlibet circulum (conuentum) non ad certum refertur et ad quoslibet ſermones.

4. *Paupertatem*: eam multi omnino memorant, quidam ſingulatim declarant, ſic vt vnam tantum habuerit veſtem, inuentumque fuerit in eius ſupellectile nihil praeter ahenum et veru vnicum. Aelian. V. H. 5, 5. Frontin. 4, 3, 6.

caruit: quia non petebat; igitur ex Graeca ratione eſt *carere voluit*, vti in actiuis ſaepe latet voluntas, conatus et ſimilia, quod et Latini ſunt imitati. Senſus eſt: amicorum facultatibus, ad vitae ſuſtentationem oblatis vel paratis, vti noluit. Ita enim *tueri* ex nexu et adiunctis intelligi hic debet. Confirmat Plutarchus in Pelopida cap. 2. vbi adduci non potuiſſe ſcribit Epaminondam, vt eius diuitiis vteretur.

fide: an ipsius, an amicorum intelligenda sit, exemplo subiecto declarat. Nempe vbi de aliis subleuandis ageretur, tunc demum fides sua (Kredit) vsus est, et, quantum apud amicos valeret, probauit.

possit: post perfectum; nempe etiam nunc; *posset*, tunc. Hinc in sequ. *fuisse*, alias *esse*.

5. *concilium*: al. cum codd. olim *consilium*. Illud tuetur sequens *imperabat*. Ipsa vocis potestas nota, nota commistio.

cuiusque: obfendit Heusingerum, qui et vncis signauit, et Stauerenum, nec legitur in vno codice et vett. edd. facile praeterea potest subintelligi. Videtur tamen ad nimiam diligentiam referri et eo magis retineri posse, quod apertius alibi otiosa inmittuntur.

imperabat: pro re subiecta leni et amico sensu adcipi debet. Inde vero eius auctoritas elucet.

6. *fecerat*: i. e. conlegerat, comparauerat. Cf. in Cim. c. 1, 3. Ceterum plusquamperfectum indicatiui sequente imperfecto actionis celeritatem indicat, quasi vix, quum — Sic, aliis praeteritis, Iulius Caes. de B. G. 7, 22, 2. *quum destinauerant — reducebant*. Quidam hinc *faceret*, minus bene.

CAP. IV. 1. *tentata*: apte de iis, quae exploramus, vel superare, labefactare conamur. Adtigerunt ipsam rem etiam alii.

Namque: periodicam formam, qua commode poterat vti, infringunt minuta narrationis segmenta. Nempe alias sic: *Nam quum is — suscepisset, magno* — Artaxerxes est Mnemon.

Micythum: vnde hoc duxerit, ignoratur.

diligebat: imperfectum, quia non partem ipsius primariae narrationis constituit, sed aliunde adpenditur. De sensu vocis *diligere* cf. Pausan. c. 4. in.

2. *Nihil*: minime, Graecorum οὐδέν.

Nam si ea: apud Plutarch. in apophthegmat. p. 730. Opp. Vol. 6. ed. Lipsi. sic effertur: τὰ συμφέροντα Θηβαίοις φρονῶν, ἔξεις πρόπαλα φίλον Ἐπαμινώνδαν· τὰ δὲ μὴ συμφέροντα. πολέμιον.

orbis terrarum: augendi modus.

pro: commutandi habet significationem, non comparandi, etsi comparatione duarum vel plurium rerum commutatio, si arbitrium datur, facta regi solet. Est Graecorum ἀντί.

3. *Te, qui*: quidam cum codicibus etiam *Tu, quod*, vel *Tu, qui*, quod sit anacoluthon, haud quidem insolens. Magis tamen hic facit ad distinctionem *Te*, et *Tu*, quod subsequitur, vt in Phaedro 1, 19. f.

Micythe: sine graui causa vncis inclusit Heusingerus, quum adnoscant codices.

4. *id*: poterat dicere *eam*, vt proxime *pecuniam* respiceret. Sed sic in vniuersum elocutus est. *Ad me* componi debet cum *peruenisse*.

5. *deduci*: de comitatu e loco in locum. Melius igitur hic quam *duci* quorumdam librorum.

eo: vncis notauit Heusingerus quia possit saluo sensu abesse. Possit, vt multa hic illic, at tuentur libri.

6. *satis*: vsitatius seq. genitiuo ponitur. Neque tamen alii, in quibus Cicero (*satis consilium*) hanc formam fastidiunt. Nempe sic ad verbum proxime refertur.

millibus: auget. Tum *versus* etiam de prosa oratione i. e. linea, quorum numero libri magnitudinem olim solebant notare.

CAP. V. 1. *et*: Heusingerus praetulit ex 2 codicibus *etiam*, quia suspectum habet in Nepote *et* pro *etiam*. At cf. Thrasyb. c. 1, extr. Attic. c. 8, 3.

vt nemo: virtutis huius notio comparatione hac luculentius est exposita et magis aucta. Ceterum eadem de causa eum sibi socium adiunxerat Pelopidas, vt refert Plutarch. de politic. praec. p. 261. Opp. Vol. 9. ed. Lipsi.

concinnus: varie explicatur. Equidem posuerim in apta partium compositione mutuaque ratione, quare ad elegantiam recte refertur; h. l. *treffend*. Contra *ornatus* spectat ad paratum copiosum et splendidum.

2. *perpetua*: continua, contexta serie.

Meneclidam: al. *Meneclidem*. Vtrumque rectum est. Illud tamen, *ας* pro *ης*, de Thebanis vsitatius, vt Pelopidam, Epaminondam. *Meneclidan* antea, pressius Graeca sequutus, cum Stavereno dederam. At *Epaminondam* dat idem.

vt: modum rei praecedentis indicat, et, quod in vniversum antea dictum erat, moderatur; qui particulae vsus tenendus est. Sensus, quatenus id de Thebano praedicare licet.

virium: Cicero de fato c. 4. *pingues Thebani et valentes*. Cf. supra in Alcib. c. 11, 3.

3. *otii*: ex nexu de pace, vt alibi.

4. *diutina:* elegans mutatio aduerbii *diutius* in adiectiuum, quia proxime id et maxime adficit ſubſtantiuum ſc. *pace.* Tum in *palaeſtra* et *caſtris* concinna eſt obpoſitio.

5. *Meneclidas:* dedi et hic cum Heuſingero et Harleſio. Dorica forma, vbi poſt cum pluribus *Meneclida.* Alii *Meneclides* et poſt *Meneclide,* etſi in poſteriori iidem non omnes ſibi conſtant.

de vxore: quod pertinet ad vxorem; et ſic ſaepe apud Ciceronem in epiſtolis, quando agitur reſponſio ad rem quaeſitam, quatenus non integram ſententiam complectitur, vbi *quod* praemitti ſolet, ſed in vna eius voce ſita eſt. Tum *deſine exprobrare* pro ne exprobra reddit indignationem auctam rei moleſtiam amolientis. Ceterum vxorem commemorant Polyaenus 2, 3. in. et Plutarchus in parallelis p. 228. Opp. Vol. 7. ed. Lipſ. qui et filium Stebrotum ex Cteſiphonte producit; forte ex amica, meretrice ſusceptum. Cf. infra ad cap. 10. in.

ſuſpicionem: paſſiue, vt paſſim etiam in Cicerone. Nempe ſuſpectus erat apud ciues adulterii.

6. *vrbem:* Troiam.

contra ea: plerique codd. *contra ea* (vt in praefat. §. 6. infra cap. 10, 4. —) *vna vrbe noſtra,* quod et tuetur Heuſingerus, inpugnante Stavereno. Praetulerim, quia breuius eſt et concinnius, niſi ſonus obfenderit. ſunt nempe ablatiui abſoluti i. e. quum vna eſſet vrbs noſtra. Intelligit autem Thebas, et *dies* innuit pugnam Leuctricam. Ceterum elegans eſt haec prioris ſententiae inuerſio.

Cap. VI. 1. *in conuentum:* Megalopoli, qui conſtabat Arcadum legatis 10,000. Harpocration ſ. v. Μύριοι, *συνέδριον* vocat.

praeſtabat: eius *δύναμιν ἀνθοῦντος τότε μάλιστα τῇ δόξῃ* praedicat etiam Plutarchus in Demoſth. cap. 5. additque, eo audito Demoſthenem ad eloquentiae ſtudium excitatum fuiſſe.

multa: Sic in Timol. c. 5, 3. *nonnulla inuehi.* Scilicet aduerbii vicem ex Graeca ratione talia ſaepe ſuſtinent. Sic multa queri, lacrumare et ſimilia, vbi verbum per ſe et ſimpliciter adcuſatiuum non regit.

poſuiſſet: interpoſuiſſet, vt in Pelop. c. 3. in.

2. *procreaſſet:* latius, vt *ferre, vrbis alumnus* et ſimilia de iis, qui in aliquo loco nati ſunt.

Oreſtem: qui interfecit Clytaemneſtram; *Alcmaeon* Eriphylen. Fabulae notae.

procreaſſet: al. *procreaſſe;* vtrumque in libris, illud tamen in plerisque, quod et hic propter praecedens *qui* praeferendum eſt. Contra, ſi *quem* praecederet, poſſet ferri, Graeco vſu, Latinis etiam noto, vt in Themiſt. cap. 7, 5.

4. *Legati ante:* haec verba, quae in edd. antiquis deſiderantur, poſt ex codd. reuocata ſunt, ita tamen, vt plerique tamquam ſpuria vncis includerent; quidam contra tuenda ſusciperent. Nempe alii commode et ſine ſententiae detrimento abeſſe poſſe putant, etſi parum valida haec cauſa videtur, cur damnentur. Obſendit tamen repetitio vocum *legatis* poſt etiam *legationum* et *Leuctrica pugna.* Alii neceſſaria adeo ea ad ſententiam conficiendam exiſtimant, quia ante pugnam Leuctricam difficilius fuerit Lacedaemoniorum ſocios auertere. At idem haud obſcure continua narrationis ſerie indicatur. Dedi tamen MSStis locisque ſimilibus, vt remotis vncis nunc proponerem.

legationum: i. e. legatorum; abſtractum, vt ſaepe pro concreto.

tyrannidem: quam adfectabant poſt victoriam ad Aegos flumen reportatam. cf. in Lyſandro c. 1, 3 ſqq.

ſociorum: quales erant Elei, Argiui, Arcades, v. Plutarch. in Pelopida c. 24. et Xenophon in Ageſilao 2, 23.

Cap. VII. 1. *fuiſſe:* omiſi nunc cum aliis *autem*, quod editiones quaedam antiquae ſubiiciunt, et ex codd. ſolus adnoſcit Leidenſis 2.

iniurias: luculentum exemplum producit Val. Max. 3, 7. ext. 5. quum ciues irati, contumeliae cauſa, ei curam ſternendarum viarum, quod ſordidiſſimum apud eos erat miniſterium, mandarunt. Alia noſter adpoſuit.

inuidiam: in primis quod in proelio ad Corinthum, repreſſa caede, Lacedaemoniis pepercerat. Diodor. 15, 72.

duxque: quem Cleomenem vocat Pauſanias 9, 15, 1. Refert autem ad eam expeditionem, quam ſuſceperunt Thebani in Alexandrum, Theſſaliae tyrannum, qui perfide Pelopidam in vincula coniectum tenebat. De qua re etiam narrat Diodorus 15, 71. cf. in Pelopida c. 5, 1.

errore: ex praecedenti *imperitus* intelligitur.

multitudo: codices aliqui pro hac voce ſubſtituunt *res.* Displicet vtique *illa multitudo*, quum nihil eiusmodi,

quod diſerte numerum declaret, praecedat, et malim *deducta res militum*, vti in codd. 3. exſtare notatur. *Deduci* autem de illis dicitur paſſim, qui in malum incidunt.

2. *numero:* i. e. loco, vti Cicero in diuin. in Verrem c. 19. *parentis numero*, pro quo paullo ante dixerat *loco*. Non igitur opus erat contra codices obtrudere *militum*, quod olim aliqui fecerunt. De ipſa re Pauſanias c. 1. ἐν τοῖς στρατευομένοις ἐτάχθη. Plutarchus in libello an ſeni ſit gerenda res publica ad fin. in ὁπλίταις eum tunc fuiſſe narrat, et Diod. Sic. c. 1. habet ἰδιωτεύων.

adhibuit: adcommodate.

reduxit: recepto Pelopida.

3. *Peloponneſum:* cf. in Iphicr. c. 2, 5.

duos: ita etiam Appianus in Syr. c. 41. Alii plures memorant, ſummum tamen Epaminondam.

Hi: ſic repoſui ex MSS. Τὸ *c* adhaeſit ex ſequenti voce. Subiicitur quidem *his*, ſed et poſt *eorum*, et ſic talia paſſim. *Criminibus* i. e. criminationibus, vti ſaepe.

abrogatum: conſentit et hic Appianus in Syriacis c. 41. Alii tamen quatuor menſibus ſupra legitimum tempus Boeotarchiae munus geſſiſſe ſcribunt. Cf. infra.

4. *Populiſcito:* melius quam quod quidam codd. et libri editi habent *plebiſcito*, de quo ad Ariſtidem c. 1, 5.

inſcientiam: vox proba, vti docet Cicero de Off. 1, 3, 4. et alibi, pro qua olim edd. ſubſtituebant *inſcitiam*. Opponitur verum vſui, experientiae.

Cap. VIII. 1. *Cauſam:* cur non paruiſſent, et hinc omnino hic eſt culpa.

opera: explicatius et ad culpam Epaminondae et ad eorum excuſationem augendam.

factum: notanda eſt elegans periphraſis pro ſimplici verbo; *ſuaque opera legi non obediiſſe*. Sic, vt vnum exemplum adferam, Cic. de Senectute c. 12. *Inuitus feci, vt Flaminium eiicerem ex ſenatu*. Adhibetur illa apte, vbi ſubeſt notio adparatus, operae.

2. *dixerant:* aptius ad notandam temporum rerumque ſeriem, quam quod quidam legunt *dixerunt*.

periculo: hoc vocabulum, quod codices omnes et editiones (tantum Aldus *ſepulchro*) tuentur, multis multorum coniecturis et explicationibus agitatum eſt. In potioribus coniecturis adparent *ſcapulo*, *cippo*, *titulo*. Auctores Graeci vel στήλῃ habent, vel τάφος, ad quorum ſenſum explicatione facta propius illa vox admoueri debet.

Ducitur autem maxime ex cod. Theodoſiano, vbi, quod in vno loco dicitur *periculum*, in altero eſt *libellus*, *recitatio ſcripti*, de quo cf. Gesneri theſaurus L. L. h. v. Confirmat id auctoritas Ciceronis in Verrin. 3, 79. vbi tabulae magiſtratuum et pericula coniunguntur. Cf. idem in Verrin. 2, 43. f. et quae ibi monentur. Inde adparet, adſcita aliorum narratione, *elogium* eſſe *damnationis*, quod columnae inſcribi voluit. Hinc et columnam diſerte alii commemorant. Simile aliquid ſupra in Alcibiade c. 4, 5. adfuit.

3. *Leuctra*: Gr. Λεῦκτρα, ων. Fuit vicus Boeotiae; ipſa pugna celeberrima, in qua Lacedaemoniis praefuerunt Cleombrotus et Archidamus. Acerbe autem *coegit ſuperare* pro *ſuperauit* ſimpliciter. Tum apte, quia in *coegit* ſubeſt vis, iniuria et damnationis cauſa praetexta.

adſpicere: extremi timoris notatio, quod hic mirifice intendit victoriae praeſtantiam et laudem.

4. *libertatem*: ſcilicet Lacedaemonii principatum Graeciae ſibi adrogauerant, a quo potentiae faſtigio tunc et poſt proelium ad Mantineam praeter opinionem deiecti ſunt. Hinc ſupra c. 6. fin. *tyrannis Lacedaemoniorum*.

ſatis haberent: contenti eſſent, adquieſcerent. Ita optimi ſcriptores. Recurrit in Hannib. 10, 5. ſequente infinitiuo.

5. *Meſſene*: vrbs Peloponneſi, olim regio et pars Laconicae. Cf. Strabo lib. 8. pag. 358. ed. Pariſ.

conſtituta: codd. etiam *reſtituta*, vt in Pelopida c. 4, 3. magis quidem proprie, quum Epaminondas Meſſeniis ditionem reſtituerit, ex qua 300 fere annis ante a Spartanis fuerant eiecti; ipſam etiam vrbem ab iis dirutam inſtauraui. Sed et Graeci latius omnino hic ponunt οἰκίζειν, κτίζειν, etſi de vrbe, quae adeo tunc primum videtur eſſe condita, (cf. Pauſan. 4, 1, 2.) at de regione ſ. agro adhibent verba ἀνοικοδομεῖν et ἀποκαθίστασθαι.

disceſſit; de euentu certaminum in foro, acie — dici ſolet.

CAP. IX. 1. *Mantineam*: Gr. Μαντίνεια, vrbs Arcadiae, quam hodie putant eſſe Tripolizza. De proelio multi.

hoſtibus: Boſius et poſt alii quidam ex vno codice praetulerunt *hoſtes*, vti habent libri aliqui in Eumene c. 4, 2. Equidem, etſi de hac ſtructura non pugno, quum vtrumque caſum etiam notet Priſcianus lib. 18. p. 1183.

(ed. Putſch.) adcnſatiuum tamen ad comicas potius ablegandum et datiuum retinendum cenſeo.

vnius: tenenda hic obpoſitio et forma periodica.

facta: omittunt libri veteres. Tum quia tautologiae ſpeciem adnexa praeferunt, haec omnia vncis includenda putauit Heuſingerus. Forte *magna caede, multis ob-ciſis*: vti Cicero pro Milone c. 11. dicit: *caedes, qua Clodius obciſus eſt.* Disceptatur porro, ad quos illa verba referenda ſint. Ad Lacedaemonios ex nexu, opinor, in Epaminondam acriter inruentes, et hominum ſtrage viam quaſi ſibi parantes, etſi omnino, vtrimque caedem factam eſſe, per ſe patet.

ſparo: iaculum ruſticum, rude in modum pedi recuruum. Graeci hic habent δόρυ. Latini *haſta*, Cicero et *haſta* de Finib. 2, 30. et *ſpiculum* in epiſt. ad div. 6, 11. vti ſolet in talibus. Sic paullo poſt *haſtile* Noſter habet. Ipſum necis auctorem Athenienſes et Thebani iactarunt Gryllum, Xenophontis filium, alii alium. Pauſ. 8, 11, 4.

3. *emiſſurum*: ita recte, MSS. etiam adſtruentibus, in ed. 2. repoſuit Boſius, quum antea legeretur *amiſſurum*, quod quidem apte de vita, non item de anima, ſpiritu, dicatur. Tum *emiſſurum* elegantius cum cauſa cohaeret, quae notatur verbo *extraxiſſet*.

viciſſe Boeotios: dubiam alii faciunt victoriam, certe poſt Epaminondae mortem vtrosque ſibi ſuo iure adtribuiſſe, refert Xenoph. hiſt. Graec. 7, 5, 26. ἀμφότεροι ὡς νενικηκότες τρόπαιον ἐστήσαντο. Ceterum de Epaminondae morte et vltimis eius verbis multi narrauerunt, e quibus conferri poſſunt Cicero de Finib. 2, 30, 3. epiſt. ad diuerſ. 5, 12, 16. Iuſtin. 6, 8 fin.

CAP. X. 1. *Vxorem*: Polyaenus tamen 2, 2. illi dat γυναῖκα, quod vel ſuſpectum habent, vel de meretrice explicant. Certe ab hac parte intemperantiorem fuiſſe ſcripſerat Clearchus teſte Athenaeo 13, 6. p. 590. Et ſic ἐρωμένην memorat Plutarchus in polit. praec. p. 224. Vol. 9. Opp. ed. Lipſ. et ἐρώμενον Theopompus apud Athenaeum lib. 13, 8. p. 605. Contra Plutarchus in Pelopida c. 3. eius βίον μονάρρετον praedicat, quod, quia Pelopidae γάμος λαμπρός et παῖδες obponuntur, de vita caelibe intelligunt. Sed et ille in parallelis p. 228. Vol. 7. Opp. ed. Lipſ. ex Cteſiphonte Teſimbrotum, Epaminondae filium, producit, quae quidem mire diſiiciunt ſummam narrationis et conſtantiam. Cf. 5, 5.

quod relinqueret: haec verba poſt *diceret* reiecit cum aliis contra veteres libros Lambinus, ſed in legitimam ſedem reduxit Boſius in ed. 2, idem tamen, vncis adpoſitis, ſpuria iudicauit, tamquam ex c. 5, 5. huc arceſſita. Exſtant tamen in MSS. omnibus, nec, cur reiiciantur, ſatis cauſae ſubeſſe puto, quum in primis ſequentia ex iis inluſtrentur et comprobentur. Quare, quod nunc quidam fecerunt, vncos remoui.

a Pelopida: amicis mortem deplorantibus hanc orationem tribuit Diod. Sic. 15, 87. vbi Epaminondas etiam aptius de duabus filiabus reſpondet, de pugna Mantineenſi et Leuctrica. Cum Diodoro conſentit etiam in tempore Valer. Max. 3, 2. ext. 5. Aut igitur errauit Nepos aut auctores discrepant. Illud tamen veroſim ilius eſt ob tempus.

diceret: ſc. Pelopidas. Minus concinne propter ſubiecti formam male in eadem ſerie mutatam. Melius vtique, quod recte vidit et monuit Heinrichius: *in quo quum eum reprehenderet Pelopidas et diceret.*

infamem: de hoc nihil apud alios legitur; παῖδας commemorat omnino Plutarchus in Pelopida c. 3.

vide: in modeſta reprehenſione ad adtentam cogitationem parata. Simile *neſcio an*. Contra *vide, ne non* in efficacioribus monitis.

2. *natam*: haec eſt concinnitas in breuitate reſpondendi, quam ſupra c. 5. de eo praedicauit.

3. *domo*: infra in Pelopida c. 4. in. vbi hunc locum reſpicit, *domi quietus fuit*, et ſic in Dione c. 9. in. *domi ſe tenere*, et alibi, quare etiam ſic olim aliquae edd. repoſuerant. At codd. omnes hic ſtant pro altera forma, quam etiam paſſim eodem vſu et ſenſu obcurrere, certe in MSS., et poni poſſe, quidam contendunt. *Domi* tamen maiori conſenſu probatur, et *domo* ope particulae *in* explicari debet, vt dicitur in Eumene 5, 7. *ſe, vno loco tenere* et ſimilia.

ſuorum: ciuium, ex nexu.

ad Cadmeam: arx Thebarum, a Cadmo conditore. Cf. in Pelopida c. 1, 2. Codices *achadémiam* vel *academiam*, vnde Heuſingerus veram lectionem eſſe *ad Cadmeam*, vel, vt olim quidam, *ad Cadmiam*, non temere ſuſpicatus eſt, quae cur reddi non debeat, quum cauſa nulla ſubſit, reddidi.

pugnare: ita olim edd. quaedam, quod et ferunt codices. Hodie omnes *pugnari*, quod tum recte se haberet, si sequeretur *coeptum est*, vti in editione mea priori, nescio nunc, vnde, expressum legitur; nam in nullo quidem libro notatum inueni. Reuocaui hic *pugnare*, quod, etsi *pugnari coeptum est* magis hic per se probem, in hoc tamen auctore praestat, quam *pugnari coepit*, in primis quum ad illud deducant libri veteres.

stare: de militibus in acie, vnde omnino pugnare, quod *in primis*, in prima acie, in primis ordinibus, erat virtutis insignioris documentum et honorificum.

4. *Thebas:* idem praedicant Strabo l. 9. p. 401. ed. Paris. Diod. Sic. 15, 88. Iustinus 6, 8. et alii. Pro *eat* 2 codd. *it;* forte melius, quia confidentius adfirmat.

vnum: emicans laus, ex obpositione.

PELOPIDAS.

CAP. I. 1. *historicis:* igitur doctis, literatis, quos Cicero pro Murena c. 7. cum historicis coniungit, et populo obponit. Pertinet autem ad Romanos, quibus Nepos scripsit.

magis notus: variatio simplicis comparatiui.

ne: primus inseruit Lambinus, desideratque narrationis connexus et vsus, propter *videar*. Heusingerus *ne non* reiecit post *incipiam*, et sic sustulit elegantiam periodicae formae. Similis locus, quem excitauit Bosius, legitur in Cicerone de Orat. 3, 9. *ne, si paullo obsoletior fuerit oratio, non digna exspectatione fuisse videatur.*

historiam: latius igitur patet, quod et adiuncta declarant. Nam connexa simul complectitur et in aliorum res eodem tempore gestas exspatiatur. *Historia* plura dat plurium, *vita* ad vnum, cuius causa scripta est, omnia maxime refert. Sic Plutarchus in Alex. in. οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους.

summas: potiores, praecipuas. Subintellige *res*, quod addit in Eumene c. 7, 2. 9, 2. 10, 3. Igitur supra *res* omnino latissimo sensu posuit, nunc ad exstantiores, insigniores, redigit. *Adtingere* breuitatem, tenuitatem indicat, cui *explicare* obponebatur.

lucide: apte haec componit. Ceterum elegantia praefationis notanda videtur.

1. *Olynthum:* vt adiuuaret Amyntam, Macedoniae regem, qui, quum ei satisfacere noluissent Olynthii, vrbem obpugnare meditabatur. Diod. Sic. 15, 19. Paullo aliter Xenophon in Hist. Gr. 5, 2. Fuit autem Olynthus vrbs Thraciae iuxta Macedoniam.

perpaucorum: qui fuerunt Archias, Leontidas et Philippus. Plutarch. in Pelop. c. 5. Turpiter vero id factum, et mala fide, omnes monent.

aduersariae: in qua Ismenias, Pelopidas ipse aliique.

publico: contra Diod. 15, 20. clam ephoros mandasse scribit, vt, obportunitatem nactus, arcem occuparet.

3. *pecunia:* δέκα δραχμῶν μυριάσι. Plut. in Pelopida c. 6. in. quae efficiunt summam circiter 20,900 thalerorum. Ab interitu eum seruauit Agesilaus, quippe qui id factum probabat atque adeo mandasse vulgo credebatur. Idem in vita c. 23. f. In eius remoti locum substitutus est Lysanoridas. Idem de genio Socratis p. 175. Vol. 8. Opp. Lips.

reddiderunt: impellente Agesilao. Plutarch. c. l. De ipsa re idem in Pelopida c. 6. diuersa forma vsus est: οὐδὲν ἧττον φρουρᾷ κατέσχον. Ille scilicet τῷ *neque magis*, id quod positum est, tollit, hic firmat, quod in contrariis verbis aequam rationem efficit, et variationi inseruit.

aduersus: absolute, vt in Ages. c. 4, 6. et alibi. Sic *contra.* In Miltiade c. 4. in. addit *se.* Neque obstendere potest, quod in *resistere* ea notio expressa lateat, cuius modi exempla non sunt rara. Adiectum magis etiam intendit. Frustra igitur hanc lectionem sollicitauerat Lambinus.

4. *partim:* debebat sequi *partim* vt c. 3. quod alibi dicitur *alii — alii.* Sed ita passim deflectunt auctores et Latini et Graeci.

pulsus: eleganter inseritur participium, quod plenioremnon solum orationem et numerosiorem efficit, sed et, apte delectum, luculentiorem rei descriptionem, ex forma, modo, aliisque adiunctis petitam, conficit. Sic, vt vnum adferam exemplum, Virg. Aen. 3, 21. *Fama volat, pulsum regnis cessisse paternis.*

Cap. II. 1. *non quo:* sequente *sed vt*, de consilio dicitur, at de causa *non quo — sed quia*, vel etiam *sed quod.*

quemque: i. e. *quemcumque*, quod temere Lambinus, renitentibus libris, substituit. Ita enim optimus quisque. Ita vero post *vt* incisum minus poni debet, quod

ante Heusingerum adparebat post *sed*, vt in ed. Wetzelii; atque id adeo tueri nititur Schmiederus.

obtulisset: proprie sic et apte, vt alibi *obiicere*. Ea ad praecedentia referendum non ad *quo*.

2. *quo:* Heusingerus ex vno codice malit: *quo die*, quia saepe substantiua *dies*, *locus*, et similia iterentur. Sed sine maiori codicum consensu obtrudere nolim.

maximi: intelligendi Polemarchi, inque iis praecipue Archias et Philippus, quod ex Xenoph. in Hist. Gr. 5, 4. in. et Plutarch. in Pelopida c. 11. elucet. Secundum hunc Philidas γραμματεὺς (Staats-Secretär) consilii illius conscius eos ad epulas inuitauerat; sed Ἀφροδίσια illo die epulis celebrasse narrat Xenophon, quod propter verbum *consueuerat* verius videtur. Magistratus in plurali de collegio.

3. *magnae:* praeponit in fronte quasi sententiae, vt adtentione iniecta, lectores praeparet. Si ipsam rem spectes, conferri potest Thrasybulus c. 1, 2. et 2. init. vt taceam aliorum loca.

duodecim: consentit in numero Plutarchus c. 8. in. Xenophon tantum septem habet.

centum: Plutarchus c. l. cap. 9. cum exsulibus omnino in domo Charonis ad facinus adgrediendum conuenisse dicit 48. idemque repetit de genio Socratis p. 348. Vol. 8. Opp. ed. Lipsi. vbi prolixe de illa Thebarum conuersione exponit. *Amplius* autem vel sic nude, vel sequente *quam*, ponitur.

perculsa: plus valet, quam *percussa*, quod et hic, vt alibi, commutant libri. cf. ad Dionem 5, 2.

4. *non magis:* recte *non magis*, quoniam, cuius discrimen negat, praecedit. Contra *non minus*, de quo supra.

Spartanis: qui arcem tenebant; c. 1, 3. Minus tamen adcurate totius Graeciae principes illo tempore fuisse dicit, quum iam antea ab hoc fastigio deiecti fuissent. cf. Cimon. c. 4, 5.

concidit: compositum, vt saepe, vim intendit, et in vno euenisse innuit, quod plures effecerint.

5. *igitur:* summam narrationem, quam interposita sententia inciderat, denuo nectit. Sic in Thrasyb. 4, 3.

Pelopidas: Mellonem in primo loco ponit Xenoph. Hist. Gr. 5, 4, 3.

exissent: sequitur *exierunt*, minus eleganter. Sed talia in nostro passim obiiciuntur.

caelo: *die* in hoc nexu addit Tacitus Hiſtor. 2, 49.

ipſo: nos *gerade.* Inſeruit enim ſaepe adcuratiori temporis notationi.

tempus: veſpertinum propter epulas, vel omnino *tempus diei.* Tum vero rectius praecedebat *dies*, cuius partem indicat *tempus.* Ita adfinia ſaepe coniunguntur *dies* et *hora*, *locus* et *ſedes*, *vires* et *vis* in Thraſyb. c. 1, 1. Alii opportunitatem explicant, quae quidem erat in tempore illo veſpertino et epulis.

CAP. III. 1. *propoſita:* alii, cum plerisque etiam codd., *poſita*, quod et ego antea ſecutus eram. Nunc vtique illud magis placet. Nempe cum *re poſita* proxima quidem cohaerent, et ad eorum pleniorem et adcuratiorem deſcriptionem valent. At quum Nepos voluiſſet omnino docere, quantus vir fuerit Pelopidas, et quantas res non ita magnis copiis geſſerit, illi rei vel argumento propoſito nunc interponit, quae ſententiam ſubiectam inluſtret.

nimia: breuiter. Non enim ſententiam interponit, ſed exemplum, ex quo duci illa ſententia et comprobari poſſit.

quaerere: at quaeſiuiſſe, re adlata, ex Charone adſcito narrat Plutarchus in Pelopida c. 9. quamquam negligenter. Tum etiam *laborarint* docet, pro inquirere poſitum h. l. eſſe.

2. *Archia:* varie mireque hic locus in MSS. turbatur. Vti nunc exſtat in edd. reſtituit Aldus, adiutus a Plutarcho in Pelop. c. 10. qui, dum eamdem rem commemorat, ſcribit: ἥκέ τις ἐξ Ἀθηνῶν παρ' Ἀρχίου, τοῦ ἱεροφάντου, πρὸς Ἀρχίαν, τὸν ὁμώνυμον ξένον ὄντα καὶ φίλον, ἐπιστολὴν κομίζων. Atque eadem repetit de Socratis genio p. 356. Vol. 8. Opp. ed. Lipſ. Certe perſpicuitatis cauſa noſter ſubiicere debebat *Archiae cognomini.* Hierophantae erant ſacerdotes Athenienſium, qui maxime ceremoniis Eleuſiniis praeerant.

maximum: nempe erat Polemarchus.

perſcripta: i. e. adcurate ſcripta.

ſignata: ſic codd. edd. tamen aliquae, ex recentioribus etiam, Buchnero auctore, *ſicut erat*, *ſignatam*, quia verba *ſicut erat* in ſimili nexu abſolute ſoleant poni; tum per ſe adpareat, *ſignatam* epiſtolam aduenisſe. Prius etſi non omnino falſum eſt et exemplis auctorum probatur, ſunt tamen alia eaque plurima, quae pro vulgata lectione pugnent, a viris doctis producta, e quibus quidem vnice huc valere ea poſſunt et debent, in quibus haec

formula rerum connexu ab adiunctis discrepat, sic vt non idem adficiat, sed totum describat; veluti apud Iustinum 14, 4. init. *laxatis vinculis, sicut erat catenatus, manum ostendit;* vbi nemo emendet *catenatàm.* Et sic ex aliis adparet, participium vel adiectiuum recte adiungi. Alia est ratio, vbi eadem res spectatur, vt alterutro modo referri eodem sensu possit. Sic Valer. Max. 4, 6, 3. *Quem amici, sicut erat, togatum et calceatum corpori coniugis iunxerunt,* vbi eodem sensu vnus codex habet, *sicut erat togatus.* At in diuersa structura, et vbi totum respicit vel integram sententiam, *sicut erat,* absolute poni debet. Sic Ovid. Met. 6, 657. *Sicut erat, sparsis furiali caede capillis, Prosiluit.* Hinc vero de posteriori dubitatione iudicare licet. Quae quum ita sint, hic codicum lectionem deserendam non putaui.

sub: recurrit in verbo, sed ita *adire,* vt in Themist. 7. in. et similia obcurrunt.

seueras: reuocaui ex libris, quod Staverenus in edit. 2. mutauerat in *serias;* sensu, quod nexus docet, eodem, etsi *seuerus* plus est, hoc in formulae vsum fere transiit. Vtrumque etiam coniunctum reperitur. Plut. in Pelop. c. 10. εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα. Et *rem seueram* dixit etiam Cicero de Off. 1, 40.

puluinum: cui incumbebat, quod addit in simili narratione Curtius 3, 6, 7. *Adcubitus* in epulis notus.

3. *exsulibus:* qui muliebri veste tecti latebant. Pleniora dant Xenophon et Plutarchus.

concurrerunt: notanda rei festinatio, omissa etiam copula, eleganter designatur.

ad arma: diducit, quae poterat adnectere, nempe *ad arma pro libertate* capienda.

obsidione: latius valet. Nempe non vrbem ipsam obsidebant vndique cinctam, sed arcem Cadmeam obcupatam tenebant, vnde vrbem coercerent, ne quid moliri posset. Sic in Timoleone 3, 3.

obcupandae: at obcupata erat. Igitur respicit primum consilium, de euentu obcupatae, quae tamen participia in hoc maxime connexu non raro permutantur. Cf. ad cap. 4. in.

Cap. IV. 1. *supra:* in Epaminonda c. 10, 3. *Docere* in hoc nexu narrare, tradere, vt in Miltiade 6. in. Contra sic *discere.* Ex glossa igitur et male edd. quaedam olim *diximus.*

Epaminondas: Plutarchus tamen in Pelop. c. 11. et alibi tradit, eum cum Gorgia populum congregaſſe et auxilio veniſſe. At conſtat ſibi Noſter. V. in Epaminonda c. 10, 3. Neque tamen ille in exſilium miſſus erat, ſed ob paupertatem et philoſophiae ſtudium domi manere potuit.

liberandarum: de conſilio. Poterat vtique dicere *liberatarum*, ſed, quod paullo ante monui, et pluribus, hoc etiam exemplo interpolito, docuit Perizonius ad Sanctii Minervam 1, 15. n. 8. haec participia paſſim commutantur.

propria: recte et Latine; obponitur *communis*. Simile ſupra in Thraſyb. c. 1, 3.

2. *Leuctrica: in*, quod multi praemittunt, et hodie, debetur Lambino. Nolui igitur nunc repetere, etſi bene adſit.

delectae manus: ἱερὸς λόχος. ſacra cohors, Diod. 15, 81. quae conſtabat trecentis hominibus fortiſſimis, vt plurimi tradunt. Quia coniurati erant, adceſſit cognomen ἱερός.

Sicut: exempli gratia, vt in Datame c. 9, 2.

obpugnauit: ſc. Epaminondas. De ipſa obpugnatione etiam in eius vita 8, 4. vbi, quod hic eſt *reſtituere*, dicitur *conſtituere*.

legatus: effecit auctoritate et nominis gloria, vt legatio Lacedaemoniorum et Athenienſium, de ſocietate ineunda ad Artaxerxem miſſa, inrita caderet, et Meſſene αὐτόνομος ἀπὸ Λακεδαιμονίων reſtitui poſſet. Ita Plutarchus in vita c. 30. aliique.

Denique: breuiter, omnino, vbi praetermiſſis pluribus ad ſummam reliqua redigimus.

altera perſona: mira loci huius primo intuitu ſpecies. Ipſam rem ſi ex ſenſu verborum ſpectes, haec eſt: Fuerunt omnino tum duo viri Thebis, qui eminerent, et praecipuas partes agerent, Epaminondas et Pelopidas, ita tamen, vt ille priorem locum teneret, proxime ſequeretur Pelopidas. *Perſona*, quod notum, ex ſcena ductum eſt, et ſic ſaepe abſolute poſitum notionem includit dignitatis, muneris, officii. — *Alter* ſpectat numerum parium et aequalium in re ſumma; *ſecundus* ordinem ſuperiorum et inferiorum in re gerenda. Sic fere cum aliqua mutatione Horatius 1. od. 12, 18. *Nec viget quidquam ſimile aut ſecundum; Proximos illi* (Iovi) *tamen occupauit Pallas honores;* vbi ſimilia adferuntur ab interpretibus. Conferri meretur locus Ciceronis in Bruto c. 47. init.

CAP. V. 1. *caruit:* eleganter pro *fuit.* Sic supra c. 1. f. *pulsus patria carebat*, in quibus nota discrimen temporum. Nempe hic facit ad summam narrationem, ibi est eius adiunctum. Paullo post *confossus cecidit* eadem forma.

redigere: frequenter de iis dicitur, quae in potestate antea non fuerunt, compositum pro simplici, et hinc idem quod subiicere, adiicere.

legationis: eius plures meminerunt, veluti Polyb. 8, 1. Plutarch. in Pelopida c. 27. in. quod temere negarent, vel omnino ignorauerat. Lambinus. Thessali nempe Alexandrum Pheraeum adcusauerant, quod ciuitates vexasset.

sanctum: inuiolabile. Coniunctiuus subiicitur, quia causa, vel explicatio, adfertur.

Pheraeo: a Pheris Thessaliae oppido; ipsum tamquam crudelissimum tyrannum omnes describunt.

comprehensus: Pharsali et Pheras deductus.

2. *Hunc:* cum Ismenia. Plutarchus in Pelopida c. 29. f. Ismenias tamen postea, velut princeps factionis, quae Spartanorum rebus aduersabatur, Cadmea capta, Lacedaemonem abreptus et necatus est. Idem c. 5.

recuperare: nota hic de hominibus positum, quum vsitatius ad res referatur. Cf. ad Agesil. c. 6, 3.

is: poterat saluo sensu abesse. Ita tamen *is* et *hic* non noster solum, sed et alii, quasi diserte magis praecipuam personam, quae producitur, notare velint.

persuasit: expetitus a Thessalis, quos iterum vexabat Alexander, vti narrant Plutarch. l. c. 31. et Diod. Sic. 15, 80. init.

tyrannosque: at fuit vnus Alexander, qui secundum eosdem auctores abrepta restituit, et Pherarum dominatu adquieuit. Igitur, vt solet fieri, rem omnino respicit, vel futura tempora ex gentis, filiorum cogitatione. Aliter post diuerso nexu in ipsa narrationis parte.

3. *simul ac:* sequente consona; *simul atque* ante vocalem ex frequente vsu.

4. *degressus:* codd. et edd. ante Lambinum *digressus*, mutatione crebra huius particulae. Vsitate quidem illud obpositum habet *adscendere*, sed, vti passim emendant viri docti, significat etiam *secedere, seorsum ire, deflectere.* Tum vero congruit Plutarchus in Pelopida c. 32. non solum, vbi dicit: πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἐξαλλόμενος ἐφέρετο, sed et priorem significationem tueatur eo, quod praeponit: ἀπὸ τῶν ἄκρων πατιδῶν ἅπαν τὸ στρατόπεδον τῶν πο-

λεμένων. — At quum nihil eiusmodi a Noſtro indicetur, praeſtat poſteriorem notionem tenere, qua ſic a *digredi* differt, vt homines inuicem *digrediantur*, ab ipſis locis *degrediantur*.

cecidit: al. *concidit* etiam in libris veteribus. Reliqui tamen cum edd. quibusdam, in quibus hodie Stavereni min. *cecidit*, quia hoc ſuauius auribus adlabitur, etſi moleſtum eſt ſequens *adcidit* auctoris culpa. Ceterum pro *eſt* eleganter poni, antea monui. Sic cap. 7, 4.

ſecunda: varie explicatur, vel propitia; ſatis languide; vel ſequente, proſequente, vt ventus ſecundus, quod parum a priori discrepat. Tentarunt alii ſic, vt mallent *ſequuta* reponere, vel, vt Lambinus, *ſecunda pugna*. Equidem ex Diodoro 15, 80. vſitata ſignificatione et propria intelligo. Ita enim ille: ὁ Ἀλέξανδρος δευτέρᾳ μάχῃ λειφθείς, nec repugnat Plutarchus c. 32. et quae ſequuntur.

tyrannorum: vt ſupra §. 2. Videtur tamen ſocios habuiſſe et adiutores tyrannidis Alexander.

coronis aureis: prolixe de honoribus, poſt mortem illi habitis, Plutarchus c. 33. qui commemorat τρόπαια, στεφάνους καὶ πανοπλίας χρυσᾶς, ſed de liberis nihil eiusmodi.

AGESILAVS.

CAP. I. 1. *Socratico:* quia Socrate praeceptore et duce vſus erat. Ita eum etiam adpellat Cicero de Offic. 1, 24. f. *Conlaudauit*, i. e. maxime laudauit, is Ageſilaum in peculiari quodam libello, qui etiam nunc hodie in eius ſcriptis fertur, etſi quidam, in primis Valckenarius a Sophiſta aliquo profectum eum putant, aliis vel adſentientibus, vel reluctantibus.

vſus eſt: vter altero? etſi omnino parum refert. Sine dubio in hac ſcripturae continua ſerie Ageſilaus Xenophonte. Eum enim in magno honore habuiſſe, adfirmat Plutarch. in vita Ageſilai c. 20. et in Lacon. apophthegm. p. 796. Vol. 6. Opp. ed. Lipſ.

2. *Hic:* alii *hinc;* minus bene. Ita enim ſolet Noſter aliique, vbi praecipuam vel nouam narrationis partem exordiuntur, vel ad ſummam redeunt.

Leotychide: cf. §. 4. Ceterum olim edd. quaedam, et antiquiſſimae, *Leutychide*, vti eum conſtanter vocat etiam Herodotus.

a maioribus: in auctore discrepant scriptores. Alii enim Lycurgo tribuunt, alii Theopompo, quidam Chiloni. Res autem haec est: regiae potestati oppositi ephori, quemadmodum Romae consulari imperio obiecti erant tribuni plebis, vt dicit Valer. Max. 3, 1. ext. 8. et antea Cicero de Legibus 3, 7.

duos: quorum alter exercitum ducebat, alter ciuitatem regebat. *Haberent*, etsi *mos est* praecedit, pro habeant, quia vim praeteriti subesse volunt τῷ *est*, vti sic saepe in Caesare. Ricleffius causam ponit in eo, quod antea adiectum est *a maioribus*.

nomine: infra de regibus in. *Agesilaus nomine, non potestate, fuit rex.*

familiis: ex Heraclidarum progenie. Plutarchus in Lysandro c. 24. Mox duas familias dictas adfirmat *Eurytiontidas* (alibi variatur) et *Agidas*. Pausanias 3, 7. in. habet *Eurypontidas* et antea *Proclidas* (sic) nomen habuisse adiicit. *Agiadae* vero, vt idem c. 6. monet, ad Eurysthenis gentem pertinent.

Proclis: ita et nunc, Lambino obsequutus, reddidi, etsi cum libris praeferunt plerique *Procli*. Nempe Graeci constanter Πρωκλῆς, vnde *Procli* descendere non nisi librariorum via potest. Cf. de hac forma quae dixi ad Themist. in. Sic *Proclus* apud Ciceron. de Diuin. 2, 43. in. ex bonis libris etiam recte transiit in *Procles*.

principes: primi.

3. *Horum:* ita omnes codd. et edd. veteres, quod nunc, vt nuper quidam, praetuli. Alii, etiam hodie, *harum* praeferunt, propugnante in primis Stavereno. Sensus idem, vtro modo legas, exire debet; ex eadem semper familia, qui mortuo regi subcederet, eligendus erat. At de vera lectione iudicari debet ex structura et connexu verborum. Quod si enim legeris *harum*, subintelligi debet familiarum, vnde conliditur vox repetita non solum, sed et duriorem sensum infert hunc, vel certe languidum: familia neutra in alterius locum subcedere debet, quum id non de tota familia valeat, sed de singulis ex illa familia ortis, vt ex eadem semper familia subcessores constituerentur. *Horum* autem refero ad *reges*, de quibus initio huius narrationis in vniuersum dixerat, minime ad Proclem et Eurysthenem, qui ad explicationem primariae sententiae pertinent, et propter adiuncta de familiis cogitari hic nequeunt, neque fieri poterant reges, quum iam essent.

Horum est ex his duobus omnino regibus, et in *fieri* regem subplevi debet ex nexu. Post autem *vtraque* etiam ex librorum consensu recte habet, etsi male auribus noster consuluit.

tum: sic in apodosi ad definiendum tempus, vti fit saepe etiam apud Ciceronem. *Tunc* autem veteres libri, al. *tum*, quod subcessionem in progressione, recensu indicare videtur, etsi codd. disturbant. *Deligebatur* autem melius, quam, quod alii habent, *diligebatur*, vel *eligebatur*. Nempe *deligitur* ex pluribus, et quidem idoneis, *eligitur* ex promiscua multitudine.

4. *natum:* i. e. quum natus esset. Nempe Leotychides ex Alcibiade, qui Timaeam, Agidis vxorem, conrupisset, susceptus credebatur. Plutarch. in Lysandro c. 22. Male in quibusdam libris *viuens* vel *viuus*. Scilicet obpositum quaerebant τῷ *mortuus*. De ipsa contentione v. Plut. c. l. et alibi, et Xenophon Hist. Gr. 3, 3. in. et in Agesil. 1, 5.

dixerat: precibus et lacrumis pueri expugnatus, (Plut. c. l.) vel poenitentia ductus. (Pausan. 3, 8, 4.)

neque id: pro *neque tamen*, vel vt Sueton. in Tiber. c. 11. extr. *petiit — sed non impetrauit*, pluribus tamen interpositis. Similia dabit Turselinus de particul. c. 144. in.

5. *Lysandro:* qui Agesilaum puerum amauerat. Plutarch. in Ages. c. 2. in.

supra: in Lysandro c. 1, 3. confirmante idem Plutarcho in vita c. 18. et alibi. A verbis: *Nam Lysandro —* edd. quaedam caput 2. exordiuntur, et sic male seriem narrationis continuae interpellant.

Cap. II. 1. *simul atque:* quaedam edd. olim *simul ac;* minus bene, quippe sequente vocali. Inter *imperii* et *imperio* etiam codd. fluctuantur. Sic *regni* Cicero ad Div. 1, 7. et similia noto vsu. Ceterum *simul atque*, si tempus spectes, vage dixit. Nempe Agesilaus imperium adeptus est annis 4 ante, quam in Asiam [illegible]retur. Nec, si adparatus moram interponas, admittit ea celeritatis proxima notatio.

persuasit: inpellente Lysandro. Xenoph. in Hist. Gr. 3, 4, 2. Plutarch. in Lysandro c. 23. et in Ages. c. 6. in. Sed vt noster, Xenophon in Ages. 1, 7. Contra iussum esse Agesilaum exercitum in Asiam traiicere, scribit Pausan. 3, 9. in.

emitterent: verbum in hac re proprium aptumque, si respicias in expeditione patriae fines, in proelio castra.

Ceterum exercitus fuit ſex mile militum, qui numerus poſtea creuit, vt omnino eſſent 10,000. pedites, equites 400. Diod. Sic. 14, 79. Minuit tamen hunc numerum Xenophon in Hiſt. Gr. 3, 4, 2. a ſe ipſe discrepans, ſi recte legitur in Ageſ. c. 6. vbi etiam omnino octo militum milibus conſtitiſſe tradit.

facerent: ſic in ſimili nexu in Dione 4, 3. *Rex* autem ſimpliciter de rege Perſarum dicitur, nexu quidem adprobante. Idem poſtea de Parthorum regibus innaluit. Cf. Sueton. in Calig. c. 5. f. Sic Graeci *βασιλεύς* vel ſimpliciter, vel addito *μέγας*.

dimicari: ſic MSS. editiones multae, in primis antiquiſſimae, *dimicare*, quod probant ex Miltiade 5, 4. *Dimicare vtile arbitrabatur* ſc. *ſe*, quod cauſam conſicit. Aptius certe hic eſt, quum conſilium Ageſilai Lacedaemoniis datum referatur, *dimicari*, quam, facto ſubplemento, *dimicare*. Sic in ſimili nexu Noſter in Pauſan. 5, 1. Pelop. 1, 3.

pedeſtres: obponuntur *claſſi*, vt in Chabria c. 2. extr. et alibi ſaepe, qui proprie ſunt terreſtres exercitus, et equitatum comprehendunt. Ductum id eſt a Graecis, qui eodem ſenſu dicunt *πεζὴ* ſ. *πεζικὴ δύναμις, στρατία, μάχη*, vt obponatur *ναυτικὴ*. De eadem hac re Xenophon in Ageſil. c. 1, 6. *ἐθροίζων καὶ ναυτικὸν καὶ πεζὸν πολὺ στράτευμα*. Sic *πεζῇ* et *ἐν πλοίῳ* obponit Matth. 14, 13.

2. *tanta celeritate:* inpeditus quidem a Boeotarchis, quo minus ſacrificiis circa Aulidem inmoraretur, de quo Xenophon Hiſt. Gr. 3, 4. in. et prolixius Plutarchus in vita c. 6.

peruenerit: quidam libri *perueniret*. Vtrumque recte pro conſilio ſcribentis, ſiue illud ipſum tempus, quo factum eſt, reſpiciat, ſiue rem, cuius modum indicat. Intendendi voces tunc recte perfecto iunguntur, vti iam alibi monui.

3. *Lacones:* ſic in Timotheo c. 1, 3. et de Lyſandro in Alcib. c. 10, 2. Nempe vbi populi diuerſi vel eorum exercitus ſibi inuicem obiiciuntur, qui primas partes tenet, aut vices omnium quaſi ſuſtinet, populi nomine ſimpliciter ſaepe indicatur, veluti apud Liuium *Romanus*, *Poenus* et ſimilia. In noſtro ſic *Paphlago* in Datame c. 2, 3. *Poenus* in Hannib. c. 10, 1. infra cap. 3. *barbarus*.

conueniret: pro pacifci. Ita recte, non, vt eſt in quibusdam libris, *vt Lacedaemonii — conuenirent*. Latini enim hoc ſenſu ſic: *res* vel *de re conuenit inter* — vel

vt hic. Agebatur autem *αὐτονομία* Graecarum ciuitatum in Asia.

autem: ita particulae, si quae adsunt, interponi solent, vt *quidem, tamen.* Sic *maximo opere* disiungitur et similia.

4. *manſit:* verbum in hac re frequentatum, v. c. in fide, foedere, amicitia. Sic Graeci, et hic Xenoph. in Ages. 1, 11. ἐνέμεινε τῇς σπονδῇς, pro quo in Hist. Gr. 3, 4, 6. ἐτέμεινε. Vterque locus vtiliter cum nostro comparari potest, quia inde sua petiisse videtur noster.

nihil aliud quam: solent ita concisa breuitate loqui auctores Latini, quod plenius effertur: *nihil aliud egit quam* — Neque tamen alterum, tamquam a vera Latinitate abhorrens, cum quibusdam reiici potest, quum et pro eo sint exempla. Sic Liv. 4, 26, 12. 41, 23, 12. Sed vt alia omittam, etiam sic Noster in Hannib. c. 10, 1. dixit, vbi vide notata.

5. *ſeruabat:* prioris sententiae variatio.

in: poterat abesse; sed ita etiam alibi adiicit.

numen: sic in Timol. c. 4, 4. noster et alii; i. e. auspicium, potestas, auxilium, vel omnino ex periphrasi pro *deos. Religio* ex obpolito periurio intelligitur. Ceterum hoc dictum memorant etiam Aelian. V. H. 14, 2. Polyaen. 2, 1, 8.

facere: sic ponitur pro *fauere, tueri.*

Cap. III. 1. *dies:* tempus; vulgo terminus. *Barbarus* de Persa, Graecorum more et vsu.

domicilia: praedia, possessiones; οἶκος Xenophon in vtroque loco.

2. *vsquam:* sic passim de motu ad locum, i. e. alio.

reduxit: tum quod exta sacrificanti minus fuerant laeta, tum quod equitatu, in locis minimum planis, esset inferior, vti tradunt plures.

officinis: seruorum operae et adparatus conquirendi studium describit Xenophon in vtroque loco; ὥστε τὴν πόλιν οἴεσθαι πολέμου ἐργαστήριον εἶναι. *Adparauit*, melius ad notandum studium, quam, quod libri quidam habent, *parauit.*

ornarentur: noli cogitare de armorum nitore et splendore, quae certe parum curabat. *Ornare* proprie vel vsitate sic ponitur, vt sit, rebus omnibus ad vsum operis, negotii, — perficiendi idoneis copiose apteque instruere. Sic classem, naues, exercitum, prouincias — *ornare*, et hinc distinguitur ab *armare*, cum quo non solum com-

mutatur, ſed et coniungitur, vt in Dione c. 9, 2. Atque hoc ſenſu poſt *ornatiſſimus exercitus* ſubiicit.

propoſuit: proprie. Graeci, vt hac in re Xenophon in vtroque loco, ἔταξε προσέταξεν. Alibi etiam κατάστησεν.

4. *huic:* ſic amat Noſter initio maxime periodi, et vbi ad ipſam narrationis ſeriem, quibusdam interpoſitis, redit, de praecipua eius perſona ponere; quare non neceſſe eſt ſubſtituere *hinc*, vt quibusdam viſum eſt, etſi hoc in progreſſionibus operis per partes deſcripti adhiberi ſolet.

extrahere: ex Graeca ratione pro *extrahendi*, quae non eſt infrequens. Sic in Lyſandro c. 3, 1. *iniit conſilia reges Lacedaemoniorum tollere.* Sed cur *extrahere* non *educere?* quum illud notionem moleſtiae — inferat, vt in Eumene c. 5. extr. Contra *educere* in Miltiade 5, 2. in Dat. 6, 5. et alibi. Quae enim hic narrantur, cupidas copias paratasque fuiſſe declarant. Nec lentitudinem itineris hoc verbo indicat, quum ἐυθὺς ἐπὶ τὴν συντομωτάτην (breuiſſima via) duxerit, auctore Xenophonte cc. ll. Niſi quis delectum aptum deſideret, adtingit forte exercitum per varia loca in hibernaculis diſperſa, quum alibi de conlectis in vno loco copiis *educere* dicat.

hibernaculis: pro *hibernis.* Vtrumque promiſcue videtur dicere in Eumene c. 8, 4. niſi quis velit *hiberna* de commoratione in hibernaculis intelligere, haec propius de ipſis locis. Qui *hibernacula* de tentoriis pelle contectis intelligunt, *hiberna* ad vrbes referunt, hoc quidem loco et aliis quibusdam coarguuntur.

ac: pro *quam*, etſi et hoc paſſim reperitur, in hoc nexu vſitatius.

5. *Sardes:* al. *Sardis* cum codd. etiam, antiqua forma, quae valet in nominibus, quorum genitiuus pluralis definit in *ium.* Sic *omnis*, non item *hominis.* Sic ſupra cap. 2, 1. quidam *claſſis* pro *claſſes.* Ceterum fuit vrbs celeberrima Lydiae. Ipſam rem confirmant etiam alii.

defendendam: ita pro infinitiuo ſtruitur *puto*, vbi ſermo eſt de re, quae fieri debet vel debuit, et pro ſimplici verbo primario ponitur, vbi opinio, cogitatio, conſilium ſubiici poteſt.

ſero: die quarto Xenophon ll. cc.

poteſtatem: quum ad alterius voluntatem et arbitrium nos componimus; hic ex nexu eſt, occaſionem adgrediendi in apertis et planis locis non dedit.

duceretur: immo etiam vere eſſet.

CAP. IV. 1. *iam*: aberat olim in edd. et commodius abeſſe, exiſtimat etiam Kappius. Equidem adhuc ad ſubitam rerum conuerſionem notandam apte additum puto. Cf. §. 5. Ex vno codice primus, ni fallor, reuocauit Boſius.

ephorum: pro *ephororum*, vt codd. aliqui *barbarum* pro *barbarorum* in Milt. 1. in. et hic vnus *ephororum*. Sic *deum* non raro obcurrit.

miſſu: pro *iuſſu* recepit ex vno codice Boſius, ſequentibus, etiam hodie, tantum non omnibus; recte, opinor. Si enim, quod narrant auctores Graeci, nuntius etiam cum ſcytala miſſus eſt, magis conuenit *miſſu*; nec obſtat, quod poſteriores eam vocem crebriori vſu frequentarunt, quum etiam apud Ciceronem ad Attic. 8, 9. in libris obcurrat et a doctis viris probetur.

bellum: dictum Corinthiacum. Cf. c. 5. in. et Pauſan. c. 4, 14. in. Indixerunt auro a Perſis conrupti, vt auctores Graeci tradunt.

ne dubitaret: ſic hodie fere omnes poſt Heuſingerum ex codd. 2. pro *non*. Illud praetuli. Quod enim in oratione recta eſt *ne dubita*, in obliqua dicitur *ne dubites*. Neque tamen nego, poſſe etiam in alteram partem diſputari. Quodſi enim contra in adhortatione haec poſita eſſent, dicendum erat *quare dubitaret*, omiſſo *vt*, quod ſolet. Iam igitur eodem omiſſo dehortatio recte indicari poteſt inſerto *non*. Placet tamen hic prius ex frequentiori vſu, et quod iubendi notio ſubeſt.

2. *eius*: vncorum ſignis adpoſitis ſpurium cenſuit Boſius in ed. altera, quem et plerique ſunt ſequuti. Subfragantur quidem duo codd. diſerte notati, non item edd. antiquae. Omnino ferri minime poteſt, ſi verba *in hoc* Ageſilaum ſpectant; ſin ipſam rem et factum, poteſt. Cf. c. 7, 3. Equidem nunc poſteriorem explicationem probo, quae narrationem arctius continet, quum prior, ſi non diſiiciat, at oneret. Vnços igitur remoui.

victor: ita ſaepe tamquam adiectiuum ſubſtantiuis adiungitur, vt victor *populus*, *equus*. — Sic *victrix*, nec minus ſimilia ſubſtantiua, quae vſu cognoſcuntur, *bellator*, *contemtor*, *arator* —

modeſtia: vt comprimeret indignationem; lubentis promtique obſequii in acerbo imperio notatio. Pauſanias tamen 4, 17, 3. coactum rediiſſe ſcribit, quod, etſi in ephororum iuſſis facile probatur, modeſtiae tamen in obſequio praeſtito laudem minime tollit. At ſecundum Xe-

noph. in Hiſt. Gr. 4, 2, 3. aegre tulit, et patriae ſeruandae cauſa ceſſit. De formula *dicto audiens* v. ſupra ad Lyſandr. c. 1, 2.

abſentium: quis dubitet? At ex obpoſitione firmatur, quia abſentes in forti duce et victore minus exſequi iuſſa et perficere poſſent.

comitio: reddidit Xenophontem in Ageſilao 1, 36. qui vocat ἐφορεῖον. Ita vero ſolet paſſim Graeca Latinis commutare, velut in Themiſt. 8, 1. *teſtarum ſubfragio.*

3. *noſtri:* Romani. Ita enim *Noſter* in Latinis auctoribus ſaepe. Sic in praefatione §. 4. Hinc intelligitur in Graecis auctoribus, qui in Italia ſcripſerunt, ἡ καθ' ἡμᾶς θάλασσα. Sine dubio autem adtingit in primis Iulium Caeſarem.

exiſtimationem: aliorum iudicium, vnde Cicero in eodem nexu *exiſtimator* et *iudex* promiſcue ponit in Orat. c. 31. et 33. et a magiſtro et doctore diſtinguit. Nempe hi praecepta adferunt, illi ex praeceptis ſententiam ferunt, etſi vtrumque coniungi in vno poteſt.

4. *anno vertente:* i. e. 12. menſibus. Nempe *vertente* ſc. *ſe*, quod in actiuis apud Graecos aeque ac Latinos ſaepe ſubpleri debet. Sic *mouere*, *mutare*, *vibrare* et alia quaedam ex frequentiori vſu. In re conſentit Xenophon in Ageſ. c. 2. in. At a ſe ipſe Noſter diſſidet, quum in Themiſt. c. 5, 3. ſex tantum menſes memorat. Ingreſſus autem erat iter primo vere. Herodot. 7, 37. *Conficere* rei deductionem ad finem vsque indicat.

transierit: durum ſit referre ad *iter*, quare omnino ſpatium locorum ſpectare videtur. At ipſe in Themiſt. c. l. narrat, Xerxem redeuntem minus 30 diebus illud iter remenſum fuiſſe.

5. *ita*: omittunt veteres edd.

ſocii: Argiui, Corinthii, Locri aliique, quos recenſet Xenoph. in Hiſt. Gr. 4, 2, 17.

Coroneam: Gr. Κορώνεια, vrbs Boeotiae, quae non debet confundi, vti fit paſſim, cum Chaeronea haud procul inde diſita, vbi Philippus inſignem illam de Graecis victoriam reportauit.

graui: Xenophon, qui, auctore Plutarcho c. 18, ipſe illi interfuit, viuide deſcripſit in Hiſt. Gr. 4, 3, 16 ſqq. et in Ageſilao c. 2, 9 ſqq.

6. *plerique*: mirum, quum Xenophon cc. ll. tantum nouerit 80.

Minervae: Itoniae. Plutarchus c. 19. adfirmat, Minervae templum Itoniae prope fanum illud fuisse, in quod asyli quaerendi causa confugissent. *Coniecissent* apte ad notandam fugae trepidationem.

aliquot: immo multa auctores Graeci norunt.

aduersus: absolute, vt passim *contra*.

religionem: at monet Polyaenus 2, 1, 4. callide id potius cauteque feciſſe, ne cum desperatis hominibus proelium instauraret.

7. *barbaros*: Persas ex obpositionis nexu. Sic *barbarus* supra c. 3. in. de Tissapherne, et in Themistocle c. 4, 5. de Xerxe.

8. *eorum*: quorum? vel *barbarorum*, quod quidem proxime praecedit, sed durius censetur; vel *deorum*, quod, etsi est remotius, melius tamen est et expeditius, adeoque a nonnullis substituitur, etsi a vera notaque voce aberrationem vix librariis, etiam inperitis, obtrudam. Alii ad *templa* referunt, quum Xenophon in Agesil. c. 11. in. βῶμων ἱκέτας dicat. Nescio tamen, an *subplicibus eorum* ita intelligi possit, vt sint *subplicibus ex eorum numero*, et *eorum* totum spectet, vt in aliis, *subplicibus* partem totius s. eorum. Qua via orationis series commode procedit.

minuerent: soni causa loco plusquamperfecti, quod antea in eodem nexu legitur, posuisse videtur, quia poena et scelus eodem tempore consistere nequeunt.

Cap. V. 1. *conlatum*: *zog sich in die Gegend von Corinth.* Sic Liuius in epit. III. dicit: *translato in Thessaliam bello.*

Corinthium: Graecis vsitate Κορινθιακὸς, quod et hic voluit substituere Stauerenus. Sed vtraque forma horum gentilium promiscue, etiam in libris Graecis, saepe occurrit. Duranit autem octo annos et pace *Antalcidae* compositum est.

2. *pugna*: ad Corinthum.

decem milia: hinc σωροὶ νεκρῶν, a Xenoph. Hist. Gr. 4, 4, 12. memorantur.

duce: dubitatur, an proelio interfuerit, quia scriptores Graeci narrant, de clade nuntium ad eum venisse; quae tamen sic componi possunt, vt ad cladem hoc referatur pugna confecta, quod quidam volunt, aut potius auspiciis eius pugnatum fuerit. Ceterum illud proelium fusius describit Xenoph. in Hist. Gr. 4, 4. neglexit plane,

quod mirum, Plutarchus in vita, forte, quia proxime ad res ab Ageſilao geſtas non referret.

viderentur: pro *eſſent*, vt ſaepe. Cf. Alcib. 6, 2. et ſupra 3. f. Ita autem modo reſpectu communis opinionis, modo ſonantioris numeri cauſa.

abfuit: afuit quidam olim; quod, etſi a librariis ſaepe obiicitur, et a viris doctis ſuſtinetur, alteram tamen formam mouere non debet.

inſolentia: in inſolenti gloriatione, vti ſaepe adiectivum in ſubſtantiuum transit, quando eius vis praecipue ſpectatur.

vitio: culpa. Ita vero alii etiam. Conferri nunc poteſt Xenophon in Ageſilao c. 7, 5. hic expreſſus.

multitudine: ablatiui abſoluti i. e. ſi tanta coiiiſet multitudo, qualis nunc ceciderat.

Graeciae: alii diſtinctione poſt adpoſita ad priorem, alii praepoſita ad poſteriorem ſententiam referunt. Vtrumque poteſt probari.

3. *eum:* i. e. talem, vt ſaepe in ſimili nexu, quod ex re iudicatur. Subiicitur vel *vt*, vel *qui* cum coniunctiuo, vt hic, quia illa particula tunc ſubeſt. Ceterum hic reddidit Xenophontem c. l. vbi σωφρονίζειν, quod hic eſt *ad officium redire cogebat.*

nobiliſſima: ex nexu in primis Corinthum intelligit.

4. *exſtinguere:* expugnare eleganter et apte.

ſteterunt: de apertis et obpoſitis in acie hoſtibus.

quieſcentibus: vt ſaepe *quies* de otio, pace. Ceterum ad ſenſum et perſuaſionem efficaciter.

ſine negotio: ſine difficultate, moleſtia, quam notionem ſaepe includit.

Cap. VI. 1. *Interim:* latius valet, vt paſſim vocabula temporis. Nempe 22 annis poſt Leuctrica pugna conſequuta eſt, de qua re cf. Epaminondas c. 6, 4.

promeretur: moleſtiam inſtantium, adhortantium indicat.

vt ſi: quaſi. ſic in Dione c. 9, 21. Datame c. 11, 3.

exitu: nempe Cleombrotus rex, qui Lacedaemoniis praeerat, obcidit. Miſit tamen Archidamum filium, qui alteri cornu praefuit. Diodorus 15, 54. 55. qui antea c. 33. idem refert: ἔδοξε κατεστοχάσθαι τὸ δυνάμενον ἀποβῆναι — et θεῶν τινα χρησμὸν εἰρηκέναι. Ceterum de elocutione huius narrationis haec tenenda: Verba *ne proficiſceretur* male iis reſpondent, quae in fine ſubiiciuntur, et otioſe redundant; anacoluthon dicitur. Tum in verbis *exitu*

et *exire* duplex ſubeſt ſenſus, vt quaſi ludere videatur. Nam *exitus* metaphorice euentum, ſortem proelii indicat, *exire* proprie valet. Denique Richeſſius locum conruptum et verba *ad exeundum* ex gloſſa migraſſe putat; praeterea malit *quo vt proficiſceretur*.

ſine muris: Xenophon in Ageſilao 2, 24. breuius ſic eſſert: διεφύλαξε τὴν πόλιν καὶ τειχῶν ἀτειχίστον οὖσαν. Idem in Hiſt. Gr. 7, 5, 10. Cretenſem quendam narrat quaſi δεῖγμα μόρας Ageſilao Epaminondae aduentum nuntiaſſe, alioquin illum vrbem, ὥσπερ νεοττίαν, πανταπασιν ἔρημον ἀμυνουμένων, capturum fuiſſe. Ex Latinis auctoribus conferri poteſt Iuſtin. 1, 7. Ceterum Spartam olim per octingentos prope annos ſine muris ſtetiſſe, ex Livio 38, 37, 5. diſcitur et omnino ex pluribus notum.

fuiſſet: cum emphaſi hic dicitur, vt in Conone c. 2, 3. et paſſim alibi. Nempe non nude copulat, ſed operam virtutemque exprimit. Ceterum ſeruatae vrbis laudem Ageſilao omnes tribuunt praeter Theopompum, vti diſerte ſcribit Plutarchus in Ageſil. c. 33. in. Hunc igitur ſecutus videtur Diod. 15, 82. qui ad Agin regem refert, qui vero tunc non rex fuit.

fuiſſe: eleganter idem verbum reddit, vt quaſi fatalem vtriusque arctiſſimumque connexum indicet. *Fui* autem hoc ſenſu, vt exitium ſpectet, notum ex Virgilianis Aen. 2, 325. *Fuimus Troes, fuit Ilium.*

2. *perterriti:* numero fere ducenti, quos ὑπούλους καὶ πονηρούς vocat Plutarch. in Ageſ. c. 32.

locum: Ἰσσώριον, vbi Dianae templum fuit, εὐερκῆ καὶ δυσεμβίαστον τόπον. (locum munitum expugnatuque difficilem.) Idem c. l.

ſuis: Plutarch. c. l. μεθ' ἑνὸς οἰκέτου.

quoque: inepto loco poſitum adparet, quum proxime adſiciat voculam *ſe*. Nec vis illi ſua redditur, ſi mutata vulgari diſtinctione interpunxeris poſt *ſe*. Vulgo enim ita legitur: *et ſe id quoque fieri debere* — Aut igitur plane tollenda eſt hic omnis diſtinctio, quod et quidam faciunt, aut, ne male diſiecta ea vocula videretur, diſtinguendum nunc putaui poſt *quoque*, ita vt *id*, quod fieri recte poteſt, vtramque partem reſpiciat. Richeſſius *quoque* gloſſam cenſet.

animaduertiſſe: erue ex verbo *laudauit dixit*, quod ſubſidium paſſim arceſſendum eſt, vbi duo infinitiui diuerſi ſenſus et nexus ab vno verbo pendent.

1. *recuperare:* notandum de hominibus, vt in Pelopida c. 5, 2. etsi diuerso nexu et vsu. Ceterum auctore Plutarcho c. 1. alios inposuit, et ex perfidis illis 15. necauit.

aucto: sensus: perfidi illi iuuenes, quorum numerus bonis et conspirationis expertibus auctus fuit, quos vel addixerat, vel ex vrbe submiserat Agesilaus. nihil vltra moliti sunt. Obscurius haec Nepotem exposuisse putant viri docti, quia *consilii experter* minime aucti fuerint, nec, si aucti vere fuissent, alios a proposito deterrere potuissent. Quare, vt subcurrant. vel subplent post *eorum iis*, quae vocula hic durius absit. languide vero etiam ob praecedens *illi* adcesserit, vel emendant *aucti*, quae quidem ratio est commodior. Equidem tamen etiam sic, vt vulgo editur, narrationem bene procedere puto, vt sensus sit: quum numerus magis magisque augeretur, crescerent, non tam perfidi illi augebantur, quam boni, quum comitibus alios addidissent.

quae cogitarant: cogitata, consilia. Sic *quod sentio*, et alia.

Cap. VII. 1. *Leuctricam:* adde Mantinensem.

refecerunt: contracto in primis Graecorum reliquorum odio, ex inpotente dominandi libidine, quod anxerat pax Antalcidae cum Artaxerxe Graeciae libertati infesta.

imperium: in Graecos, etsi post soli Philippi et Alexandri M. pacem et leges spreuerunt, (vi de Iust. 9, 5, 3. et 10, 1, 6 sqq.) post etiam clarissimam victoriam de Arcadibus Archidamo duce, Agesilai filio, reportarunt, vti narrant Plutarch. in Ages. c. 33. Diod. Sic. 15, 72. Tandem Romanorum ditioni subiecti pariterunt.

desistit: periphrasin facit τοῦ *semper* cum luculentiori continuae operae notatione. Cf. in Hann. c. 3. in. Catone c. 2, 4.

2. *Rege:* sc. Persarum, vti solet. Ex iis autem, qui defecerant, intelligit satrapas in Asia, praecipue citeriori, Tachum Aegypti, et Mausolum, Cariae regem. Cf. Xenoph. in Ages. 1, 26.

3. *hoc:* malim hic subplere *facto*, quam *Agesilao*, vt supra cap. 4, 2. Neque enim nouam narrationis partem subtexit.

nihil: si post *admirabile* incisum minus ponas, *quod* ex multis codd. praeponendum est; sin distinctionem maximam, omitti cum aliis et vett. edd. debet. Lectorum

esto arbitrium, quod vincire nolo. In vtraque ratione hodie variatur, etsi quidam etiam omnino omittunt. Quod posui, visum est magis congruere cum concisa et minuta Nepotis oratione.

vinquam: quidam codd. *numquam*, Graeco vsu, vt duplex negatio fortius neget. Post ante *domum* omittunt vett. maxime edd. particulam *in*, vti variatur apud Ciceronem in Verrin. 1, 26. Omittunt omnes libri in Themist. c. 4, 1. et sic alibi. At ibi est pluralis. In singulari vsitatius absolute *domum* dici videtur, et adiecto pronomine possessiuo praeponi. Quare vncis tantum includi.

victu: de hoc prolixius Xenophon in Ages. c. 5, 3. Cf. Plutarchus c. 19. vbi laudatur *βίος καὶ δίαιτα*, vti noster in Alcib. c. 1, 3. *vitam* cum *victu* componit. Saepe tamen, etsi quidam negarunt, *victus* et *vestitus* coniunguntur, item *victus* et *cultus* ad indicandam omnem vitae rationem modumque.

4. *Eurysthenes:* cf. de eo c. 1, 1. de re in Attico c. 14.

libidini: de hac voce et in primis de obpositionis ratione disputatur, et quidam, veluti Heusingerus, contra solitum et concinnum ordinem *libidini abstinentiam* respondere volunt, cuius modi exempla etiam in aliis sunt obseruata. Primum omnia haec referenda sunt ad *τὴν παρασκευὴν τῆς οἰκίας*, vti est in Graecis. Deinde videtur latior obpositio, in qua superiora non tantum confirmantur, sed et augentur, atque omnino indicat patientem abstinentiam, vt libidinosam luxuriam. Interim non tam verborum, quam rei premenda est obpositio, ne falsae notiones extorqueantur.

contra: vett. edd. et Heusingerus cum codd. addunt *ea*, vti certe alibi Noster solet; forte tamen adcedit, vbi propius ad homines refertur, qui contra aliquid agunt — quum alias, sensu passiuo et de rebus, omittatur. At nolo argutari et dubius inhaerere. Obsendit tamen in *ea* sonus similis, etsi obiici possit ex praef. §. 6. *contra ea pleraque.*

a cuiusuis: quidam inde a Bosio in ed. altera *cuiuis*, quod ex Graeca ratione repeti debet, sed praeter poetas in latinis auctoribus rarissime obcurrit. Plerique etiam codices vulgatam lectionem tuentur, etsi vnus tantum addit *a*, quod nec omnes editiones probant. Ceterum subple *domo.*

Cap. VIII. 1. *vt naturam:* elegans periodus ob formam elocutionis et obpositionis concinnitatem. Ita fere Sappho

in Ovid. Epiſt. 15, 31. *Si mihi difficilis formam natura negauit, ingenio formae damna rependo meae.*

humili: proprie Sappho c. l. *ſum breuis.*

exiguo: tenui, gracili, vti optime explicauerat Kappius. Nam licet eſſe poſſit *breuis*, adcedit tamen tenuitatis notio, quod ex adiunctis efficitur. Ita veſtis, toga, pes. Sic *exiguum corpus* ſe habuiſſe dicit Horatius Epiſt. 1, 20, 24. Plutarchus in vitae initio fuiſſe adfirmat μικρὸν καὶ τὴν ὄψιν ἐυκαταφρόνητον.

claudus: idem corporis vitium notauit Plutarchus, et modo χωλότητα vocat, modo πήρωσιν τοῦ σκέλους. Eo etiam oraculi monitum de vitando regno claudo adluſiſſe putabant. Plut. in Lyſ. c. 22. At vt ipſe riſit, ſic texit florentis corporis decor, (Plutarch. in vita c. 2.) quod Alcamenes perite fecerat in Vulcani ſimulacro, auctore Cicerone de nat. Deor. 1, 30. *Altero* Kappius explicat *laeuo*, quod tamen vt ipſa vocabuli vis incertum reddit, ita in aliis loca inuicem comparata reluctantur. Sic quod in Nepotis Hannibale c. 4, 3. dicitur: *numquam dextro oculo aeque bene vſus eſt*, apud Livium 22, 2. f. c. effertur: *altero oculo capitur.* Sic Plutarchus in Sertorio. c. 1. Philippum cum aliis vocat ἑτερόφθαλμον, pro quo Iuſtin. 7, 6, 14. *dextrum oculum* habet.

deformitatem: hinc ſe pingi noluit.

ignoti: actiue, qui eum ignorabant. Sic *ſurdus, caecus, incautus* et paſſim alia.

facies: ex nexu referri debet ad corporis externam formam, et ſic primaria ſignificatione poſuit, de qua diſſerit Gellius 13, 28.

virtutes: recte ex codd. in altera editione, ceteris probantibus, reuocauit Boſius, quum antea ederetur *virtutem.* Plures enim antea recenſuit, quas omnino nunc corporis vitiis obponit.

vſu venit: expertus eſt.

2. *Tacho:* fuit rex Aegyptiorum, qui contra Perſarum regem, Artaxerxem, bellum geſſit. Tacho tamen obſenſus, negato etiam totius exercitus imperio, ad Nectanebis, qui in illum inſurrexerat, partes transiit.

acta: adnumerandum iis vocibus Graecis, quas Latini exceperunt et ſuis literis notant, vt *aſtu.* Eſt nempe Graecum ἀστή, Latinis *litus*, quae Cicero in eadem narratione in Verrin. 5, 25. et 37. promiſcue adhibet.

tecto: tentorio.

tale, vt: amplificatio ex verbis petita, vt apud Ciceronem saepe: *tam gratum, quam quod gratissimum.* Et sic similia.

huc: his stramentis, vt sic saepe aduerbia loci pro pronominibus vsurpantur. Ipsa haec narrationis pars minutim trahi videtur et languere.

ornatus: de vestitu igitur humili atque obsoleto! Nempe ita ex re substrata et opinione hominum verba inflectuntur, vel acerba interpretatione notantur.

beatissimi: de diuitibus opulentis saepe. Ipsa formula varie explicatur; vel *pauperrimi* eo vsu, quo τὸ *non* superlatiuum contrarium significat; vel *non adhuc odum beati* i. e. mediocris fortunae, quod praetulerim. Nempe quod de positiuo valet, eadem ratione in superlatiuo locum habet, vbi ex notione eius, quod in oppositione accedit, sententiae verae vis passim imminuitur. At certare nolo. Notari tamen potest apta sententiae in constituenda negandi particulae sede ratio.

3. *fides facta:* quum ad homines refertur, est facere, vt aliquis credat, persuadere; de rebus est *confirmare, certum declarare.*

4. *verbis:* nomine, vti nos vulgo, v. c. saluta eum meis verbis.

opsonii: carnem ex nexu, pisces ex vsu. Cf. ad. Themist. c. 10, 3.

coronas: quum de Aegyptiis dicatur, proprie valet de coronis ex papyro, quae *coronaria* hinc vocatur, factis, quod et diserte in eadem re memorat Plutarchus c. 36. f. et Athenaeus 15, 6. p. 676. ex quo simul discis, haec ex Theopompo esse ducta. Habes etiam Aegyptias coronas apud Plinium 21, 3. s. 2. quas tamen Athenaeus 6, 7. p. 689. contextas fuisse dicit ex floribus acanthi, mali Punicae et vitis. Ex nasturtio vero eum coronas maxime amasse poeta auctore refert idem post c. 9. p. 684. Ceterum vnguenta et coronas in deliciis olim, et luxuriae comessationisque instrumenta fuisse, ex multis locis adparet. Cf. Horat. 3. od. 14, 17. Cicero Catilin 2, 5.

secundam: τραγήματα, πέμματα Plutarchus c. l. *bellaria* Latinis; *Nachtisch.* Serui sunt *helotes*, quos vocat Plutarchus. De iis ad Paus. c. 4, 6.

5. *ignorantia:* ἀτοπία vocatur apud Plutarchum c. l. *Bonae res* ex nexu sunt lauti, delicati cibi, alias, vt apud

Phaedrum 4, 23, 8. *res optimae*, quod ex nexu diiudicari debet. Cf. ad Atticum c. 13, 1.

6. *Nectanabide*: varie conrumpitur in MSS. qui tamen in terminatione, quam cum Heuſingero et Heinrichio hac de cauſa praeferendam nunc putaui, conſentiunt. Edd. *Nectanabe*, *Nectanebe*, *Nectanebo*. — Poſtremum dederam ipſe in Chabria c. 2, 1. vbi tamen, ſi fieri licuit, retractandum curaui. Ad eum a Tacho deſciuerat.

viginti: Plutarch. c. 40. dicit 230. additque alios honores et dona. Multas etiam inde opes domum miſiſſe, idem refert in Lacon. apophthegm. p. 804. Opp. Vol. 6. Lipſ.

iacens: maluit igitur cum poſterioribus coniungere, *qui vocatur*; alias dicendum fuerat *iacentem*. Ipſum autem verbum de locorum ſitu dici, notum eſt.

inplicitus: vſitatius cum ablatiuo nudo ponitur. Ita tamen etiam Liuius 23, 34, 11. in ſimili nexu.

deceſſit: quum annos vixiſſet 84. Lacedaemone regnaſſet 41. Plutarchus c. l.

7. *mel*: hunc mortuos condiendi morem adtingunt et alii, ſcilicet, quia corpora, vt ait Plinius 22, 24. ſ. 50. putreſcere non ſinit. *Cera* condiebant Perſae. Herodotus 1, 140. Cic. Tuſcul. Quaeſt. 1, 45. In ipſa re conſentit Plutarchus c. l. At diſſentit Diod. 15, 93. quo eum melle conditum Spartam delatum fuiſſe tradit.

retulerunt: quod Plutarchus notat, corpora regum, peregre mortuorum, domum referebant, aliorum in loco relicta ſepeliebant.

EVMENES.

CAP. I. 1. *Cardianus*: a Cardia, Thraciae vrbe, ad Melanem ſinum in Cherſoneſo Thracia.

maior: inuitis libris Lambinus ſubiecerat *fuiſſet*; ſed pauci ſunt ſequuti. Facile ſubpletur, et forte ob praecedens *eſſet* omiſit Nepos. Poterat tamen rectius hic addere. *Ille* autem, etſi *huius* praecedit, cum particula *quidem*, addito adiectiuo, in deſignationibus luculentioribus a Latinis ſolet adiici. Ceterum eadem fere forma Thraſybuli vitam exorſus eſt.

metimur: alii olim cum codice *metiuntur*, ſcil. homines. At illud melius; quia Nepos ſuam hic ſententiam interponit, eamque verierem, quum vulgo homines diuerſa ferant iudicia. *Metiri* autem, vt *ponderare* in

Thrasyb. c. 1. in. Graece μετρεῖν, sic valet aestimare, iudicare. Ceterum minus bene haec verba huc reiecta quidam putant, quod explicant aut inlustrant τὸ *maior*. At cogitent, an recte interpellauerit seriem.

2. *incidisset*: quidam et hoc f. cum aliis MSS. *cecidisset*, quod adcuratius dictum putant, quod notionem fortuiti euentus includat, quae raro reddatur altero verbo. Equidem vtrumque recte dici posse sentio, et sic Cic. ad Div. 2, 6. *Quod in id rei publicae tempus inciderit* — Ita quidem hic et alibi geminatur praepositio.

florerent: vsitata significatione. Cf. Miltiad. in. Respicit autem Philippum eiusque filium, Alexandrum M. Sed cur non *florebant*? Propter *ea*, opinor, i. e. talia.

alienae: apte Gebhardus inlustrat Curtii loco 8, 8, 19. *Callisthenem, si Macedo esset, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo magistrum; nunc Olynthio non idem iuris est.* Idem fecerunt et iudicarunt Romani.

3. *domestico*: domi, in Thracia, nobilis, vti legitur in Sallustio Catil. 17, 4. Plutarchus in vita c. 1. patrem inopem vocat et aurigam. Aelianus V. H. 12, 34. ἄπορον καὶ ταυβαχίλην i. e. stiticinem; vbi tamen haec Macedonum inuidiae et calumniae tribuenda putat Perizonius.

aliquando: refertur vel ad *anteponi*, vel ad *indigne ferebant*. Quum proxime adpositum sit priori, nec aliud ex historia inferatur, prior ratio videtur esse probabilior. Sequens *tamen* ex repetitione displicet; neque vero pendet ab superiore *etsi*, sed a verbis proxime praecedentibus *indigne ferebant*, quae sic mitigantur vel coercentur. Inferunt enim contracta breuitate hoc: sed etli indigne ferebant, non tamen non patiebantur. Melius sic, vt alias, eloquutus fuisset: *ita, vt tamen* — Ceterum *neque tamen non* eam habet vim, vt innitos eos fecisse indicet. Sic in Alcib. 4, 1. *non parere noluit*, quem locum bene huc contulit Heusingerus.

vincebat: superlatiui facit periphrasin.

4. *peradolescentulus*: vox rarior, vt *peradolescens* apud Ciceronem in Manil. cap. 21. Pro ea noster in Hamilc. c. 1. in. *admodum adolescentulus* dixit. Ceterum, quod ex c. 13. in. discitur, annorum fuit 23. Cf. ad Attic. 2. in. Nempe vt *pueri*, sic *adolescentis* aetas vlterius, quam apud nos, in primis hodie, profertur, sic vt adolescens virilem etiam aetatem adtingat, vti apud Cicero-

nem de Senect. c. 2. et in Qu. Tuſcul. 1, 39. Ab anno 40 vſitate *vir*, ab anno 60 *ſenex* incipit.

Fulgebat: pro erat; verbum efficax, vt *elucet*, *exſplendeſcit*.

5. *ſcribae*: quidam gloſſam putant, quia praecedat *ad manum*; ſed id latius patet, et hanc explicationem admittit. Plutarch. in vita in. vocat ἀρχιγραμματέα; Arrianus de expedit. 5, 24. γραμματέα. H. *Secretär*.

multo: maxime apud Aetolos et Achaeos. Minori enim fuiſſe dignitate apud Athenienſes, ex Demoſthene poteſt intelligi. Sed haec comparate dicit noſter. Deprimere tamen etiam hanc eius dignitatem videtur Plutarchus in vita in. quum ſcribit: ἐκλεῖτο μὲν ἀρχιγραμματεὺς, τιμῆς δὲ, ἥσπερ οἱ μάλιστα φίλοι καὶ συνήθεις, ἐτύγχανεν, atque hinc ducem in Indiam miſſum eſſe addit.

revera: mira locutio in hoc nexu, et quae pleonaſmum ſapit, vel gloſſam, cuius tamen cauſam ſic ſuscepit Kappius, vt explicaret: vt verum fatear, ſicut vitae genus eorum euincit. Minus tamen ea verba obſendunt, ſi ſublata vulgari diſtinctione poſt *re vera* coniuncta ſerie ſcripſeris, pro: *ſicut re vera ſunt*, ſc. mercenarii, quod quidam vel nomerunt, vel etiam praeiuerunt. Ita enim, quod par eſt, coniunguntur cum verbo *ſunt*, quum alias laxius necterentur cum *exiſtimant*. Eſt tamen in ipſorum ordine et ſerie, quod displiceat.

contrario: alii olim *e contrario*, quod et codex habet, et legitur in Iphicrate c. 1, 3. Hamilc. 1, 2. Aliis ob praecedens *at* haec vox eſt ſuſpecta. certe alterutra commode poterat abeſſe.

loco: de genere notum. Poſt pro *gradu* ex nexu, et, vt ipſe explicat, ſubiecta variatione.

6. *tredecim*: at Alexander regnauit tantum annos 11, menſes 8, vti tradit Arrianus de expedit. Alexandri 7, 28. Praeterea noniſſimo tempore equitum alae praefuit. Igitur minus adcurate refert.

7. *alterae*: ita hic omnes praecipiunt codices, etſi olim editt. mutauerunt in *alteri*, et quidam nuper receperunt. Illa tamen forma paſſim etiam in aliis auctoribus obcurrit, et a Grammaticis veteribus probatur. *Ala* vero de equitibus dicitur, erantque duae, dextra et ſiniſtra. Forte ſiniſtram intelligit, vt ſupra in Ageſ. c. 8, 1. *altero pede claudus* explicatur.

Hetaerice: ἵππον ἑταιρικὴν vocat Arrianus de expedit. Alex. 6, 21. qui et ibi simili cognomine memorat περσέταιρους. Alibi v. c. 3, 27. ἑταίρων adpellat, et virtute et dignitate praestitisse adiicit. Cf. Curt. 6, 9, 21. 10, 7, 20. etsi tantum indicat re, non nomine. Ita vero dicta, quia constabat amicis et sodalibus, ἑταίροις; Leib-Garde.

Cap. II. 1. *Alexandro*: longior solito periodus multarumque sententiarum interpositione perplexa. Connectuntur autem haec cum verbis: *hoc tempore data est*. Ita cap. 3, 3. 4.

singulis: praeter alios cf. Iustinus 13, 2, 3.

dispartirentur: alii, olim in primis, *dispertirentur*, quod et habet vnus codex. Reliqui alterum probant, et sic similia passim obscurunt, *detractare*, *resacrare* — vbi vocalis simplicium seruatur.

annulum: cf. Iust. 12, 15, 12. Curtius 10, 5, 4. Similia exempla in imperatorum Rom. historia obscurrunt.

2. *commendasse*: destinasse, tradidisse. Ita *mandare*, *mandatum* de voluntate moribundorum.

liberi: de quibus disceptatur. Alii commemorant Herculem, filium ex Barsine, quamuis non iusta vxore, tunc duos annos natum, cui ex Roxane adcessit Alexander Aegus, postumus.

in suam tutelam: igitur aliorum tutela exemti, quod est, sui arbitrii facti essent; ad pubertatem peruenissent.

antecedere: dignitate, auctoritate. Aberat autem tunc Antipater, quippe Macedoniae praefectus; Craterus, qui Antipatro, ad regem euocato, substituendus erat, cum veteranis et emeritis Macedoniam petebat. Iust. 12, 12.

posset: non *potest*, vel *possit*, quod volebat Bosius, quia auctor iudicium suum ita interponit, vt ad rem narratam cum iudicio causae transferat, vti fit passim.

plurimi: nam omnium secretorum arbitrio vsus erat, adeoque Alexandrum alterum adpellauerat. Curtius 5, 12, 16.

Cappadocia: cui addunt Paphlagoniam et finitimas regiones ad Trapezuntem. Diod. 18, 3. Plutarch. in Eumene c. 3. Iustin. 13, 4, 16.

dicta: pro addicta, adlignata. Causam subiicit ipse Nepos. Nempe Ariathes rex illam tunc tenebat. Plutarchus c. l.

3. *homine*: pro *eo*, vti passim. Tum de viris, etiam clarissimis, dicitur.

partes: omnium ducum et familiarium Alexandri prouincias.

4. *ille*: quod quidam codd. omittunt, melius in aliis additur propter obpositionis rationem. Sic in Chabria c. 3, 4.

Leonnatus: ex tribus, quos recenset Arrianus, is, qui Phrygiam minorem, ad Hellespontum, sortitus fuerat. Iustin. 13, 4, 16. —

destinauerat: codd. quidam et ante Lambinum edd. *praedestinauerat*, quae vox posterioris Latinitatis obsendit hic praeterea, ex repetitione particulae *prae*.

magnis: omissa copula, quae duobus adiectiuis, vni substantiuo praemissis, interponi alias solet. Neque tamen vel sic sine exemplis. Addidit eam tamen ex 2 codd. Wetzelius.

Cap. III. 1. *ad internecionem*: de bellis, quae cum acri animorum acerbitate magnaque clade geruntur, et hinc ipsa *internecina* vocantur. Vtiliter hic conferri potest Mannerti liber: *Geschichte der unmittelbaren Nachfolger Alexanders*.

omnesque: in primis Craterus et Antipater, postea etiam Antigonus. Cf. Iustin. 13, 4. *Concurrerunt* apte ad declarandum studium feruoremque inpetus.

2. *iacet*: de locorum situ.

Europaeis: Antipatro et Cratero, quos ipse deinceps indicat.

3. *Eumenes*: etiam hic, vt supra c. 2. in., plurimis interpositis narrationis perspicuitatem vel facilitatem turbat.

transisse: vt *iter, ire, currere* de nauigatione, Craterus Graecis Κρατερός, et hinc correpta penultima.

summam: sic plerique libri volunt, cuius structurae exempla similia et alibi obcurrunt.

Eumenes: redit ad id, quod interiectis pluribus interpellauerat, eiusque repetito ipso nomine lectores admonet. Quod Lambinus addidit *igitur*, fecit id quidem ex vsu aliorum; (cf. Pelopid. 2, 5.) hic tamen praeter codd. nec re vrgente, etsi recepit Schmiederus.

cognossent: praetuli cum 2 codd. etsi alii et edd. veteres legunt *cognoscerent*, quod et nunc aliquae habent; propter temporis illius vim vsitatam.

simul quum: non societatem, sed idem temporis momentum, vt saepe, indicat, et breuitati inseruit; ita est simul atque audiissent, id nuntiatum esset. *Dilabsures* eleganter de *contractis*, quas supra dixerat.

4. *vt*: pendet a *prudentiſſimum* ſic, vt conſilii vim et cauſam adferat. In explicatione vocis dicendum erat, *quod duxit*.

barbaros: in primis contra Neoptolemum, quem exoſi erant milites. Sic Plutarchus de garrulitate p. 17. Vol. 5. opp. ed. Lipſ. Pigren addit idem cum Cappadocum et Paphlagonum equitatu in vita cap. 6. Hinc Craterum, quem amabant, ignari interfecerunt. Laudat hoc conſilium Plutarchus in poſteriori loco.

5. *deterior*: ex obpoſito intelligitur, cuius gloſſa in codice eſt *inferior*. Cum paucitate infirmitatem adfert.

CAP. IV. 1. *cadit*: quomodo hic intelligi debeat, dicet §. 4. Quod narrat Plutarch. c. 7. a Thrace vulneratus, ex equo defluxit et proculcatus eſt.

ſecundum: ſiniſtro cornui praefuit. Diod. Sic. 18, 31.

2. *concurrit*: viuidam huius *μονομαχίας*, cum magno animorum aeſtu commiſſae, deſcriptionem dabunt Plutarchus et Diodorus Sic. cc. ll. Comparari poteſt ſimilis deſcriptio Catilinae et fociorum apud Salluſt. de B. C. c. 61.

vulneratur: temporum inaequalitas notanda, cuius exempla paſſim obiiciuntur. Sic Livius 1, 14, 4 ſqq. *Vulneratus* tamen nolim cum Heinrichio, propter *neque*. Quod antea dederam *vulneratus eſt* et recepit Ricleſſius, ad conſtantem omnium librorum lectionem reuocaui.

hoſtibus: *hoſtis* vel *hoſtes*, quae perinde valent, omnes dant recentiores. Codd. ambigunt. Equidem et nunc retinui alterum, de quo vid. ad Epamin. c. 9. in.

3. *interfecto*: per anticipationem, quod ſequentia docent, vel medio ſenſu et ex opinione militum. Ita enim etiam Plutarchus c. 7. *πυθόμενος τὴν τοῦ Κρατεροῦ τελευτήν*, quum poſt ſpirantem inueniſſet.

pedeſter: melius, quam *peleſtris*, quod quidam libri adferunt. Sic *celebris* pro *celeber* paſſim.

deductus: et *elabi* apte et eleganter de anguſtiis, vnde exitus via vel copia non datur.

et ſe: pro *ſed* ponitur poſt praepoſitiones negantes, vbi contrarium ſubiicitur. Cf. ad Datam. c. 6, 4. et infra c. 6, 2. Quare etiam cum *ſed* in ſimili nexu commutatur in Pauſan. c. 3. extr.

4. *funere*: in profaicis quidem auctoribus conſtanter de pompa funebri. *Extulit* porro verbum in hac re proprium.

CAP. V. 1. *flumen:* additur, vt similia, veluti *ventus aquilo* in Miltiad. c. 1, 5. *boreas* ibidem c. 2, 4.

Seleuco: immo, quod alii tradunt, vel ab equitibus suis, vel a corporis custodibus in tentorio confossus est.

Antipatrum: nempe adcuratius, quum, qui, Perdicca interfecto, in eius locum subcesserunt, Pytho et Aridaeus, se regni administratione abdicassent. Diodor. 18, 36—39. *Summa rerum* hic est Regentschafft, Kuratel der königlichen Prinzen: quare etiam Antipater a Iustino 16, 1, 14. *minister regni* et cum reliquis 13, 2, 14. *tutor* vocatur.

Hic: de tempore, pro *iam*, vt alia loci aduerbia, *vbi — defernerant:* alii eo. commemorant, alii solum Eumenem, tamquam principem.

exercitus: ex more. Curtius 6, 8, 25. *de capitalibus rebus vetusto Macedonum modo exercitus inquirebat; in pace erat vulgi.*

in his: vel *in quibus*, vti in Pelopida c. 1. f. vbi nos etiam *inter alios*, partem, singularia exempla superioribus subnectit.

percussus: Lambinus, etsi sine libris, in crebra tamen commistione, nescio an recte, *percussus*, quod rem inopinam, subitum ictum, vel acrem commotionem indicat, et propter sequens *non obcubuit* aptius videatur. Tum *plaga* eleganti metaphora additur. Sic in Dione c. 6, 2. Datame c. 6, 1. *vulnus.*

minuebant: retinui, quod est in codd. plerisque. Alii, et hodie, *imminuebant.* Tum orationis forma periodica notanda, pro: *frangebant quidem, sed non.*

2. *Antigonus:* praefectus Phrygiae maioris et Lyciae, (Diodor. 18, 39.) et cum Antipatro dux delectus contra Eumenem. (Plutarch. c. 8.)

quum: etsi, vt saepe, cuius vim, vbi consecutio nude subiicitur, nexus docet, alias etiam addita particula *tamen* declarat. Vtriusque formae exempla habes in Arist. c. 3, 2, et Dion. c. 2, 3.

ad manum: vti *venire ad, in manus, manus conserere. Manus* enim propioris, arctioris pugnae notionem infert, vt *cominus.* Pro *numquam*, quia sequitur *nisi his locis*, cum Bremio leg. videatur *nusquam.* Alias ad *saepe* referri debet.

possent: quia non simpliciter rem narrat, sed consilii rationem simul indicat.

3. *circumuentus eſt*: proditionem innuit. Plutarch. c. 9. Proditorem Apollonidem producit Diodor. 18, 41. in.

expediuit: eleganter et cum delectu in rei difficultatibus vndique obiectis.

Nora: in finibus Lycaoniae et Cappadociae. Plutarch. cap. 10.

4. *iumentum*: equos, variandi cauſa.

5. *deinde poſt*: pleonasmus particularium non inſolitus, qui tamen hinc ſubmoneatur, ſi cum codd. aliquot legeris *poſterioribus*, pro *poſt verberibus*, quod reſpondeat apte τῷ *prioribus*, vti apud Plutarch. c. 11. ἐμπρόσθιοι πόδες et ὀπίσθια σκέλη obponuntur, etſi ſubiicit verbera, ſed et clamores equiſonum. Sic et in *cogebat* quaelibet incitatio violentior cogitari poſſit.

calces remittere: *calcibus ferire*, quod in eadem narratione Frontinus 4, 7. dicit *crura iactare*, Plutarch. c. 11. τοῖς ὀπισθίοις ἐνήλλοντο.

6. *nitida*: ſignate, ſi de pingui corpore intelligas, vti ſaepe fit, vel abſolute, vel vt *pinguis* coniungatur. Sic de iumento obponitur *ſtrigoſus*. Poſſit tamen etiam de corpore vegeto, bene nutrito explicari.

7. *concluſione*: efficacius ex cauſa et euentu pro *obſidione*.

ſed quod caſtrum: luxatus narrationis nexus, varia librorum lectio et in editionibus praeterea partium diſtinctio. Singula recenſere non licet. Quod nunc in ipſo contextu repoſui, et quidam praeiuerunt, nexus deſiderat, nec codices repudiant, etſi modo *ſed*, modo *quod* omittunt. *Caſtrum* eſt caſtellum.

extraxit: ad notandam difficultatem. Supra alio nexu et conſilio *expediuit*.

Cap. VI. 1. *habitabat*: fugiens Antipatrum. In Epiro nata erat. Arceſſiuit poſt Polyſperchon, qui regum inpuberum tutelam ſuſceperat, probante amicorum ſenatu. Diodor. 18, 49.

eas: friget. Quare Kappius acute coniecit: *ſuas res*. Si *eius* ſubſtitueris, leuiore mutatione, intelligentur Macedoniae res, i. e. imperium. Ceterum quia *vtrum* deſiderat aliquid, quod alteram partem, in delectu faciendo, adferat, Lambinus, inuiſis tamen libris omnibus, ſubiecit: *an in Epiro maneret*, quod ſubminiſtrat Diodor. 18, 58. Similis tamen formae exempla obcurrunt, in Cicerone etiam et Livio, et facile illud ſubplementum

ex nexu petitur, etsi talia ad imitationem vix recte traducantur. *Veniret* in hoc nexu, vt alibi, est venire deberet, posset. Sic in Timol. c. 3, 3. *obtineret.*

2. *et*: pro *sed*, vt supra c. 4, 2.

filius: ex Roxane susceptus et ipse Alexander nominatus.

raperetur: vim, impetum addit.

3. *crudelissime*: consuli potest Iustinus 14, 6. in.

ferretque: ex obposito *ne* subpiendum est *vt*. Tum *que* pro *sed*, vti passim *et*, de quo antea et aliquoties alibi.

liberis: ni Barsines filium simul hic cogites, *liberos* de vno omnino dixit, vti volunt supra c. 2, 2. maiori tamen ibi veri specie.

veniam: i. e. admisset, probasset, de re facienda. Cf. in Themist. c. 2. in. Pausan. c. 4. extr.

4. *manebant*: pro *mansissent*, in oratione obliqua. Propter indicatiuum definite et certe, et hinc forte in inperfecto.

CAP. VII. 1. *copias contraxit*: melius et vsitatius *copiis contractis bellum* — in rerum connexarum consecutione. An sic forte adparatus studium, omissa etiam copula, voluit indicare? Tum pluribus interpositis facilem et hic cursum moratur.

custos: amplissima dignitas, nec nisi summis ducibus conlata. Habuit autem septem, quibus hic octauus accessit. Arrianus de exped. Alex. 8, 28.

et Antigenes: praepositi ex codice vno et edd. vett. *et*, quod et hodie apud quosdam abest. Nomen ipsum varie corruptum auctores Graeci constituunt. Praefectus autem fuit cum Teutamo τῶν ἀργυρασπίδων, quae erat phalangis pars ab argenteis clypeis nomen sortita. Igitur non toti phalangi praefuit. *Phalanx* ipsa satis ex Curtio nota.

quam tamen: forte, in hoc maxime rerum coacernatarum interuentu, ad glossam haec reiicienda sunt.

alienigena: quippe Cardianus.

summi: structura ex nostro nota.

multitudo: at supra iam dixerat, *Macedones complures nobiles*. Molesta copia.

2. *principiis*: locus in castris princeps, vnde nomen, in quo positum erat imperatoris tabernaculum, et exercitus principes ad deliberandum conueniebant —

nomine Alexandri: commentus erat, adparuisse sibi in somnio Alexandrum et auxilium suum promisisse.

et fecit: videtur ortum, mala vocabulorum distractione, ex *effecit*, quod placet in primis Heusingero. Nempe nihil tum fecerat, sed facturus erat, et refertur vnice ad consilium initum bellique adparatum. Sin ad priora referas, de tabernaculo et sella aurea — ea iam fecerat, et sic languet. Certe *fecit* debet esse *effecit*, sc. vt Alexandri nomine bellum videretur administrare. Qui locus ex Pausania c. 2, 5. huc transferri possit, si propius explores, ipsam actionem, non actionis euentum indicat.

Cap. VIII. 1. *Paraetacis*: populi Persidis, iuxta Mediam, vel etiam in Media australi; nam variant. Ipsam hanc lectionem comprobant praeter auctores Gr. duo codd. quum alii, vt in his solet, mira adferant.

acie: contra Diodor. 19, 27. nisi id ipsum ad iter etiam nullis antea castris factis, vnde in aciem educerentur milites, referas.

male adceptum: clade adfectum; ita quidem apte, quia Antigonus prior ipsum erat adgressus. Obcisi fere 4000, totidem vulnerati. Diodor. l. c.

Persidis: pro simplici *in finitimam Persida*. Sic in Pausania c. 3, 3. *ager Troadis* et alibi similia, veluti *vrbs*, *flumen*, *mons* cum genitiuis nominum propriorum.

2. *licentia*: expositе narrat Iustin. 14, 2, 7. ex quo simul discitur, Argyraspidas eos milites dictos fuisse. Cf. supra ad c. 7, 1.

postulabat: per zeugma refertur etiam ad *parere*, quod proprie desiderat *volebat*, aut simile aliquid. Cf. Thrasyb. c. 4. in. in *expressерat*.

nostri: Romani. Ex codice hanc vocem, quae antea exsulabat, restituit Schottus. Ceterum haec verba Nepotis aetatem indicant; quippe, obciso Caesare, liberius agere et grassari veterani coeperunt, de quo cf. Cic. in Philipp. 1, 2. et in primis 11, 5.

cum quibus: alias etiam *pro*. *Stare* de partibus, in bello et in acie maxime, et sic quidem, quia stant pugnantes, vnde *cadere* de vulneratis, obcisis. Intelligit autem Octauium, Antonium.

fecerint: contra *facere cum aliquo*, veluti apud Ciceronem et supra in Agesil. c. 2, 5. Manhemiensis editor, nescio vnde, dedit *fleterint*, quam repetitionem in hac praepositionum obpositione omnino non damnem. At ex ipsa re difficultas obiicitur, si perpendas, quomodo hos etiam perdere potuerint, quum potius hostes illa aduer-

ſariorum licentia commoda percipiant, et facilius ſuperent. Quae forte ſic remoueri poteſt, vt velit: non ſolum eos perdunt, quorum cauſam tuendam ſuſceperunt, ſed et eos, duces in primis, quibus parere recuſant. — Tum vero melius adhibuit *facere*.

3. *ſumſerant*: libidinem, licentiam reſpicit. *Vſus belli* de commodis belli, et quae bello proſpere gerendo eſſent vtilia.

disceſſerant: debetur haec vox Lambino, quum in antiquis libris reperiatur vel *discenſerant*, vel *diſſenſerant*. Intellige de locorum, quae ipſi hibernis elegerant, diſtantia, vnde difficulter et ſero coire poſſent. Vid. c. 9. in.

4. *intelligeretque*: diuerſa tempora ipſo rerum connexu orta. Nempe quum comperiſſet, intelligebat.

qua: ſc. parte, vt in Milt. c. 6, 1.

ad aduerſariorum: molliori nexu: *ad hiberniacula aduerſariorum*. Sed talia non ſemper optimi etiam ſcriptores euitant.

5. *altero*: igitur duplo. Diodor. 19, 34. hanc fuiſſe dicit 9. στενωπῶν, illam cultiorem et expeditiorem 25. Sunt autem στενωποὶ, quod ex aliorum Diodori locorum comparatione efficitur, diurna itinera.

omniumque —: interpretationis cauſa haec a grammatico addita fuiſſe exiſtimabat Heuſingerus. At talia ſaepe luculentioris explicationis vel orationis ampliificandae cauſa ſubiiciuntur, vt ne dicam, *copioſa* ex obpoſitionis ratione, quam efficiunt voces *deſerta* et *loca ſola*, commode ad hominum frequentiam referri poſſe.

6. *ſola*: deſerta, vti paſſim.

atque etiam: inſoliti aliquid et ſingularis innuit; nempe quia culleos adeo repleri iuſſit vtribus longe capaciores; quare etiam condendis vinis adhibebantur. Nolim igitur cum Heuſingero obelo notare, tamquam ſpuria et ſuperflua; immo curam diligentiorem in ſubleuanda aquae penuria indicant.

cocta: Graecorum ἄτυρα σιτία explicant, quibus non tam *cocti*, quam *crudi* cibi intelliguntur, qui nondum igni fuerunt admoti. Nempe *cibaria* ſunt omnino alimenta, quae *cocta* adpellantur, non quia ſol coxit, qui vocis vſus a pedeſtri narratione ſit alienus et aliena inferat, ſed quod igni adhibito ſunt confecta, veluti *panis*. Hinc Plinius 18, 25, 6. *quinque et quadraginta dierum cibaria, e quibus quindecim dierum cocta, inpoſita*, vbi

inter *cibaria* ſimpliciter, et *cocta* diſtinguit. In illis intelligi poſſunt frumenta, legumina; in his farina, in primis quum cibarium a Plinio 18, 20. §. 9. in farina diſerte memoretur, vnde *cibarius panis* conficiebatur.

ignis: de ignibus nocturnis, qui in caſtris fieri ſolebant. Illud igitur praecepit, ne cibi inopia exercitus premeretur, vel eius adparatu iter retardaretur; hoc, ne ignium indiciis detegeretur aduentus, quod et proxima comprobant. Quare *τὸ que*, quod delendum cenſuit Bremius, multi etiam codd. omittunt, cum aliis retinui.

quod habebat: *iter habere* inſolens locutio. Si ſubpleas *in animo*, dura ſit illa ellipſis. An *agebat*, (betrieb) quae verba inuicem commutantur? *Qua* ſc. parte, vt ſupra aliquoties et alibi.

Cap. IX. 1. *adlata*: de fama, nuntio. Nempe, quod auctores narrant, veluti Plutarch. c. 15, montium incolae pyrarum mirati frequentiam, dromadibus vecti, nuntiarunt.

quaeritur: omiſſio copulae feſtinationem indicat, quaſi ne in ipſa narratione et lectione aliquid, ſine neceſſitate interpoſitum, moretur. Adcedit praeſentis temporis vſus.

celeriter: nempe, quod Plutarch. c. l. tradit, mille ſtadiis poſtremi a primis diſtabant, quae efficiunt miliaria Germanica 31. Diodorus 9, 37. habet ſex dierum iter, paruo, aut nullo discrimine.

2. *titubantibus*: anxietatem conſiliique ambiguitatem corporis geſtu declarat, qualis adparet in incceſſu et lingua ebriorum.

ſummis: vti cap. 10, 3. de ſummo imperio Aſiae et Graeciae.

quod — poſſet: ineſt breuitas Latina, qualem Cicero in epiſtolis ſaepe adhibet, vbi reſcribit ad ſummam adceptae epiſtolae vel ſingulas eius partes. Ita vero *quod* cum verbo, *de* cum ſubſtantiuo. Senſus, *quod pertinet ad id, quod* —

non minus: i. e. quinque dierum itinere. Sic in Thraſyb. c. 2. in. *non plus quam triginta.* Graeci tamen tantum 3 vel 4 memorant dies.

contraheret: obſeruanda numeri mutatio, alibi etiam notata, etſi *quisque* commode fert pluralem. Quod *copias* poſtponit MS. Voſſ. 2. propius facere ad rationem Nepotis exiſtimat Fiſcherus. At licet potior vis inſit in verbo *contraherent*, incerta tamen eſt haec praeceptio, et forte

ideo poſtpoſuit librarius ille, vt omiſſae eius antea vitium repararet.

3. *refrenandum*: verbum ex comparatione efficax.

certos: ſecundum Graecos illos auctores ipſe, adiunctis ducibus, in loco quidem edito explorauit.

qui: refer ad montes. *Obuii* i. e. aduerſi, obpoſiti, de rebus etiam ſuo loco fixis. *Erant* igitur bene mutauit Lambinus ex *eant*, quod ferunt libri, et in hoc nexu languet. Quid enim valeat, *mittit, vt eant*? deinde *itineri obuiam ire* durum eſt et inſolens, nec, ſi ad montes referas et de eorum extenſione intelligas, pedeſtri et tenui orationi conſentaneum.

praecipit: aptius in hoc connexu *praecipit* et *faciant*, quam *praecepit*, quod eſt in aliis.

prima: ex ſeqq. *ſecunda vigilia* adparet, eſſe primam vigiliam, et ſic differe Diod. 19, 18. κατὰ πρώτην φυλακήν. Nempe *primus* de rei ſ. temporis principio, initio ſaepe dicitur, vti contra *extremus*, quae ex nexu facile iudicantur. Sic *infimus* antea de monte, cui *ſummus* obponitur.

tres: in tot vigilias Graeci noctem diuidebant, in quatuor Romani. Sic τριφυλακτικὸν νύκτα, vti explicat Euſtathius, legimus iam in Homero Il. 10, 253.

4. *Quibus*.—: non ſatis haec placent, quae breuius poterat etiam efferre; tum quae dedit, alia forte forma effingere. *Praeceptum* vero ab *imperatum* ſic differt, vt eius, quod imperatum eſt, rationem, modum, leges includat.

poſſet: coniunctiuus, quia opinionem Antigoni ſpectat.

integriore: latitudinem reſpicit, vnde eſt refectus, confirmatus.

CAP. X. 1. *Hic*: *ſic* pauci aliqui, quod coniecerat Heuſingerus, etſi non inepte, ſine libris tamen et praeter neceſſitatem. *Hic* eſt aduerbium. Ceterum periodica forma poterat haec enuntiare: *Hic etſi — tamen*. Sed ex vſitatiori more talia ſeparatim proponit.

eius: languet in fine adpenſum, quum nihil ad explicationem ſubiiciatur.

2. *ducum*: Antigonis maxime et Teutami, qui Argyraſpidum erant praefecti, ex quo etiam ſequentia verba intelliguntur. Expoſita haec proſtant in Plutarcho c. 16.

militum: quia abeſt a quibusdam MSS. et commode in hoc nexu propter adiectum etiam *Macedonum* omitti poteſt, quidam, vt ego, vncis includunt, aliqui etiam

plane delent. *Veteranus* quidem modo simpliciter, modo addito *miles* dicitur, etsi, ni fallor, *veteranus* praecedit.

superior: contra *inferior*, sequente etiam *abire*. Dubio tamen euentu et ancipiti victoria pugnatum esse, auctores Graeci scribunt. Vicit enim Eumenes peditatu, contra equitatu Antigonus, qui, quum simul praeter alia coniuges liberosque cepisset, hac lege se omnia redditurum promisit, si Eumenem tradidissent; et sic eos conrupit.

dediius: consule Iustinum 14, 3 et 4. vbi prolixe hoc narrat, qui et pro *ter* habet *quater*.

quum: etsi, licet. Cf. cap. 5, 6. et mox §. 3.

nonnullorum: duo genitiui, vti passim in nostro, quorum alter alterum regit et regitur, quod potest fieri, vbi diuersa est eorum terminatio, et soni et sensus causa. Cf. c. 11, 3.

prodere: al. cum libris veteribus *perdere*, quae commutatio saepe obseruata est. Quum praecedat *fidem amittere*, (melius poterat *fallere*) aut *perdere* leg. est, aut *prodere* inuoluit deditionem deserta fide, quae exquisitior significatio passim obcurrit, et plus valet, quam simplex *tradere*. Cf. Themist. c. 8, 5. Sic in Phocione c. 2, 3.

3. *esset*: pro *fuisset*. Sed ita passim praecedente et connexo plusquamperfecto in apodosi.

Inminebant: mira connexus forma, quum, quae de rebus praemiserat, ad homines reuocat.

Seleucus: tenebat Babyloniam, Lysimachus Thraciam, Ptolemaeus Aegyptum, vt docet Diodor. 18, 3. et 39.

4. *circa*: comites, amici; paraphrasi in Graecis maxime vsitata; οἱ κύκλῳ, περὶ τινα.

recepto: in amicitiam, foedus.

prae illo: ratione, respectu eius. Non enim simpliciter comparat in hoc nexu, vt saepe, sed etiam ex rebus comparatis alteram vel potiorem esse vel deteriorem declarat. Priori sensu est quidem vsitatius et ad propriam vocis vim adcommodatius.

leniri: laxiori obpositione ad *incensus* refertur, quum magis proprie *asper*, *acer*, respondeat. Sed quia *ira lenis* dicitur, et *incensus* de ira per conuersionem valet.

CAP. XI. *dedisset*: Iustin. 14, 4. extr. *verecundia prioris amicitiae in conspectum suum venire prohibitum adsignari custodibus praecepit.*

quaesisset: ex Antigono.

conſeruaret: ſc. vtrum, vt paſſim in ſimili nexu. Multi inde a Boeclero *ſeruaret*, minus, opinor, bene, quia diuerſo ſenſu praeceſſit *ſeruari*, a quo melius *conſeruare* diſtinguitur.

2. *vtrumque:* quum nihil praecedat, ad quod referatur, nec ita ex vſu dicatur, vt *vtrăque lingua*, valet hic duplex, cuius explicatio ſubiicitur. Rariori forte vſu. Tum notandum, quod in explicatione tria hominum genera ponit.

vellent: coniunctiuus, quia non definite, ſed in vniuerſum explicat. Nempe non ii, illi, qui — ſed omnino homines, qui. Mirum tamen, cur deinceps ad indicatiuum repente delabatur, *multi qui — ſtudebant*, niſi concurſum coniunctiui voluit vitare et potius variare; aut τὸ *qui* temere eſt adiectum. *Fructum — capere*, eſt delectari, paſcere oculos, vti Cicero aliique ſolent. Ita vero noue et remote dixiſſe videtur. Alias fructum capere, percipere, nota.

qualis: vberior explicatio talia admittit. Nempe *forma* hoc ſatis iam innuebat.

3. *ait:* obliquae orationi inſeritur, *inquit* rectae, nulla verborum facta inuerſione. Rarius ab hoc vſu deflectitur, ſi quidem exempla illa ſunt indubia minimeque controuerſa.

imperii: ad arctiorem ſenſum redigit, quem vox *cuſtodiae* indicat. Fuit igitur praefectus cuſtodum §. 1. Tum duo genitiui diuerſi regiminis notandi, vt ſupra c. 10, 2.

deuteretur: verbum nusquam forte alibi obuium, quod tamen tuentur omnes codices praeter vnum, in quo legitur *ſic ſe vteretur*, quod et exceperunt edd. quaedam. *Deuti* quidem, ſi analogiam ſpectes, vtique melius conuenit; nec mirum, ſi in paucitate auctorum, quorum libri noſtra tempora tulerunt, ad ἅπαξ λεγόμενα reiicitur.

quin: hic in transitu ad contrariam ſententiam cohortationis grauioris notionem infert. Ceterum vtiliter conferri poteſt Plutarch. c. 18. vbi eadem tradit.

4. *potius quam:* Lambinus malebat: *potius quam commiſiſti, vt* — ſed illud contractiori et elegantiori breuitate dicitur. Sic *nihil aliud quam* obcurrit. Simile exemplum eſt in Hamilc. c. 1, 6.

5. *inquit:* intruſit Lambinus. Hinc, praeeunte Heuſingero, quidam vncos adpoſuerunt.

decidi: apte et digne.

Nam: haec verba cum proximis non cohaerent, nec, si *nam* transitioni, vti passim in Cicerone, inseruire voluueris, huc valent, etsi verba *neque id falsum* desiderant explicationem, qualem in simili nexu subiecit in Alcib. c. 9, 2. Tum formam externam bis temere, *dignitate honesta* et *figura venusta*, ita notat, vt minus recte in vno coniungantur. Male igitur adiecta videntur, etsi, quid substituendum, vel ex iis delibandum sit, non adparet. Melius, si nihil excidit, locum sortiantur §. 2. post *victoriae*. Quidam ad *figura honesta* vncis adpositis signant.

Cap. XII. 1. *retulit:* verbum in hac re solemne.

plerique omnes: paene omnes. Nam conseruatum cupiebant Nearchus et Demetrius, ipsius Antigoni filius. Plutarch. c. 18. Ipsam locutionem, quae primo intuitu mira videtur, etiam aliorum auctorum vsus comprobat. Ducta autem est ab Atticis, quippe qui πλείους πάντες dicunt. Dubiam tamen hic facit eam lectionem, quod ab vno tantum codice adfertur, reliqui cum priscis edd. respuunt. Quare vocem *plerique* impugnat Heusingerus, immo et alteram *omnes* simul tollendam censet. Notanda vtique est haec forma.

admirarentur: pro simplici *mirarentur*, vel, vt passim, *valde mirarentur*, quod proprie valet de rebus insolitis, inopinis, quae praeter spem et contra certam rationem accidunt, vnde et *res mirae* illae dicuntur. *Admirari* de rebus magnis, grandibus, quae singularem vim, virtutem — ostendunt. Sic *mirari* in praefat. §. 3. Sunt tamen loca, in quibus promiscue obcurrunt.

forent: pro essent, vti passim fit, hic etiam, ne idem recurreret.

duces: Craterum et Neoptolemum. Vid. cap. 4. in.

2. *interfecto:* quo interfecto. *Negotii* de difficultatibus, impedimentis; ex vsu.

Postremo: obfendit ideo, quia respondet τῷ *primo*, in primis tamen, quod subiicitur in fine, *postremo*. Quare etiam aliqui mutilatam hanc auctoris narrationem censent. Equidem eam difficultatem sic expediendam censeo: *denique* pertinet ad causas mirandi, quarum summam nunc complectitur; *postremo* inde ad contrarium vel diuersum producit, *si illi redderet salutem*, pro quo poterat dicere, *tum, deinde*. Dixit autem *postremo* propter interpositum plurium causarum de supplicio sumendo recensum, qui

ipſum orationis eius finem moraretur. *Denique* autem eo, quo dixi, modo, vſurpari, exempla docent.

3. *hic:* bene habet, nec ex Heuſingeri ſententia in *hac* mutandum eſt, ſiue aduerbium putes, quaſi hoc audito; ſiue pronomen, quod ſic amat noſter. De priori cf. c. 11, 4.

4. *et:* diuerſa nectit pro *quotidianum vero*, vel omiſſo *vero*. Cf. ad Datam. c. 6, 4. et alibi.

iugulatus: cf. praeter alios Iuſtin. 14, 4.

CAP. XIII. 1. *quinque et quadraginta:* repetam calculum, quem adpoſuit Boſius, vt ex ſingulis partibus contracta ſumma luculentius adpareat.

Eumenes ſuperuixit Alexandro, an. 7. menſ. 8.

adparuit Alexandro	— 12.	—	4 vel 8.
—— Philippo	— 6.	—	6 vel 2.
ante miniſterium vixit	— 19.	—	—
Vixerit igitur vniuerſe	— 45.	—	6.

Quos Cornelius adfert annos, non omnes completi ſunt habendi, veluti quod *tredecim* annis miniſterium Alexandro praeſtitum computat, vti cap. 1, 6. qui tamen annos tantum 12 et 8 menſ. regnarit. Quodſi enim ſingulos annos, quos adpoſuit, 20. 7. 13. in ſummam conligas, et Eumenem Alexandro mortuo 7 annos ſuperſtitem fuiſſe feceris, vixerit annos non 45, ſed 47.

oſtendimus: edd. veteres hoc verbum omittunt. Hinc, et quia ſupra nihil eiusmodi diſerte dixit, (cap. 1, 4.) ſed tantum *peradoleſcentulus*, Lambinus, Puteani coniecturam ſecutus, legebat: *et ſupra*, ſic vt ad verba *ab anno vigeſimo* referret. At referri poſſunt ad ſequentia, quae ſupra vere c. 1, 6. adtigerat. Tum Boſius adeo ſequentia inde a: *quum ab anno* ad *partim interfeciſſet* ſpuria cenſet et in notis, certe ed. ., vncos minatur. At vtrumque tuentur codices et poſteriora ea ſunt, quae vix librarii ingenium excuderit, quum non ſolum eleganter ſummam rerum ab Eumene geſtarum complectantur, ſed et maxime diſſimilem et indignum euentum facta comparatione apte ad commiſerationis ſenſum mouendum inluſtrent.

adparuiſſent: ſupra c. 1, 6. *locum amicitiae tenuit apud Philippum. Adparere* autem de miniſtris, qui in conſpectu magiſtratuum, Principum verſantur. Honorifici officii dignitatem locorum haec comparatio efficit. Ceterum moleſtam eiusdem terminationis —*ſſet* repe-

titionem nec Cicero semper cauit. Sic de Orat. 1, 40. et —*bat* in Acad. Quaest. 1, 11.

vnum: alii *vni*, vt ego ipse antea, pro quo cap. 1, 6. *alterae;* quod, etsi monente Heulingero *ro vni* significare non possit, diuerso tamen respectu et consilio vtrumque valet. Nempe *vni* absolute dicitur, nulla numeri et ordinis habita ratione quam adtingit *alteri*, vt taceam, *alter* etiam pro *alteruter* explicari posse, et explicari. At quia non per *tredecim annos*, quod in hoc nexu facile videatur, sed nouissimo demum tempore, quod Nepos c. l. diserte tradit, *alterae equitum alae* praefuit, opportuna est lectio 3. codd. *vnum*, quod, in notis antea probatum, nunc in ipso contextu ponere cum Bremio, Heinrichio et Hutteno non dubitaui. Quod argute satis Freinshemius pro *vni* emendauit VIII. vti saepe numerorum signa in ipsa vocabula transeunt, vix cum verbis c. 1, 6. *nouissimo tempore* conciliatur.

2. *in quo:* sic codd.; quare non erat, cur Lambinus aliique reponerent: *de quo*. Quod etsi est vsitatius, intelligi tamen et illud potest; certe sine libris mutari nequit.

reges: in quibus Seleucus, Ptolemaeus, Antigonus.

3. *statim:* immo aliquot annis post, Alexandri matre, fratre et duobus filiis a Cassandro interfectis. Tum Iustin. 15, 2, 14. verecundia causa id eos fecisse scribit, quoad Alexandro iustus heres fuerit.

ornatum: diadema, purpureum pallium.

id: abesse possit exemplo 4. MSS. et edd. veterum; sed iudice Harlesio ingrati soni euitandi causa melius interponitur.

sceleris: spectat verba: *praestare voluerunt.*

4. *humauerunt:* quidam, quod sequentia cum hoc non componi posse putarent, substituere maluerunt *cremauerunt.* Vt multa paucis, quatenus licet, complectar, ego sensum loci sic capio: Propinqui corpus sepelierunt, i. e. cremarunt; hi cineres ex more conlectos humauerunt i. e. terra condiderunt; ossa ad matrem deportanda curarunt. Nempe *sepelire*, quod multi docuerunt, more antiquo cremationem indicat, et hinc, quod in Suetonii Aug. c. 100. est *crematus*, ab Eutropio 7, 8. l. 5. dicitur *sepultus.* *Humare* autem est humo obruere, tegere, etsi quidam contendunt, vsu inualuisse, vt pro cremare poneretur, quod bonis auctoribus sine vltima necessitate obtrudi non potest, certe huic loco non debet. Ita vero

plana omnia et aperta esse videntur, itaque esse, euincit Diodorus 19, 44. vbi haec, etsi in adiunctis discrepat, de Antigono: καίσας τὸ σῶμα (hic *sepelire*) καὶ κατακέυσας εἰς ἀγγεῖον τὰ ὀστᾶ πρὸς οἰκείους ἀπέστειλεν. Non igitur, quod Schmiederus putat, temere haec Nepos effudit. Recte etiam sic explicauit Heinrichius. Sic Plutarch. c. 19. corpus et reliquias (hic *ossa*) distinguit, illud crematum, has in vrna conditas et ad vxbrem liberosque deportatas scribit.

vxorem: Barsinem vocat Plutarch. c. 1.

PHOCION.

Cap. I. 1. *Phocion:* eius vitam descripsit Plutarchus, ex quo loca passim notabo.

saepe: quinquies quadragies. Plutarch. c. 8.

integritas: quidam, etiam hodie, ex edd. vett. subiiciunt. *est*, quod cum MSS. commode omittitur. Ceterum in ipsa re eiusque fide haerent interpretes propter ea, quae infra de proditionis crimine narrantur. A quo, etsi liberari plane non potest, ex nexu tamen rerum adiunctarum temporumque iniquitate, si non excusari, at mitigari posse videtur. Cf. mox *bonus*. Forte etiam Nepos innocue damnatum esse innuit.

2. *nulla:* Nepotis forte aetate et fama. Attamen ex obposito *magna* modus adcedit.

Bonus: Aelianus V. Hist. 3, 47. χρηστὸς, qui addit, publicam eam laudem ad aetatis annum 75 sustinuisse. Propter ea igitur, quae infra de proditione narrantur, huius cognominis causa et tempus spectari debent. In reliqua vita et cultu morosum, durum, asperum fuisse, refert Plutarchus cap. 3 sqq.

pauper: in pauperrimorum numero ex claris Graecis recenset etiam Aelianus V. Hist. 2, 43. eaque paupertate illum gloriatum esse tradit Plutarch. cap. 30.

ditissimus: quidam cum priscis edd. *ditissimus*, quae forma licet sit vsitatior, non tamen altera illa abiici debet, qua et Cicero vtitur.

frequenter: si aures consulueris, leg. videatur *frequenter*. Alias adiectiuum cum participio sine copula necti solet.

3. *Philippo:* Philippus Aridaeus fuiſſe videtur, quem memorat c. 3, 3. De Alexandro ſimile aliquid narrat Plutarch. c. 18.

munera: ſc. miſſa, pro *regis munera.* Sic vero concurſum duorum genitiuorum vitauit. *Magnus* de pecunia ſaepe pro *multus.*

adcipere: vſitatius, *vt adciperet.* Graecorum more, in Latinis proſaicis minus vſitato. Tum lenioris ſenſus verbum, *admonere*, quia in re alioquin nota et aperta conſilii, praeceptionis, cautionis — notionem inuoluit.

liberis: de vno tantum, Phoco, id refert Plutarch. c. 30. quem c. 20. vinoſum et diſſolutum fuiſſe et ad diſcendam frugalitatem Spartam miſſum ſcribit.

4. *ſi mei:* Plutarchus in priori loco: ἐὰν μὲν σωφρονῇ, (Phocus) χρήσεσι τὰ τοῦ πατρὸς ὡς δ' ἔχει νῦν, οὐδὲν ἰκανόν ἐστιν. Noſter igitur reſponſionem Phocionis magis excoluit.

Cap. II. 1. *idem:* ante Heuſingerum *eidem*, antiquo more, vt *heic*, pro hic, et ſimilia. Reuocauit tamen *eidem* Bremius, et ex anacoluthi ratione explicat, ſic vt Nepos ſui immemor ſubiecerit, quae minime reſponderent. Quod quidem in longiori orationis ſerie, pluribus interpoſitis partibus, excuſationem habet. Ita libri aliqui *tu* pro *te* in Epaminonda c. 4, 3.

octogeſimum: ſic et Plutarch. c. 24. Sed Aelianus V. Hiſt. 3, 47. habet 75.

peruenijſſet: Lambinus ſuo arbitratu, paucis obſequentibus, *permanſiſſet;* forte quod eiusdem verbi iteratio obſenderet, quod vtique poteſt.

2. *quod:* quum antea exſularet, reſtituit ex vno codice Boſius. Repetitur idem 8, 2. et 4.

Demade: cuius oratio aliqua, etſi dubia, inſerta eſt oratoribus Atticis a Reiskio conlectis Vol. 4. Hic, quum Graeci ad Cranonem, Theſſaliae vrbem, victi eſſent, ad Antipatrum infeſto exercitu aduentantem cum Phocione legatus de pace miſſus erat, quam, vrbe tradita, Athenienſes redemerunt. Diodor. 18, 18. Tum vero populus, rerum neceſſitate omnique ſociorum auxilio deſtitutus, conſenſit. Vtrumque tamen, Phocionem et Demadem, partes et amicitiam Antipatri fouiſſe, docet ipſa eius oratio apud Plutarch. c. 30.

mereri: continuationem ad praeſens tempus indicat. Scilicet MSS. 3. *meriti.*

populiſcito: ſic pro *plebiſcito* ex codd. quibusd
repoſuit Bolius. Cf. ad Ariſtid. c. 1, 3. Diuerſas, de Al
biadis exuli narrationes verbo tantum adtingere lic
Neque tamen ſine admonitione praeteriri debet, qu
verbum *erant* ad *Demoſthenes* refertur, propter adiunc
ſocios. Sic Liuius 21, 16, 7. *dux cum principibus capi
tur.* Sic contra in Eutropio 6, 19 f. 15. dicitur: *C
ſules cum Pompeio ſenatusque omnis atque vniuerſa
bilitas ex vrbe fugit.*

3. *auctus:* honoribus, dignitate. — Alias et apud
ceronem *ornatus*, cum quo etiam coniungitur.

ſubornaret: immo fec. Plutarch. c. 14, populus
in Charetis locum ſubfecit, qui expeditionem ad ſu
uandos contra Philippi impetum Byzantinos ignauc
cupide obiiſſet, vti docuerat Phocion in oratione. S
tamen auctores ſequutus eſſe videtur Nepos. Tum
Demoſthenes latenter illi praeſidia ſubminiſtrauit, qui
Charetem labefactaret et deiiceret, quae hic vis eſt v
ſubornare.

liberatus: de hoc nihil eiusmodi in noſtris au
ribus exſtat.

peri ulis: cum augmento *iudiciis* reddit, vel omi
plura verba vno ſubſtantiuo concludit. Sunt enim
cuſationes, ex quibus vitae, bonorum, honoris —
cula inſtant. *Discedere* verbum de pugnantibus,
gantibus vſitatum cum ſignificatione euentus.

prodidit: de vi huius verbi cf. ad Eumenem c. 1
Quod vero alii tradunt, ipſe ceſſiſſe videtur Dema
Antipatro, et vrbem reliquiſſe; quare noſter ſequutus
tur auctores incognitos.

4. *Concidit:* metaphora apta et elegans, quam in
forma praecedunt *labefacere*, *labi* et ſimilia, vel e
proſperae ſortis mutationem ſimpliciter ea indicant
conlabefactus in Ariſtide c. 1, 2.

crimine: criminationem explicant, quo ſenſu no
rarum. Deceptum autem fuiſſe Nicanoris verbis, q
credulam nimis fidem habuit, pluribus narrat Plutarch.

imperium: τὴν τῶν ὅλων ἀρχήν vocat Diodor. 18, 65

Dercylla: Atticae hic erat extra vrbem praeſ
Plutarchus c. 12.

huic: al. *hic.* Illud eſt codd. et proxime Nican
ſpectat, a quo populus ſecernitur; quamuis et *hic*
poteſt, quod ſic tempus rei narratae reſpicit.

5. *neque:* sc. tamen, vel attamen non, vti in Agesil. c. 1. f. et sic passim alibi.

ad arma: quod ex decreto fieri inferat Philomedes et Lamprensis. At populus, in Phocionem exacerbatus, parere noluit.

sine - possunt: haec verba, quia spuria videntur, certe inepto et alieno loco posita sunt, vncis includi solent. Quum tamen, praeter vnum codicem, ceteri omnes sustineant, ita alii constituerunt, vt locum sortirentur modo post *potitus*, modo post *recuperandum*, vel etiam post *Atheniensium*. Quidam ita cum *potitus* connectunt, vt interposita parenthesi includant. Mihi glossatoris verba videntur, qui de eius portus insigni commodo monere vellet, et ex margine in textum post transuecta.

Cap. III. 1. *Phalereus:* Φαληρεύς.

nitebatur: efficacius, quam *vtebatur*, quod ex nota commutatione exhibent plerique MSS. et edd. quaedam.

sentiebant: antea *fauebant*, variatis verbis, quod eleganter fit et recte, vbi eidem verbo praecipua vis non subest. Ceterum Cassander hic Antipatri, tunc mortui, fuit filius.

2. *Quo facto: facto — factus — factionis*, aures graviter ferunt. At talia passim etiam optimis scriptoribus inuitis excidernnt. Sic *faciunt — faciebat — facere — fecissent* noster supra in Datame c. 9, 4. 5. In Livio eadem verba saepe recurrunt.

capitis: et tamen sic *patria pepulit*. Nempe, quod apertum est, de morte nec dici nec intelligi potest. Nempe de exsilii poena valet, cuius qui sententiam exceperat, vt Lactantii 2, 9. verba adhibeam, perinde habebatur, ac si esset morte mulctatus. Hinc *capitis deminutio* dicitur, quae hic intelligenda *maximâ*, vbi libertas, familia amittitur. Hinc capitis accusatio et damnatio a Iurisconsultis ad subplicium vel exsilium refertur. Quodsi tamen ob ea, quae de Phocione adnectuntur, vsitatiori capias significatu, absentes capitis damnarunt et sic patriae vsu excluserunt. Sic Demetrium aliosque absentes capitis damnatos fuisse tradit Plutarch. c. 55. extr. Phocion non tam vrbe pulsus, quam a magistratu remotus, ipse inde cessit. Plutarch. c. 33. etsi Diodor. 18, 66. in. adfirmat, illum, vrbe pulsum, ad Polysperchontem confugisse, a quo, quum Athenas missus esset, mortis poenam subiit. Tum vero subplicio adfecerunt, qui quouis modo rediissent.

3. *huc:* Heusingerus ex aliquot MSS. recepit *hoc*, quod, in archaismis ponit cum Graevio ad Cicer. epist. ad diuers. 1c, 2. vbi tamen alii legunt *huc*. Mutatio propter sequens *eodem* fuit facilis et prona. Ceterum, si Plutarchum audias cap. 33. et Diodorum 18, 66. in. praepostere haec narrauit ordine. Nam ante legationem missam eo confugerat Phocion, quod et ipsa res suadet.

Philippum: Aridaeum, Alexandri M. fratrem. Iust. 13, 3. in.

verbo: vt Graeci λόγῳ μὲν, ἔργῳ δὲ. Causam ipse deinceps explicat.

4. *hic:* vt passim, actae rei tempus respicit. Olim sic in edd. legebatur: *Hic quum ab Agnonide accusatus esset.* Post duo illa verba vncis inclusa sunt, tandem prorsus exclusa.

Nicanori: quod, in vno cod. negligentia forte librarii omissum, desiderabatur, vncis quidam continuerunt; deinde minutioribus etiam literis distinxerunt.

consilii: συνέδριον vocat Plutarch. cap. 33. Re vera ad vnum Polysperchontem iudicium rediit.

CAP. IV. 1. *propter:* elegantius codex vnus *per*, vt illud ex glossa natum videatur. Octoginta autem annos natus erat. Aetas enim, quod late patet, ex nexu iudicatur.

exacuerentur: aptus verbi delectus. Post duo genitiui concurrentes, vt supra aliquoties.

2. *peroraudi:* quia perpetuo clamore interpellabatur, vti lucide describunt Plutarchus et Diodorus. *Causam dicere*, quum iam priori verbo *perorare* insit, *vberioris explicationis* causa adcessit.

legitimis: quae lege constituta sunt ad seruandum iudicii ordinem, ante quam iudicum sententiae ferantur. At vere addidit *quibusdam*, quod reo causae dicendae facultas erepta erat, et plebiscito facto populus mortis poenam statuerat. Plutarch. c. 34. 35.

vndecim viris: Gr. οἱ ἕνδεκα, quibus cura carceris et subpliciorum demandata erat.

publice: eo pertinet plebiscitum et damnatio populi subfragiis statuta. Προδοσία autem ad causas publicas pertinet.

3. *duceretur:* verbum in hac re proprium. Gr. ἄγεσθαι.

Emphyletus: magni erroris, ne dicam insciliae, quidam hic Nepotem incusant, qui sic Graeca ἔμφυλός τις, tribulium aliquis, reddiderit. Neque tamen video, cur

nomen vere proprium esse nequeat, forte in partibus quibusdam corruptum. Nam et *Eriphyletus* et *Euphyletus* in libris MSS. legitur, et Euphyleti nomen memoratur in Andocide de myster. p. 18. ed. Reisk. et post. Neque ex ἔμφυλος τις *Emphyletus*, nisi magnam corruptionem arcessas, facile enascatur.

In hoc: sc. homine; viro, pro *in hunc*, vti fit alibi in simili nexu. Sic in Dione c. 6, 2. *in filio vim suam exercuit:* Ita, quae sensum animi et commotionem indicant, saepe struuntur.

sepelire: proditores enim palam sepelire non licebat, quod ipse tradit in Themist. c. 10. f. Omnes damnatos, negata sepultura, extra fines Atticae proiectos fuisse narrat Diodorus 18, 67 extr. Vltra Eleusinem corpus a vespillone portatum et crematum, a muliere Megarica cenotaphium adgestum esse scribit Plutarch. c. 37. additque, Atheniensis paullo post, poenitentia et desiderio tactos, ossa publice humasse, ipsi statuam aeneam posuisse, et Agnonidem interfecisse.

TIMOLEON.

Cap. I. 1. *Corinthius*: distinctionem maximam subposui, quia sequitur *hic vir*. Nempe ad inscriptionem s. indicium vitae haec pertinent. Vitam prolixius descripsit Plutarchus.

magnus: supra deos adeo euexit Timaeus, ideo castigatus a Polybio 12, 23, 4 sqq.

nulli: omnes MSS. *vlli*. Lambinus et hodie aliqui dederunt *nulli*, moti in primis vsu illius aetatis, qua haec formula modeste adfirmat, et vicem τοῦ *forsitan*, *mea opinione* — sustinet; tum quod Cicero in Epist. ad diuers. 9, 14, 3. ad Qu. fratrem 1, 1, 10. de Offic. 3, 2, 3. dicit: *quod haud scio, an nemini* — vbi τὸ *n* ex praecedente voce adhaerere non potuit. Alii pro *vlli* pugnant, et loca in diuersam sententiam prolata, vel corrupta, vel emendata iactant. Si non simpliciter, quod facile euincitur, at in comparatione, adfirmandi vim habere videtur, cuius indicium a nexu regitur. Vti vero *haud scio, an maximum*, quod saepe legitur in Cicerone, est fortasse, mea opinione maximum, ita *haud scio, an nemo, nullius* debet esse, fortasse nemo, nullus, et hinc *vllus* fortasse vllus. Haec aliaque plurima, a viris doctis conlecta, euicerunt, vt ego nunc reponerem *nulli*.

tyranno: Timophane, fratre §. 3.

Syracuſiis: vid. c. 2. in. *Inueteratam* vocat, quia per annos 6. et ſupra durauit.

depelleret: apte ad nexum adiicitur. *Barbari* ſunt Carthaginienſes.

priſtinum: ſc. ſtatum, quod contra libros temere quidam addiderunt. Sic *in integrum*.

2. *non ſimplici*: ex Latina verbi vi intelligi debet, i. e. varia, multiplici, mutabili fortuna. Hinc bene additur *conflictatus*, qua difficultatem, reluctationem indicat.

frater: πρεσβύτερος, εὐόδων αὐτῷ προστάσιος Plutarch. cap. 3.

3. *dux*: in bello aduerſus Argiuos et Cleonaeos. Plutarch. c. 4. in.

mercenarios: ξένους 400. Idem c. l. Secundum Diodorum 16, 65. egenos humilesque et improbiſſimum quemque fouit ſibique adiunxit.

particepsque: *ipſe*, ſc. Timoleon, quod in obpoſitione debebat melius addere, et Rickeſſius excidiſſe putat. Nempe per ſe manifeſtum eſſe putauit. *Poſſet* in nexu cum *obcupaſſet*, quia factum ſubſequebatur, et rem omnino indicat. Sic *antetulerit*, non *anteferret*, quia facti magnitudo ſpectatur, vti ſaepe poſt *tantum*, *tam*, *adeo*, — quando Graeci ὥστε priori membro ſubiiciunt.

ſalute: quem quidem antea in ſuperioris belli pugna ex equo inter hoſtes excuſſum ſeruauerat. Plutarch. cap. 4.

parere: Vario verborum ordine, verbis adeo auctis vel mutatis hic locus in libris legitur. Nempe quidam *obtemperare* habent pro *parere*; tum *patriae* repetunt poſt *imperare*; porro verba *ſatius duxerit* ponunt ante *quam imperare*. Schmiederus, Rickeſſius, Leidenſ. cod. lectionem praetulerunt, *et parere legibus*, *quam imperare patriae*, ne *patriae* diuerſo caſu rediret. Vulgatam lectionem conſtituit Boſius, quae exquiſitiori ordine rem edit. Tum *patriae* e prioribus facile repeti et adcommodari poteſt. Ceterum eadem fere ſententia legitur in Ageſil. cap. 4, 3.

ſatius: quidam codd. cum edd. vetuſtis *ſanctius*, omnino quidem non male, vt reſpiciatur τὸ ſceleris. Neque tamen cum Schmiedero recipiendum putaui, quia non tam de re vtraque iudicium indicatur, ſed iudicio facto ex vtraque delectus. Ceterum tacite Inlium Caeſarem aliosque carpere videtur, qui aliter ſenſerunt.

4. *haruſpicem*: μάντιν Plutarch. c. 4. qui ab aliis Lampyrum, ab aliis Orthagoram vocatum eſſe addit.

adſinem: Aeſchylum fratrem vxoris Timophanis. Plutarch c. l. Ipſe etiam Timoleon grauiter et ſubinde eum dehortatus eſt. Idem c. l.

manus: hic Plutarchus c. l. narrat, eum, quum frater dehortationes cum indignatione repuliſſet, receſſiſſe, obuoluteque capite (*ne adſpicere quidem* Nepos) lacrumabundum conſtitiſſe. At idem in polit. praeceptis pag. 222. (Opp. Vol. V.) caedis ſocium et adiutorem fuiſſe adfirmat, et Diodorus 16, 65. fratrem in foco deambulantem ab ipſo obciſum eſſe ſcribit.

adtulit: Vlitatius *intulit;* ſed nec alterum ſine exemplis. Sic *Armeniae manum adiecit* Vell. 2, 100. in. Tum codd. quidam hic etiam habent *manum*. Illud vſu valet.

dum: donec; quare etiam coniunctiuus ſubiicitur.

praeſidio: cuſtodem egit.

5. *facinus*: vtroque ſenſu dicitur, etſi plerumque malo; hic, quod epitheton docet, bono. Non igitur erat, quod quidam olim reponerent *factum*.

pietatem: fratrem ſpectat.

obterebant: vt *deterere* eleganter de iis, quae ſenſim ſenſimque repetito vel continuo tentamine inminuuntur, quod facit inuidia, obtrectatio.

domum: idem fere quod *ad ſe;* quare quidam adeo gloſſam putant. Forte tamen, vt fit, diſtinctius declarare voluit.

6. *finem*: inedia, vt tradit Plutarch. c. 5. quod tamen ne faceret, amici prohibuerunt.

Cap. II. 1. *interfecto*: vid. in Dione cap. 8.

Corinthiis: quorum coloni erant Syracuſani.

2. *Corinthum*: vbi ludum aperuiſſe dicitur. Cicero in Epiſt. ad Diuerſ. 9, 18, 1. Hinc prouerbium *Dionyſius Corinthi*.

vtrorumque: pro *vtriusque*. Proprie enim tunc pluralis ponitur, quum plures vtrimque memorantur vel intelliguntur.

exſtare: pro ſimplici *eſſe*, vbi aliquid in apertum et luculentum adſpectum emittitur.

clementia: vera verbi vis, quae hic etiam ex obpoſito probatur.

quem — *quem* — *quanto* — *quam* ad inluſtriorem partium enumerationem. Sic in Attico cap. 18, 3. Interpoſitum

et commode posset abesse, vel si vere Livium tener. vel etiam repeti, vt in Livio [illegible] *animum mutaverat, ni et navis, et mox ipse interisset cursu*, vbi quidem [illegible] recentiori linguarum partium notatu ne immerenti [illegible] inducas. Pro [illegible]

Ieraſſus: Syracusanus vel Syracusius. Neque enim is deceſſit ex vita, vel Corinthio carere debet. Hinc *Ieraſſus exul Syracuſii*. Cf Plutarch. cap. 1. 2. Nempe quum primum expulsus tyrannidem ex Italia rursus recepisset, nunc iterum excedere coactus Corinthum petit. Vid. Justin. lib. 21.

4. *Superato*: virum cum suo cepit, et virumque necavit.

Cum ſuo: varie scribitur in libris. Fuit Dionis Siculae, cujus plerique hodiernum nomen esse putant *Belidi*. De praelio pluribus Diodor. Sic. 16. 73 — 85. et Plutarch. cap. 5.

Himerensium: Catanae tyrannum: Plutarch. c. 35. et de re ipsa cap. 34.

[illegible] *minus*: periodica forma ablativus consequentiae subjicitur, [illegible] saepe apud Livium. Ceterum in his ordinem rerum gestarum et seriem turbat, vt ex Plutarcho adparet. Sic postea.

regione: ex oppositione *rei inter* intelliguntur. Studiosis hoc documentum subministrat Plutarchus cap. 22. quod in foro Syracusano equi pascebantur.

cum Archiae: ab Archia Corinthio. Heraclidarum vno.

1. *deſerto*: servum censetur, etsi in vno tantum codice abest, quia minus recte illi respondeat *reſecit*. Lambinus adeo sua auctoritate subdidit *deleta*, et nuper recepit Heinrichius, quod, etsi melius convenit, nimis tamen voluptationem anget, nec a MSS. firmatur. At non rara sunt exempla, in quibus verbum vni duorum substantivorum proxime adcommodatur, notanda illa quidem, non probanda. Tum consequens pro antecedente et causae et effecti connexu potuit, si bene ea vox habet. Cum plerisque tamen vncis notavi.

leges —: ἰσονομίαν Graeci vocant et tyrannidi obponunt.

toti: ita cum plerisque codd. malui dare, quam ex duobus derivare *totae*, etsi supra in Eumene c. 1, 6. obtrudunt codices *alterae*. Antea *ex* est posit, nempe vbi vel causa vel subsellio notatur. *Otium* in obpositione belli dicitur.

deduxerant: verbum de coloniis condendis solemne.

3. *obsidendam*: igitur intra vrbem. Vid. ad Pelop. 3, 5.

4. *obtineret*: obtinere posset. Sic *veniret* in Eum. 6, 1. et infra c. 5, 3. *restitueret*.

diligi: cf. in Dione c. 9, 5.

imperium: militare, quum antea *regnum* valeat latius. ost tamen *imperium* ad reges refert, nisi de potentia, ıisis ibi potius explices.

inperite: inprudenter, temere.

5. *potuerunt*: ante hoc verbum Gerhardus et Keuchenius inseruerunt *vix*, quod quidem omnino et hodie alii ad constituendam veram sententiae rationem probant. ti in omnibus libris omissa particula habet, aequalitatem b vtraque parte sic exprimit: *tantum — quantum*, s. *dem — quod*. Tum refert ea, quae supra obposuit: *diligi — metui*. Forte incrementum adcedit ex verbo *tenuit*.

publice: al. *publica*, quod soni eiusdem repetitione lisplicet. Est autem *in theatro*, vti vel ex c. 4, 2. disitur, vbi nempe concilia populi habebantur.

6. *magis*: aeque. *Magis* autem, quia subiicitur, quod riori vim addit.

Cap. IV. 1. *lumina*: poetice pro *oculos*. Ita vero nos tiam vulgari sermone loquimur. Hereditarium autem um fuisse et gentis morbum notat Plutarchus c. 37.

audierit: perfectum subsequitur, quia non certum empus designatur, sed rei omnino modus indicatur, vti it post *ita*, *tantum*, *adeo* — quod passim supra notaui. Post *veniebat* inperfectum de more, consuetudine, non le praetereunte actione, quam alia progrediendo excipit.

2. *valetudinem*: ex nexu intelligitur, quum sit vocabuum mediae significationis.

superbiae: insolens enim hoc erat in liberis ciuitatibus. Idem eadem de causa a populo Romano soli Q. Metello concessum erat, quod singularis beneuolentiae signum uisse, ex Plinii Hist. Nat. 7, 43, s. 45. discitur.

ex ore: dictio biblica, neque tamen, quod Ciceronis oca docent, ex bibliis hausta.

3. *habere*: differt igitur vtraque formula. *Agit* qui eneficium commemorat et verbis prosequitur; *habet*, qui etinet beneficii memoriam, seque obligatum sentit.

recreare: proprie et apte ad pristinam libertatem.

4. *numine*: in hoc connexu positum ex propria vocis ignificatione valet *nutu* i. e. potentia.

Αὐτοματίας: *Fortis Fortunae.* De diuina potentia alii propter ſuperiora intelligunt. Neque tamen illud repugnat. Plutarchus de ſui laude p. 146. (Opp. Vol. 8. Lipſ.) βωμὸν Αὐτοματίας ἐπὶ ταῖς πυλαῖσι conſtituiſſe, domum ἀγαθῇ δαίμονι conſecraſſe tradit. Idem in polit. praec. p. 251. Vol. 9. tantum αὐτοματίας habet ἱερὸν

Cap. V. 1. *hominis*: Latino vſu et ſenſu.

eius diem: ſic plerique codd. et ex editoribus Boeclerus et Boſius in ed. 1. Al. *eiusdem natalem*, quod ex prioris contractione ortum eſt. Praetuli nunc, quia idem apud bonos auctores pro ſimplici *is*, quod hic deſideratur, poni non ſolet. Moleſta eſt vtique illa repetitio; at tum etiam *natalem* abſit. Neque tamen eiusmodi repetitiones a bonis auctoribus, Cicerone etiam, ſemper euitantur. Sic eadem vox *dies* paſſim recurrit. Caeſar de B. Gall. 1, 16. *diem inſtare, quo die* — Sic ſupra in Pelopida c. 2, 2. vnus codex habet: *diem delegerunt — eum, quo die* — quod non reiiciendum cenſent viri quidam docti. Neque tamen talia ſine codicibus obtrudam, qui hic ita praeeunt. Ceterum ex Plutarcho c. 27. in. diſcitur, incidiſſe eius natalem circa ſolſtitium aeſtiuum.

2. *Lameſtius*: ita fere codd. noſtri, pro quo aliqui ex Plutarcho c. 37. repoſuerunt *Laphyſtius*. Rectius forte, quia nomina propria in Latinis auctoribus maiorem experta ſunt corruptionem.

vadimonium: cogere, vt vadimonium obiret, ipſe ſe, vel ſuo nomine alius ad praeſtitutam diem in iudicio ſiſteret; omnino *in einen Prozeſs verwickeln*; litem alicui intendere. Plutarchus c. l. Λαφυστίου αὐτὸν πρός τινα δίκην κατεγγυῶντος.

lege agere: legitime. Ipſe mox explicat: *legibus experiri.*

3. *damnatum*: codd. quidam et edd. veteres omnes *compotem*, quae eſt manifeſta explicatio illius verbi, quod, etſi in hoc nexu a poetis maxime adhibetur, non tamen reſpuunt etiam proſaici, in quibus Liuius. Senſus eſt ellipticus, voti cauſa damnatum, i. e. reum eſſe, teneri praeſtare id, quod quis vouit, voto promiſit. At quum id ante fieri recte non poſſit, quam inpetratum fuerit id, cuius cauſa votum ſuſcepimus, ſignificat omnino, voti compotem factum eſſe, quod vulgari ſermone dici ſolet.

hoc: ita pro *haec* cum Heuſingero receperam, ſequentibus etiam aliis, quia hoc vnum non plura a Dijs erat

precatus. Ceterum de hoc ab Ampelio cap. 32. extr. ita loquens inducitur: *Tota vita mea id egi, vt omnes liberi essemus.*

restitueret: ita ex codd. et edd. vett. cum Heusingero et Stauereno in ed. 2. dederam. quod et recepit Harlesius. Sensus est: vt ipse retinere posset. Sic supra c. 3, 4. *obtineret*. Al. et hodie *restituerent*, vt ad Deos proxime referatur, quod modestius censent magisque pium. At nec ab illo Deorum auxilium excluditur, nec modestia et pietas euanescit. Tum facilius librarii ad pluralem converti poterant, vel, si adcepissent, constantius tradere.

4. *publice*: publico adparatu et sumtu, de quo ad Dion. c. 10, 3. Quod autem Plutarchus refert c. 9. f. corpus eius in foro sepelierunt eumque locum monimenti causa gymnasium esse voluerunt, exercendae iuuentuti dicatum, nomine Τιμολεόντειον.

tota: praeter Syracusanos frequentissimos (id innuit *celebrante*) vicini non solum, sed et peregrini confluxerant. Plutarch. c. l. qui et decretum ad celebrandam viri memoriam perpetuam factum et recitatum esse addit.

DE REGIBVS.

CAP. I. 1. *Hi*: veteres haec Timoleontis vitae, nullo interposito spatio, deinceps adpendunt.

fere: modeste opinantis vox, et, vel errorem, vel praetermissionem admittentis, vel etiam exceptionem, qualis hic intelligi potest, quod et peregrinos, veluti Dionem, Datamem, Timoleontem, in Graecis produxit.

Graeciae; sic plerique codd. cum edd. veteribus, quod non temere effusum videtur. Sic Graeci Ἑλλάς γῆ pro Ἑλληνική, et alia similia, quae imitati sunt Latini. Possit tamen *Graeciae* genitiuus esse in regimine positus, de quo vid. Alcib. c. 7, 4. Con. c. 5, 2. vel legi *Grǽece*, quod tuentur alii, alii etiam posuerunt.

videbantur: nempe Nepoti scribenti. Al. *videantur* sc. lectoribus.

adtingere: cf. in Pelopidae in.

separatim: vel ab auctore, vt quidam putant, vel ab aliis, vt plerique, maxime recentiores. Nec temere, quia alias addidisset *a me*, vel alio modo disertius indicasset, vt in Dione c. 3, 2. et in Catone c. 3, 6.

2. *Ageſilaus*: vt excuſet vitae eius commemorationem ſupra Graecis ducibus interpoſitam.

nomine: cf. in Ageſil. c. 1, 2.

imperio: obponit *nomini*, vt ſenſus ſit: qui non nomine ſolum, ſed et poteſtate reges fuerunt. *Souverains.* Sic *imperium nomini* obponitur in Ageſil. c. 1, 2. pro quo antea hic *poteſtas*. Dominatus autem apud Romanos regiam poteſtatem omninoque liberum imperandi arbitrium includit.

Cyrus: maior, Cambyſis filius, Aſtyagis nepos, ex Xenophontis Cyropaedia notiſſimus.

priuatus: Cambyſem patrem facit Iuſtin. 1, 4, 4. mediocrem virum et ex gente obſcura, cui tamen Aſtyages Mandanen filiam conlocauit. Alii tamen Cambyſis genus ex Achaemenide ducunt, forte qua matrem, et Xerxe id praedicante. De Dario magis id notum eſt, qui, quum eſſet inter 7. illos Perſarum principes viros, qui contra Magos, rerum potitos, coniurarant, equiſonis dolo regnum adeptus eſt. Cf. Iuſtin. 1, 10.

in proelio: cf. Iuſtin. 1, 8. Ita vero plerique, ſi ſummam ſpectes, de eius exitu. Solus Diodorus 2, 44. captum et cruci adfixum fuiſſe tradit. Xenoph. in Cyrop. 8, 7. placidam illi mortem tribuit. *Maſſagetae* autem Scythica gens in Aſia.

generis: gentis, vti fit paſſim. Sic infra cap. 2, 1.

3. *Macrochir*: ſequior aetas *Longimanum* dixit. Ita vero dictum fuiſſe, Strabo lib. 1. ſub f. adfirmat, quod genua iis contingere potuerit. Plutarchus in apophthegm. p. 662. (Vol. 6. Opp.) quod alteram manum habuerit longiorem. Quae ridet Kappius et, quum alias pulcerrimus praedicetur, de ampliſſima eius potentia explicat. Alii ab *Ardſchir*, Perſica voce, ducunt, vt ſit fortiſſimus, ceu leo, et potentiſſimus, ſic vt ex vno nomine duo finxerint Graeci, Artaxerxes et Macrochir.

Mnemon: Memor. Eius vitam deſcripſit Plutarchus, cui tamen dicitur *Artoxerxes*, vti in Herodoto edidit Weſſelingius. Perinde eſt. Alia enim nomina Perſica ab *Arto*, alia ab *Arta* incipiunt.

Xerxi: genitiuum putant ob loca ſimilia in Ariſtide c. 2, 2. Thraſyb. c. 3, 2. Timoth. c. 1, 2. — At quis vsquam Ξερξεύς vel Ξέρξος dixit, vnde genitiuus ille duci poſſit? Gr. eſt conſtanter Ξέρξης. Malim igitur *Xerxis*,

vel, si *Xerxi* retineatur, eum datiuum credere, qui pendet ab *est*. Talia enim librariis potius largior, quam Nepoti obtrudo.

4. *Perses*: ita omnes fere codd. quum edd. veteres legant *Persarum*, vulgari forma. Illud tamen plerique hodie praeferunt. Nec male. *Perses* enim, etsi rarius, pro *Persicus* reperitur, vt *Perses hostis* Cic. Tusc. Qu. 1, 42. f. Tum eadem inde exstitit forma, quae in his cernitur, *rex, vir Macedo, nemo Thebanus*, (in Epamin. c. 5, 1.) *nemo homo*.

manu: sic Pausan. 1, 2. et alibi.

matris: Paryfatis, mater, Statiram vxorem veneno necauit. Plutarch. in Artax. c. 19. m.

pietas: erga matrem, quam, quum morte punire posset, Babylonem tantum relegauit. *Tantum* igitur valet *hactenus*. Ita vero obscurius iustitiam eius inlustrauit Nepos.

5. *duo*: respicit id, quod supra §. 3. dixerat: *Tres sunt praeterea*. Igitur duo sunt Artaxerxes, et paullo post, *tertius* Xerxes est.

debitum: haec et similia passim leguntur in auctoribus ad faciendam mortis periphrasin, colore e re pecuniaria ducto. *Natura* enim, vt ait Cicero Tusc. Qu. 1, 39. *dedit vsuram vitae, tamquam pecuniae*.

interemtus: sic, vt auribus consuleret, suauiori sono ex codd. recepit Bosius, quum antea in edd. omnibus exstaret *interfectus*, etsi talia non semper diligenter curauit Nepos. Cf. ad Phocion. c. 3, 2. Sed vbi adsunt codd., teneri debent.

Cap. II. 1. *genere*: codices plerique *gente*, quam vel explicationem alterius vocis putant, vel ex scribendi compendio ortam. Vtraque sensu quidem pari, haec tamen vsu minus trito. Ita vero c. 1, 3. quem locum forte respicit.

morbo: quem ex vini immodico vsu contraxerat; non veneno, quo celeriter putrescunt corpora, vt deportari alio, quod in hoc factum est, nequeant.

consumtus: *τὸ est*, quod vulgo subiicitur, nunc ad vitandam repetitionis molestiam, addicentibus pluribus codd., praeeunte Heusingero, nuper etiam quibusdam sequentibus, omisi.

Aegis: Aegae, oppidum Macedoniae. De nece ex pluribus cf. Iustin. 9, 6.

2. *Vnus*: hic et post intellige ex initio capitis; agit enim recensum potiorum regum.

2. *Ageſilaus*: vt excuſet vitae eius commemorationem ſupra Graecis ducibus interpoſitam.

nomine: cf. in Ageſil. c. 1, 2.

imperio: obponit *nomini*, vt ſenſus ſit: qui non nomine ſolum, ſed et poteſtate reges fuerunt. *Souverains.* Sic *imperium nomini* obponitur in Ageſil. c. 1, 2. pro quo antea hic *poteſtas*. Dominatus autem apud Romanos regiam poteſtatem omninoque liberum imperandi arbitrium includit.

Cyrus: maior, Cambyſis filius, Aſtyagis nepos, ex Xenophontis Cyropaedia notiſſimus.

priuatus: Cambyſem patrem facit Iuſtin. 1, 4, 4. mediocrem virum et ex gente obſcura, cui tamen Aſtyages Mandanen filiam conlocauit. Alii tamen Cambyſis genus ex Achaemenide ducunt, forte qua matrem, et Xerxe id praedicante. De Dario magis id notum eſt, qui, quum eſſet inter 7. illos Perſarum principes viros, qui contra Magos, rerum potitos, coniurarant, equiſonis dolo regnum adeptus eſt. Cf. Iuſtin. 1, 10.

in proelio: cf. Iuſtin. 1, 8. Ita vero plerique, ſi ſummam ſpectes, de eius exitu. Solus Diodorus 2, 44. captum et cruci adfixum fuiſſe tradit. Xenoph. in Cyrop. 8, 7. placidam illi mortem tribuit. *Maſſagetae* autem Scythica gens in Aſia.

generis: gentis, vti fit paſſim. Sic infra cap. 2, 1.

3. *Macrochir*: ſequior aetas *Longimanum* dixit. Ita vero dictum fuiſſe, Strabo lib. 15. ſub f. adfirmat, quod genua iis contingere potuerit. Plutarchus in apophthegm. p. 662. (Vol. 6. Opp.) quod alteram manum habuerit longiorem. Quae ridet Kappius et, quum alias pulcerrimus praedicetur, de ampliſſima eius potentia explicat. Alii ab *Ardſchir*, Perſica voce, ducunt, vt ſit fortiſſimus, ceu leo, et potentiſſimus, ſic vt ex vno nomine duo finxerint Graeci, Artaxerxes et Macrochir.

Mnemon: Memor. Eius vitam deſcripſit Plutarchus, cui tamen dicitur *Artoxerxes*, vti in Herodoto edidit Weſſelingius. Perinde eſt. Alia enim nomina Perſica ab *Arto*, alia ab *Arta* incipiunt.

Xerxi: genitiuum putant ob loca ſimilia in Ariſtide c. 2, 2. Thraſyb. c. 3, 2. Timoth. c. 1, 2. — At quis vsquam Ξερξεύς vel Ξέρξος dixit, vnde genitiuus ille duci poſſit? Gr. eſt conſtanter Ξέρξης. Malim igitur *Xerxis*,

vel, si *Xerxi* retineatur, eum datiuum credere, qui pendet ab *est*. Talia enim librariis potius largior, quam Nepoti obtrudo.

4. *Persei*: ita omnes fere codd. quum edd. veteres legant *Persarum*, vulgari forma. Illud tamen plerique hodie praeferunt. Nec male. *Persei* enim, etsi rarius, pro *Persicus* reperitur, vt *Persei hostis* Cic. Tusc. Qu. 1, 42. f. Tum eadem inde exstitit forma, quae in his cernitur, *rex, vir Macedo, nemo Thebanus*, (in Epamin. c. 5, 1.) *nemo homo*.

manu: sic Pausan. 1, 2. et alibi.

matris: Parysatis, mater, Statiram vxorem veneno necauit. Plutarch. in Artax. c. 19. m.

pietas: erga matrem, quam, quum morte punire posset, Babylonem tantum relegauit. *Tantum* igitur valet *hactenus*. Ita vero obscurius iustitiam eius inlustrauit Nepos.

5. *duo*: respicit id, quod supra §. 3. dixerat: *Tres sunt praeterea*. Igitur duo sunt Artaxerxes, et paullo post *tertius* Xerxes est.

debitum: haec et similia passim leguntur in auctoribus ad faciendam mortis periphrasin, colore e re pecuniaria ducto. *Natura* enim, vt ait Cicero Tusc. Qu. 1, 39. *dedit vsuram vitae, tanquam pecuniae*.

interemtus: sic, vt auribus consuleret, suauiori sono ex codd. recepit Bosius, quum antea in edd. omnibus exstaret *interfectus*, etsi talia non semper diligenter curauit Nepos. Cf. ad Phocion. c. 3, 2. Sed vbi adsunt codd., teneri debent.

CAP. II. 1. *genere*: codices plerique *gente*, quam vel explicationem alterius vocis putant, vel ex scribendi compendio ortam. Vtraque sensu quidem pari, haec tamen vsu minus trito. Ita vero c. 1, 3. quem locum forte respicit.

morbo: quem ex vini immodico vsu contraxerat; non veneno, quo celeriter putrescunt corpora, vt deportari alio, quod in hoc factum est, nequeant.

consumtus: τὸ *est*, quod vulgo subiicitur, nunc ad vitandam repetitionis molestiam, addicentibus pluribus codd., praeeunte Heusingero, nuper etiam quibusdam sequentibus, omisi.

Aegis: Aegae, oppidum Macedoniae. De nece ex pluribus cf. Iustin. 9, 6.

2. *Vnus*: hic et post intellige ex initio capitis; agit enim recensum potiorum regum.

bellauit: primus ex Graecis; primus etiam elephantos in Italiam adduxit.

lapide: discrepant auctores, quum alii *tegulam* commemorent. Vtrumque ita conciliat Heusingerus, vt *lapideam tegulam* interpretetur.

Dionysius: v. supra in Dione cap. 1. et 2.

luxuriosus: sunt tamen, qui de hoc et aliis dissentiant.

id: *imperium — eam rem — id*. Redit igitur ad *imperium*.

eius: imperii, non vitae, quia sic dicendum erat *suae*. Referendum igitur ad remotius, vt antea *id*.

3. *annis — natu*: ita nunc reposui cum paucis quibusdam editoribus, quum vulgo legatur *maiorque annos sexaginta natus*, quod stare per leges Latinae structurae vsumque nequit. *Natus annos* dici, non eget demonstratione, nempe *ante annos*. Sed de forma *maior natu* dubitare licet, quia *maior* non ita adiectiuo vel participio iungi possit, vt comparatiuum efficiat, quare etiam pro *maior* in simili nexu apud Ciceron. pro Roscio Amer. cap. 14. repositum est *magis*, sic vt legeretur: *annos natus magis quadraginta*; nempe *magis* eadem structura, qua *amplius*, *plus*, *minus*, *longius* reperiuntur. Tum vero *magis*, ne quis ipso sensu et re inepta captet, cum *annos* coniungi debet. At quum in illo loco tantum non omnes libri exhibeant *maior*, tum idem in Verrin. 2, 49. dixit: *minor triginta annis natu*, et in Acad. Qu. 2, 19. *aliquot annis minor natu*, noster infra in Hannib. c. 3, 2. *minor quinque et viginti annis natus*, vbi *natu* forte verius substituatur, vti etiam censent viri docti ad Livium 45, 32, 3. Cf. de hac forma, si cui copia detur, Garatonius ad Cicer. Verrin. c. l. Ita quidem nunc edere ausus sum. Compono autem sic: maior annis 60. et quidem natu. Secundum Ciceronem Tusc. Qu. 5, 20. tunc natus erat annos 63, quum annos natus 25 ad imperium adcessisset et 38 annos tenuisset.

decessit: gaudio, vel, vt alii volunt, vino inmodice hausto. Insidiis tribuit Iustin. lib. 20. f.

tribus: quum duas tantum aliqui commemorent, fidem Nepoti adstruxerunt ex aliis Bosius et Staverenus.

CAP. III. 1. *magni*: sic plerique codd. vnus cum edd. ante Bosianam 2. *multi*. Illud tantum non omnes hodie probant, quod et propius ad rem facit, quia non multos describere, sed ex multis magnos eximere constituisset.

Sequens *Magni* cum quibusdam MSS. melius in hac vicinia abſit, et facile ſubintelligatur; quare etiam vncis inclusit Heuſingerus. Forte, ſi valeat traiectio, legi hic poſſit, *multi magnique reges*, quo vtrisque libris ſatisfiat.

Demetrius: cognomine *Poliorcetes*, vti poſt Seleucus *Nicator* in numis, vel, vt vulgo, *Nicanor; Ptolemaeus*, Lagi filius, cognomine *Soter*, diuerſus a Seleuco Cerauno. Is eſt, qui §. 4. viuus filio regnum tradidit. Ceterum in eorum recenſu temporum ſeriem neglexit.

2. *obciſus eſt*: notanda hic variatio modi declarandae.

3. *captus*: ipſe quidem ſe dedidit, neceſſitate coactus. Plutarchus in vita c. 40. Iuſtin. 16, 2, 6. Ante *morbo* codd. aliqui ponunt *a*, quod ſic paſſim etiam in aliis notatur.

4. *Alexandrea*: edd. antiquae *Alexandria;* vtrumque recte, quia Latini Graecorum *a* vtroque modo reddunt. Lapides tamen et numi *Alexandrea* praeferre ſolent.

alienarum: aliarum, vti paſſim obponuntur *meus, tuus, ſuus*. Idem in Hannib. 1, 3. de exſule, vt hic.

ab illo: aut ignotum hodie ſcriptorem ſecutus eſt Nepos, aut errauit, quod ſolet, in Ptolemaeis. Hunc enim a Gallis captum et amputato antea capite obciſum eſſe, tradit Iuſtin. 24, 5, 6. Sed Ptolemaeus Lagi filio, cognomine Philadelpho, regnum tradidit, (Iuſtin. 16, 2, 7.) et Ptolemaeus Euergetes a filio, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator datum, obciſus eſt. (Iuſtin. 29, 1, 5.) Quod ſi eſt, miſcet diuerſa Nepos.

5. *ſatis*: ſcilicet pro inſtituti ratione.

HAMILCAR.

Cap. I. 1. *Hamilcar*: adſpirationem in hac voce et Punicis ſimilibus praeferunt viri docti ex inſcriptionibus et bonis codicibus.

Hannibalis: eum putant, quem Valer. Max. 7, 3. ext. 7. *ſuperiorem* vocat, Oroſius 4, 7. *ſeniorem*.

Barcas: hinc *Barcina factio, familia* et *Barcini* paſſim in Livio. Hinc Hannibal Barcae filius vocatur a Plutarcho de virtutibus mulier. p. 20. Vol. 7. Opp.

Karthaginienſis: ita codd. quidam, vti fere ſolet in numis, alii per *c*. Vtrumque reddiderunt editiones.

Poenico: pro *Punico*, quod et alii habent. Prius antiquo more, quem non temere reddidiſſe videntur codices. *Oe* etiam in aliis verbis cognatis transiit poſt in *u*.

Sic *poena*, *punio*. Ipſum autem bellum duratuit 23 annos, de quo praeter Polybium lib. 1. et Silium Italicum lib. 6. conſuli poteſt Florus lib. 2, 2.

admodum: aetati, numero — additum intendit. Sic *puer*, *iuuenis*, *pauci*.

praeeſſe: ſubceſſit Carthaloni. Polybius 1, 54-56.

2. *et mari*: ſic in Themiſt. c. 2, 4. Alias vſitate *terra marique*, qua tamen lege ſolutus poeta Horatius in carmine ſaeculari v. 53. dixit etiam *mari terraque*.

locum: occaſionem, vti deinceps, apta metaphora a gladiatoribus ducta, qui, ne nudati corporis pars vel locus obiiciatur, cauent.

Erycem: oppidum in medio monte ſitum, cuius faſtigium et radices Romani, praeſidio inpoſito, tenebant Polyb. 1, 58. in.

3. *Aegates*: Polyb. 1, 60. habet Αἴγουσαν νῆσον, contra Lilybaeum, Siciliae promontorium, etſi 1, 44. eodem ſitu pluralem adhibet. Latini conſtantiori, certiori ſaltem vſu dicunt *Aegates*, tresque omnino putantur, *Phorbantia*, *Aeguſa* (vnde Polybius intelligitur), et *Hiera*; h. *Levenzo*, *Fauagnana* et *Maretimi*.

ſuperati: Karthaginienſium claſſi praefuit Hanno.

permiſerunt: Polyb. 1, 62. in. ἐπέτρεψαν τῷ Βάρκᾳ περὶ τῶν ὅλων.

ſeruiendum: eleganter: nempe totum ſe rei addicere. Ita *exhauſtam* bene adiuuat luculentam grauis cauſae notationem.

4. *donicum*: antique, vt in Plauto, Lucretio, — pro *donec*, quod et habent duo codices et edd. antiquae, ex gloſſa, puto, quae illud explicauerat.

aut: varie adfectus eſt hic locus in libris; varie etiam a viris doctis tentatus. Libri *aut vt certe*, *aut virtute*. Illud *vt* ex *aut* male eſt repetitum; *virtute* languet. Nec magis ad ſententiam valet *certe*, etſi pro *certo* capias, et de certa victoria explices. Alii diducta hac vocula, vel quibusdam inſertis, locum augent. In *certe* vitii labes haeſiſſe videtur, quae verum ſubiectum obpreſſerit, ſine codicum tamen manibus elui nequit.

manus: ante Boſian. 2. *manum*. Sed *manus*, quod praeſcribunt codices, vſitatius in hac locutione, quae, a gladiatoribus ducta, victi ſignum infert.

5. *pacem*: cuius conditionem exhibet Polybius 1, 62.

in qua: sc. concilianda, aut cum Bosio omnino *in quo*, vti noster in subiecta adiunctae rei notione solet.

tenuerunt: al. *tenuerant*. Tum vero verba *cum suis* temere adiecta sunt, quod, qui tenuerant, aut, facta deditione, armis iam nudati in Romanorum erant arbitrio, aut, si sponte excesserant, a toto exercitu, coniuncti iterum, secerni nequeunt. At potius etiam nunc tenuisse videntur: vnde desideretur *tenerent*. Durius quidem haec ex ipsius Nepotis mente dicta videntur, vbi stare possit lectio vulgata.

relictis: ex Romanorum more in pacisscenda pace.

dixerit: quia in vniuersum valet et a *tanta* pendet de quo aliquoties monitum est, etsi in iis, quae interpo nuntur, *negaret* ponitur.

flagitio: auget et summum dedecus, infamiam inuoluit.

rediret: varie quaesitum, vnde penderet, et explicatum, aut tentatum sic, vt mallent *redire*, vel *rediturum esse*, vel subplerent *vt*. Orationis vis vtique pendet a *dixerit*, sic vt duo haec membra vel partes, inuicem comparatae, illi respondeant. Neutra tamen ipsius verbi, vel temporis mutatio placet, et infinitiuum excludunt omnes libri. Quare quum etiam sensu *redirent* melius nexui conueniat, ab ipso auctore modi mutationem inuectum esse puto. Tum vero vsitato more, neglecta verbi *dixerit* notione, locutus est, vti potius, quam cum coniunctiuo, et alibi ponitur, et a nostro in Eumene c. 11, 4. Attic. c. 11, 3. Simile huic exemplum obiicitur in Iul. Caes. de B. G. 7, 17. hoc: *praestare, omnes perferre acerbitates, quam non ciuibus Romanis parentarent;* vbi etiam quidam coniecerant *parentare*. Ceterum in ipsa elocutione inest macrologia, quando validissime aliquid negatur, facta vel aliorum omnium, vel eius, quod grauissimum censetur, obpositione.

Cap. II. 1. *habentem:* Graeca ratione, pro *habere*, vti Cicero ad diuers. 5, 13. in. Ita post *videre*, *audire* et adfinia.

Namque: vsitatius sequente vocali.

exarsit: metaphora, quae et apud nos vsu inualuit. Melius tamen *exarserat*, vt praecedentia spectaret, quae post aduentum cognouit.

pari: sc. *in*, quod vnus codex, ex glossa sine dubio, addit, cum edd. quibusdam, quibus male, vt ex nota discitur, mea etiam, me quidem inuito, antea adcesse-

rat. At eadem alia etiam male ſic reddidit. Ita vero noſter ſolet, et in eodem connexu in Datame c. 5, 3. et Hannib. c. 9, 2.

deleta: a Scipione Africano iuniore. Melius autem hoc, quam quod plerique adeo MSS. habent *deſerta*.

2. *mercenarii*: quos magno numero adhibuiſſe, adfirmant auctores. Fuerunt in iis Hiſpani, Galli, Ligures, Baliares, hybridae Graeci, Afri alii, ſerui item. Cauſa autem belli mota ex ſtipendio negato. De ipſo bello v. Polyb. 1, 66 ſq. qui *Libycum* dictum eſſe tradit c. 70. *Africum* vocat Livius 21, 1.

Africam: propriam, quippe quam tenebant Poeni. Poſt Sardinia etiam deſciuit.

obpugnarunt: Polyb. 1, 67. f. dicit, 120 ſtadia ab vrbe abfuiſſe.

3. *auxilia*: haec nec vera forſitan eſſe, nec ab auctore profecta, quidam contendunt, etſi omnes libri tuentur. At quum ſint multa in vno tantum auctore repoſita, tum Polyb. 1, 81. et Zonaras 8, 12. diſerte Karthaginienſes varie a Romanis adiutos fuiſſe, adfirmant. Adcedit Appianus Punicor. c. 5. qui ad obprimendum hoc mercenariorum bellum non ſolum permiſiſſe Romanos ſcribit, vt mercede militem in Italia conducerent, ſed et legatos de pace componenda miſiſſe. Quod enim Boſius inde eorum teſtimonia infringere tentat, quod poſt demum facta fuerint, quam Hamilcar imperator creatus eſſet, quum temporis ſeriem tantum ſpectent, certe ipſam rem non tollunt. Ita paullo poſt tempus turbaſſe notatur. Nec opus eſt inſerere *non*, et *eaque* explicare *ſed ea*, vt haec verba Nepoti vindicentur.

Hamilcarem: remoto Hannone ob rem inperite geſtam. Polybius 1, 75. in. Hanno quidem poſtea ab ipſo Hamilcare adſumtus, ſed a Karthaginienſibus ob discordiam, inter duces ortam, abire iuſſus eſt; ex quo in eius locum ſubceſſit Hannibal. Polyb. 1, 82.

4. *centum*: ſc. quam, quod ſic ſaepe deeſt. Ceterum Polyb. 1, 84. habet 50 milia, poſtquam multi vel interfecti erant, vel capti. Idem 1, 76. et 82.

fame: tanta, vt ipſi ſe mutuo deuorarent. Polyb. 1, 84.

abalienata: quidam codd. cum priſcis edd. *alienata*. Illud habent plerique. Si rem ſenſumque ſpectes, perinde valet. Igitur codices plerique audiendi.

Vticam: de ſaeuitia ciuium in Karthaginienſes Polyb. 1. 82. in.

5. *tota*: ſc. in, quod noſter ſic paſſim omittit. Cf. praef. 5. et hic §. 1. *Otium* bello obponitur, Ipſum autem bellum durauit 3 annos et 5 fere menſes. Polyb. 1, 88. m. Contra Liuius 22, 1. in, quinque habet annos.

CAP. III. 1. *quo facilius*: periodicam orationis formam efficit.

mitteretur: conſentit Polyb. 2, 1. Alios nunc non moror.

nouem: cf. in Hannib. c. 2, 3.

2. *formoſus*: ſubiungitur ſine copula, quam quidam olim interpoſuerunt, nunc Wetzelius.

diligi: nihil de eo Polybius; at Liuius 21, 3, 2. ſic: *Florem aetatis Hasdrubal, quem ipſe patri Hannibalis fruendum praebuit.* Ipſa formula, *quam par erat*, facit ad augendam facinoris turpitudinem.

praefecto morum: alii de publico magiſtratu intelligunt, quales Romanis fuerunt *cenſores*, qui inde magiſtri morum vocantur a Cicerone ad diuerſ. 3, 13. f. Alii referunt ad comitem rectoremque morum Hannibalis, quod, quum ad Hiſpaniae expeditionem res pertineat, non alienum a veterum diſciplina videtur. Sic magiſtri et tutores dicuntur a Liuio 24, 25, 2.

dedit: ante profectionem in Hiſpaniam id factum eſſe, adparet ex Appiano de rebus Hiſpan. c. 4. nec renuunt alii. De cauſa ſic Liuius 21, 2, 4. *flore aetatis primo Hamilcari conciliatus; gener inde ob altam indolem prouecto annis adſcitus.*

gener: quia in quibusdam MSS. legitur *a genero*, Heuſingerus voluerat: *ſocero a genero*, vt *interdicere alicui aqua et igni*, addita praepoſitione *a*, obſcuritatis euitandae cauſa; quod quidem arbitrio fecit. Quum duplex obcurrat huius verbi ſtructura, *interdicitur alicui aliqua re*, vel *aliqua res*, vt multi viri docti docuerunt, aut legendum eſt *ſocero genero*, quod grauiter aures ferit, aut, quod plures volunt codices, et vulgo receptum eſt, *ſocero gener*. Tum vero *ſocero* eſt datiuus, etſi aliqui ablatiuum putent. Quum tamen Hasdrubal vetitus eſſet, cum Hamilcare viuere, ex vno codice aptius forte legatur *ſocer genero*.

3. *ille*: Hasdrubal.

resque: de quibus prolixius exponit Polybius, ſtrictius in excerptis Diodorus 25, 2. Exercitui praefuit per octo

annos, (Polyb. 2, 36.) vel nouem, (Diodorus c. l.) et tandem interfectus est.

princeps: primus, vt saepe. *Peruertit* est conrupit. In ipsa re consentiunt alii.

exercitu: cf. in Hannib. c. 3, 1.

CAP. IV. 1. *At*: haec particula reditum ad priora parat, quo vsu saepe praecedentibus et proxime sequentibus obponitur.

mare: fretum Gaditanum. Polybius 6, 1.

Hispaniamque: vt passim in simili nexu proximo vocabulo adpenditur. Sic in Datame c. 7, 1. *ad regemque;* in Cimone c. 1, 1. *ob eamque causam.* Perpetuum hoc est, in editis certe libris, vbi praecedit *ad*, cuius causa in promtu est.

magnas: de quibus cf. Polyb. 2. in.

gentes: Hispanos.

pecunia: obserua ἀσύνδετον, etsi copula hic etiam addi poterat.

7. *in Italiam*: non *Italiae*, etsi poterat dicere, vti in Hannib. c. 2, 1. et Cicero ad Atticum 9, 1. in. Dicitur hoc de belli initio, illud de eius translatione in aliam regionem, vt sensus exsistat: Italiam belli sedem facere relicta Hispania. Livius in epit. 111. translato in Thessaliam bello. Cf. in Agesilao c. 5; 1.

pugnans: adiicitur sic passim, vt similia, ad notandam obciforum fortitudinem.

Vettones: populi Hispaniae citerioris inter Anam et Tagum.

3. *odium*: efficacius causam in prima quasi acie sistit, quum posset: *odio — conciliatum videtur.* In re consentit Polybius 3, 10. f.

obtestationibus: cf. in Hannib. cap. 2, 3.

experiri: tentare vsu, sensu, vt saepe de hominibus, rebus etiam.

HANNIBAL.

CAP. I. 1. *Hannibal*: de eo consulendi in primis Polybius, Appianus, Livius.

quod: alias vsitate *de quo*. Subple tamen sic: quod verum esse nemo dubitat, ex more, quo noster infinitivum huic verbo adiicit, vti ad praefationem est dictum, nisi ad adcusatiuum Graecum malis confugere.

vt: loco adcuſatiui cum infinitiuo ponitur, cuiusmodi exempla, etſi rarius obcurrunt, notanda potius, quam imitanda ſunt. Sic *veriſimile* apud Cicer. pro Sexto Roſcio c. 41.

virtute: bellica, hinc fortitudine.

tanto: hanc vocem aliqui, quia in MSS. quibusdam abeſt, vncis cohibent. At melius, puto, alii cum priſcis edd. addunt. Ceterum Hannibal apud Liuium 35, 14, 6 ſq. in maximis imperatoribus Alexandro M. primum, Pyrrho ſecundum, tertium ſibi locum tribuit, primum, ſi Scipionem viciſſet, omninoque ſummum.

antecedat: ita nunc ex MSS. repoſui, poſtulante etiam nexu et ſenſu, qui omnino ad omnes omnium temporum, etiam ſuae aetatis, Romanos, vti in Eumene 3, 4. ſpectat. Male enim antea inrepſerat *antecedebat*, quod quidem aliquas edd. etiam nunc obcupat.

2. *ſemper*: non ſimpliciter et vere; ſed fere ſemper. Victus enim eſt ad Nolam a Marcello. Liv. 23, 16. f. Tum *ſemper* vicem tenet particulae *toties*, et ſic praecedenti *quoties* ſenſu, non vſu, reſpondet.

diſceſſit: verbum ſolemne, quod euentum proeliorum reſpicit, et proprie apteque ad victores victosque refertur, vti ad ipſam pugnam *congredi*.

Quod: non otioſum eſt, ſed, vt *quod ſi*, nectendae orationi inſeruit, cuius exceptionem, moderationem — adfert.

domi: latius de patria dicitur, et ſic Iuſtin. 18, 4, 6. *domeſticae* aemulationi atque inuidiae tribuit. Livius 30, 20, 3. ſic: *Vicit Hannibalem non populus R. toties caeſus fugatusque, ſed ſenatus Karthaginienſis, obtrectatione atque inuidia.* Obtrectauit autem maxime Hanno, princeps factionis Barcinis infeſtae.

videretur: ita codices; edd. priſcae et nunc Wetzelius *videtur*, quod incertum non conueniat huic orationi. Equidem illud praecedentibus aptius cenſeo, et quod, notante Rickleſſio, Romanorum ſuperbiae magis conueniat.

obtrectatio: Livius cum inuidia coniungit, Iuſtinus aemulationem vocat. V. antea, et de ipſa vocis vi ad Ariſtid. in. *Inuidia obtrectationis* legitur in praefatione Iuſtini.

3. *hereditate*: eleganter de odio indelebili, vt inſitum, innatum. Tum egregie id auget, facta comparatione. Hinc melius legitur *confirmauit*. Hereditate enim adcepta conſeruari, ſed et augeri poſſunt. Tum *depoſuerit*

recte habet in hoc nexu, vti paſſim monui, neque ſollicitari debet et in *deponere* mutari. Sic *deſtiterit.*

pulſus: cf. c. 7, 6.

Cap. II. 1. *Philippum:* Philippum ſecundum, Demetrii filium, vnde bellum enatum Macedonicum, de quo cf. Florus c. 2, 7.

reddidit: ſic legati Romani in ſenatu Karthaginienſium, auctore Livio 43, 49. in. *Compertum Patribus R. eſſe* adfirmant, *Philippum regem ante ab Hannibale maxime adrenſum bellum populo R. feciſſe.* Igitur ita Romani crediderunt, aut calumniati ſunt odio Hannibalis et ira moti. Nam Iuſtinus 29, 2. a Demetrio Illyriorum rege inpulſum legatos ſocietatis inngendae cauſa ad Hannibalem miſiſſe ſcribit. Ipſius foederis leges dabunt Polyb. 7, 2. et Livius 23, 33, 4.

Antiochus: cognomine Magnus, rex Syriae. Ceterum diuiſe dat, quae poterat, forte melius debebat connectere, et, quod adiunctum eſt ſummae narrationi, ſummum facit et primarium. Non enim hic potentia Antiochi ſpectatur, ſed eius bellum cum Romanis, Hannibalis inpulſu motum. Tum vero haec forma prodeat: *Nam vt omittam Philippum, quem — Romanis, etiam Antiochum, qui omnium his — rex erat, tanta cupiditate incendit —*

a rubro mari: excitis coactisque adcolis.

2. *conſiliis:* ſecretis congreſſibus et conloquiis cum Hannibale, vt Antiochus ſuſpectam haberet eius fidem. Igitur ſic componenda ſunt verba: vt rex ſuſpicaretur, eum, vtpote a Romanis (ipſis) conruptum, alia atque antea ſentire. Quod enim Heuſingerus docuit, apud noſtrum ſaepe aliqua inter duo verba ambigue interponuntur, quae rectius cum poſteriori, quam cum priori copulentur, voluti in Miltiade c. 6, 3. Themiſt. c. 6, 2. Dione c. 10, 3. Timol. c. 3, 3. Non igitur, ne mire loqui Nepos videatur, quod Boſius putat, locus ita emendandus eſt: *tamquam conruptus — ſentiret.* Nempe *tamquam*, quod et abeſſe poterat, cohaeret cum *conruptum*, non cum *ſentire. Atque* ſequente vocali in hoc nexu ponitur, vti *ac* ſequente conſona. In ipſa re conſentiunt aliorum narrationes.

idque: Boſius, ſubfragante Heuſingero, quum in duobus MSS. legatur *niſi id cum H.*, emendat *niſi id tum Hann.* At renuunt libri alii omnes, et ἀπόδοσις (*tempore dato adiit* —) deſiderat Hannibalis nomen in praemiſſis, quamvis omnino nimis illa ſunt pluribus iisque diuerſis in-

plicata; vnde etiam ingrata illa *τοῦ que* repetitio. Atque ita Harlesius hanc periodum vel omnino non sanam, vel valde inplicitam existimat.

ad: addunt plerique codd. vt in Themist. c. 7, 4.

3. *Pater:* narrant idem multi. Variationis cognoscendae causa consuli et legi possunt Polyb. 2, 11. Livius 21, 1. f. et, vbi in eodem nexu, quo hic, ponitur, 35, 19. in. vti in Polybio. Ex poetis, qui copiosius haec auxit et exornare studuit, habebis Silium Ital. 1, 39 sqq.

proficiscens: profecturus; nempe quia in eo erat, vt proficisceretur, vti in simili nexu passim solent deponentia poni, vel etiam praeteritorum vices sustinere.

4. *diuina res:* vti ex nexu intelligitur, est sacrificium. Sic Terent. Eun. 3, 3, 7. et alii.

simul: statim, eodem tempore.

tenentem: nota iurandi ritum, quem et alii adtigerunt.

5. *aetatem:* quidam codd. et ante Bosium edd. *diem.* At illud melius respondet *puerulo* §. 3.

CAP. III. 1. *qua diximus:* omittunt haec verba edd. priscae, post aliquae vncis incluserunt. Possint quidem abesse, sed non necessario absunt, et a libris sustinentur.

Hasdrubale: cf. in Hamilc. c. 3, 3.

comprobatum: dissentiente quidem Hannone cum paucis, et ferme optimo quoque adsentiente sec. Livium 21, 4. in.

2. *natu:* sic pro *natus* cum Lambino et aliis quibusdam nunc reposui, vt supra de regib. c. 2, 3. vbi plura de hac structurae forma dixi. De ipso tempore dubitant quidam, et anno aetatis 26. imperatorem eum factum putant; nec temere. Nempe 9 annos natus iurauit, (c. 2, 3.) 9 annos sub Hamilcare in Hispania militauit, 8. sub Hasdrubale eius genero. Vid. ad Livium 21, 3. et 4.

omnes: sic et Iustinus 44, 5, 6. *vniuersam Hispaniam domuit.* Verius omnes Hispaniae gentes trans Iberum ad Pyrenaeos vsque. Vid. Polyb. 3, 35. in. Liuius 21, 23. in. Florus 2, 6, 38. Appianus de reb. Hisp. c. 13. in. omnes gentes Saguuto finitimas subegisse dicit.

ciuitatem: i. e. vrbem, vt in Alcib. c. 1, 2. et c. 11, 2. et sic passim alibi, nec aliter de Sagunto Livius 21, 7. in. Florus 2, 6, 3. etsi contra hunc vsum pugnat Heusingerus, et cadentis Latinitatis signum putat. Si quis promiscue de quauis vrbe dici velit, refrager et ipse. *Foederatam* Romanos spectat.

3. *Quacumque:* via, parte, vt alibi. De rebus i… consulendi Polybius 3, 33 sq. et, qui ex illo plera… hausit, Livius 21, 21. f. Inde vero discitur, multos m… vel donis motos transitum concessisse.

dimisit: victoris est, vt *discedere* pugnantium. Cf. c. 4.

4. *Alpes:* Poeninas dictas ea, qua transiit parte, tra… Plinius Hist. nat. 3, 21, f. 17. De loco disputatur. Q… dam putant, vbi hodie est vrbs *Pignerol*, Pinarol… in Pedemontio.

ab: ita sequente consona passim.

nemo: immo etiam Gallos, Rhodani adcolas, se… iterumque cum magnis adeo exercitibus transiisse, m… Polyb. 3, 48. in. Cf. Livius 5, 34, 6. qui tamen eam… de Hercule narrationem fabulis adnumerat, etsi plur… repetunt. *Graium* addit, quia plures feruntur Herc… veluti Aegyptius, Tyrius.

saltus: vel Graiae Alpes, vbi hodie est *mons Ber… hardi*, vt creditur, etsi alii aliter sentiunt.

Alipicos: vsitatius *Alpinos* vocant, vti et hic probabiliter coniecit Lambinus. Mutatio facilis. Polybio „ſoſi. sunt *Allobroges*, Liviō 21, 33. in. *montani.*

transitu: quod persona subprimitur, lectionem vett. edd. *transitum* probat Heusingerus. Codices tuentur *transitu*, in quo facile subpletur *ipsum.*

concidit: de magna strage, vt simplex et interficere.

patefecit: de modo Liv. 21, 32. et Polyb. 3, 50. Nempe aceto saxis, ex adcenso ligno ardentibus, infuso et hinc putrefactis. Liv. 31, 37, 2. etsi non temere dubitatur, cette disceptatur.

itinera: pro *viis*, vti passim per vtrinsque connexum.

effecitque: adpensam copulam, quia abest a MSS. inde a Bosio multi vncis incluserunt. Sic passim facit noster. Adnoscunt tamen vett. edd. Si singularis actio breviter, vti fit in superioribus, adiiceretur, abesset commodius.

ornatus: armatus, rebusque ad belli vsum aptis instructus. Quidam libri *oneratus*, quod, etsi rei difficultatem et euentum mirum augeat, ex glossa tamen ortum videtur. Tum etiam *inermis* obponitur.

repere: eleganter et efficaciter obponit τῷ *ire.*

Italiamque: sic, a praepositione auulsum, substantivo passim adhaeret, vti in Hamilc. c. 4, 1.

CAP. IV. 1. *Rhodanum:* vnus Nepos hoc narrat, et, quod rem certam declaret, infra c. 6, 1. repetit. Pugna-

quidem ibi eſt cum Gallis, Romanorum ſociis, ſed Romanis, nec praeſente Scipione. Vulgata tamen o dubio ſubcellu ſollicitatur. Certe ante Alpium situm pugnatum eſſe, plusquamperfectum innuit, et dani mentione probatur.

e Claſtidio: ſuſpecta cenſent haec verba, quorum prius e a Lambino additum eſt. Quod Curtinus ita vindi- nititur, vt dicat, iterum Hannibalem cum Scipione naſſe, vt Claſtidium obcuparet, quo magnum frumenti erum congeſſerant Romani, (Liv. 21, 48. f.) factum eſt poſt proelium ad Padum ſ. Ticinum, vti ex ſerie m intelligitur. Certe mouet iuſtam dubitationem. ue tamen adparet, vnde hoc nomen, minus cogni-, obtruſum ſit, niſi ipſum Nepotem auctorem adnoſcat. igitur cauſam illius proelii, quam alii vel ignorarunt, praeterierunt, ſic indicauit? Lubenter exciperem in- ioſam coniecturam Kappii legentis: *cum eodem Cor- io Scipione apud* — ſi ita nomen, librariis et notum, antea et poſt redditum, deformari potuiſſet. Tum ba *hoc eodem* ſatis Scipionem declarant, et aegre m nomen admittunt. Denique deinceps illud ipſum nen redit, aptius quidem, quia aliud nomen adiun- ur. Ceterum *Claſtidium* hodie *Chiaſteggio* putatur.

Padum: Ticinum, penult. producta, h. *Teſino*, qui Verbano lacu (*lago Maggiore*) decurrens contra Claſti- m in Padum influit, vnde ad vtrumque notari proe- m potuit.

dimiſit: Cf. ad c. 3, 3.

2. *Longo:* Sempronio, vti paſſim alii. Abſente vero pter vulnera Scipione, vel diſſentiente, ſolum pugnaſſe dunt Polybius 3, 70. et Livius 21, 53. Alii Scipionem ientibus Romanis ſupernenisse narrant.

apud: hic ante *apud Padum*, nec erat, cur Lambinus quidam alii inuitis libris reponerent *ad. Trebia* h. *Trevi.*

vtrosque: ſic et in Timol. c. 2, 2. et infra c. 11. in. duobus hominibus, nec opus erat emendatione Lam- ni legentis *vtrumque.*

Apenninum: de itineribus Hannibalis poſt proelium Trebiam commiſſum non eadem ſcribunt Livius 21, 58. 1. qui conatum modo nouit, item 22, 2. et Polybius 77 ſqq.

nunc: eo tempore, quo ſequentia contigerunt; vti lim. Al. *tum* vel *tunc*, quod non eſt neceſſe.

3. *Traſimenum:* penult. correpta. Locus eſt pr
Perugiam. De ipſa pugna Livius 22, 7. in. *nobilis pug*
atque inter paucas memorata populi R. clades.

obcidit: quum ad exercitum ſimul referatur, magn
vt alibi, indicat ſtragem, nili in voce *inſidiis* ſubſi
Nam Flaminius vere obciſus eſt. Livius 22, 7, 5.

praetorem: Livius 27, 8. in. *propraetorem* vocat, qu
cum Boſio Wetzelius ex vno codice excepit. Sed
conſules et praetores de magiſtratibus prouincialib
ſaepe dicuntur.

manu: cum 4. milibus equitum ſec. Polybium
et Liv. 22, 8. in. quorum hic dicit, fuiſſe circumuen
clade etiam notata; ille, alteram partem obciſam.
ſaltibus neuter aliquid. At prolixius idem narratur
Appiano de B. Hannibal. c. 10. 11. qui στενὰ vocat,
8 milia habet. Tum notandum eſt *manus*, de m
militibus, etiam de magno exercitu, vt alibi paſſim.

4. *Terentius: Varro*, quod addidit arbitrario Lam
nus. Ignorant enim codd. omnes, vti poſt aliqui *Pa*
lus, quem alii vel integro nomine, vel deminuto effer
Tum nota cognomen (*Paullus*) gentili (*Aemilius*) p
poni, quod etiam ſit alibi. Sic in Attico c. 18, 4. dici
Marcellus Claudius et *Scipio Cornelius*.

vno: ad Cannas, Apuliae vicum ignobilem, hinc maxi
celebratum. Perierunt plus 50,000 Romanorum. P
lixius id deſcribunt Polyb. 3, 110 ſq. et Livius 22, 4
Mirum igitur, quod Nepos leuiter tantum adtigit.

CAP. V. 1. *pugnata:* ex Graeca ratione a Latinis et
excepta, qua voces cognatae et adfines coniunguntur

eſt: eleganter quidem, ſed ſine codd. omittit Boſi
et inciſo minore diſtinguit poſt *reſiſtente*, quod et
fecerunt alii. Neque tamen ſtatim poſt pugnam. Sed qu
antea exercitus Campaniae deliciis fractus eſſet.
tamen deinceps verbis *reuerteretur Capuam* tacite in
cat. Nota hinc vox Maherbalis ſpreto ipſius conſil
Vincere ſcis Hannibal, victoria vti neſcis. Livius 22, 51
Cf. etiam Florus 2, 6, 19. in quo capite res Punici b
ſuo more, id eſt, inepta ambitione deſcribit.

propinquis: ad flumen Anienem. Non temere q
dam malint *vrbi*.

dictator: prodictator, vti ex Livio 22, 8, 6. diſcit
Sic ſupra *praetor*. Sed male hic noſter temporis rer

e geſtarum ſeriem turbat, quum ante pugnam Cannen-
m hoc factum eſſe ex Livio 22, 16 et 17. et aliis adpa-
at. Comparari vtiliter poſſunt Livius c. l. Polyb. 3, 93.
ppian. de B. Hannib. c. 14. Silius Ital. 7, 311 ſqq.

Falerno: quem interfluebant *Liris* et *Vulturnus*, h. *Garigliano* et *Fiume*.

2. *expedinit:* apte ad praecedentia.

verba dedit: decepit bellica fraude. Sic a verbis ad acta et res formula transiit.

obducta: melius quam, quod quidam habent, *adducta*, quod de noctis initio valet, illud de progreſſu. t ſic Polyb. 3, 93. f. tertia noctis vigilia factum dicit; rimis quidem noctis tenebris Livius 22, 16. f. ita tamen, t de itineris et adparatus molimine capi poſſit.

ſarmenta: arida addit Livius c. l. quod, quum ex ipſo exu intelligi poſſe noſter putaret, omiſit. Polybius icit: ξηρὰν καὶ παντοδαπῆν ὕλην.

iuuencorum: inde a Boſio cum MSS. quibusdam praeertur, quum antea legeretur *iumentorum*, quam vocem e equis noſter ſolet adhibere, vti in Eum. c. 5, 4. Timol. 4, 2. Tum Livius 21, 16, 7. diſerte *boues* commemorat, ilius Ital. 7, 316. *iuuencos*. Porro *boues* et *iumenta* diinguuntur inuicem, vti apud Columell. 1, 6. Denique pſa res loquitur.

3. *poſt:* idem etiam ante Cannenſem pugnam factum ſt, in qua adeo Minucius Rufus obcidit. Contra Appiams de B. Hannib. c. 13. proximo illi ſtratagemati praeponit.

pari: de aequato imperio, re antea inſolita, et alii. mpetrauerat autem criminationibus de Fabio.

productum: melius quam, quod quidam habent et dd. ante Boſium, *perductum*. Vti enim *ad caſtra* proius refertur, ex quibus prodeunt in pugnam milites, ſic pte etiam inſidias et fraudes reſpicit. Ita deinceps *in nſidias inductum*, frequenti vſu. De ipſa re vid. Liv. 2, 28. 29. Polyb. 3, 105. Laborantem ſeruauit Fabius.

inductum: fraude Flauii, Lucani hoſpitis, deceptus et n inſidias praecipitatus eſt, vbi fortiter tamen pugnans eriit. Vid. Liv. 25, 16. *Iterum* i. e. ſecundum ex Livio atis eſt notum.

quinquies: raro exemplo; rarius et vnicum notatur in Mario, qui ſepties fuit conſul. Tum poſitum eſt pro *uintum*, quod non omnino hoc notat, ſed ad certum empus refert. *Sustulit* mox eſt interfecit.

Venusiam: oppidum Apuliae, Horatii natalibus celebratum.

... est: sic Latini, non *esset*, ex nostro sensu et vi vti Cicero saepe. Sic in Milon. c. 11, 3. *difficile est.*

Quamdiu: 16 annos. Liv. 30, 21, 9. et alii. Quod cum Servera de ira 1, 1. habet 20 annos, pertinet etiam ad Hispaniam. Annos tamen 17. memorat ita Diodorus in excerptis de virtut. et vitiis p. 575. ed. Wessel. addito forte proximi initio, vt fallat.

nemo: sic Diod. Sic. c. l. Cf. etiam supra c. 1, 1. Si vere restiterunt, aperto etiam Marte, Marcellus, qui in ad Nolam cum eo pugnavit: Liv. 23, 16. 22, 24, 17.) item Sempronius et Licinius in agro Crotoniensi. (Liv. 35, 24)

Cannensem: supra c. 4. f., quum rectius posset, a nomen quidem adposuit.

Cap. VI. 1. *filium eius:* al. *aduersus P. Scipionis filium, quem ipse* — Illud tamen ex historia verius et ad superiora aptius, nisi paullo duriori structura subesset ita, vt *quem* ad *Scipionis* proxime referatur. Nec necessarium quidam: *aduersus Scipionis filium, quem ipse* — quippe adiunctis repugnat. Testis rei ipse adest Hannibal apud Livium 30, 30, 5. vbi ille in colloquio cum hoc Scipione dicit, se cum eius patre primum Romano imperatore signa contulisse; nunc inermem ab eius filio pacem petere. Adsunt porro duo MSS. in quibus haec lectio posita adparet. Liv. 21, 46, 8. hunc posterum Scipionem Africanum vocat. Dicitur etiam Maior, et sic a Karthaginis euersore distinguitur.

Rhodanum: v. supra c. 4, 1.

2. *in praesentiarum:* vox monstrosa, cui tamen et hic et alibi fauent omnes libri, vti *de praesentiarum* dicitur a Petronio in Satyr. 58, 3. 74, 17. Equidem contractam coaluisse putem ex *praesentia rerum*, pro quo simpliciter in Themist. c. 8, 4. Nepos ponit in *praesentia.* Quod enim Kappius explicat *in praesentia tum*, adiectum *tum* et languere videtur. nec semper locum habet. Wetzelius dedit *in praesentia (rum).*

colloquium: v. Polyb. 15, 6 sq. vnde sua petiit Liv. 30, 29.

conuenerunt: eleganter in hac breuitate ad dinersitatem euentus notandam idem verbum refertur. Ita vero *pax conuenit* et similia dicuntur.

3. *paucis:* postero die, vti est apud Polybium et Livium, qui praeter alios de hoc proelio in primis consulendi sunt.

Zamam: h. *Zamora*, in regione Conſtantia. De atrocitate proelii inde licet iudicare, quod iisdem auctoribus caeſa dicuntur Romanorum 1500 et amplius, Karthaginienſium 20,000.

Hadrumetum: h. *Mahometta* in regno Tunis. Praetuli vero hic et in Mela 1, 7, 2. adſpirationem cum pleriſque libris.

milia —: 75 miliaria Germanica. Appianus de reb. Pun. cap. 47. f. intra biduum duasque noctes, ad tria ſtadiorum milia emenſum, Hadrumetum peruenisſe ſcribit, quae conficiunt 375. M. P. vel 94 miliaria Germanica, quod itineris ſpatium etſi per ſe eſt longum, tamen eſt probabilius.

4. *ipſos:* videtur omitti potuiſſe, quia praecedit eodem caſu *quos*. Sed auget, quaſi *adeo*. Ipſam rem narrat etiam Appianus c. l. additque, a Maſſiniſſa maxime petitum eſſe, quia eum viuum Scipioni tradere cupiebat. At eripuit et ſeruauit.

Cap. VII. 1. *compoſuerunt:* ipſo ſuadente et hortante Hannibale. Polyb. 15, 19. Liv. 30, 35. f. Appianus 55. c. 1. Nempe propter exhauſtas ciuium vires.

itemque: at hic auctore Livio 30, 18 ſq. in Inſubrium agro, quum Karthaginienſium iuſſu in Africam reuocatus eſſet, ex vulnere circa Sardiniam obierat. Quare haec verba multi hodie vncis includunt. At quum ſibi in hac narrationis parte conſtet Nepos, vti intelligitur ex c. 9, 3. et c. 8. in. alium auctorem ſecutus eſt, qui diuerſa ab aliis traderet. Nec enim omnia illa loca, in quibus poſt pacem compoſitam Mago prodit, a librariis corrupta haberi poſſunt. Quare nunc vncos remoui, etſi in hoc contextu minus verba placent, quod tamen in noſtro curioſius exigi non debet.

2. *cum his:* repete ex ſuperioribus *Karthaginienſibus*. Tum vero rectius, vti monet Heinrichius, praepoſuiſſet: *legati Karthaginienſium*.

Fregellis: h. *Ponte Corvo* quidam eſſe volunt.

3. *nomini:* i. e. Romanis, periphraſi gentis, quam amat maxime Livius, vti *nomen Romanum*, *Etruscum*, *Latinum*, *Volſcum*. — Ita vero etiam de ſingulis gentibus, vt *Fabium nomen*, i. e. Fabii, cui ſubiungitur 2, 45. f. *Fabia gens*, intendendi cauſa.

Magonem: de verborum fide ſupra.

tinuationem ſpectat, vti *ſuscipere*, quod opponitur, initium et aditum.

conſiliis: quae exponit Livius 34, 60. aliique, in quibus hoc erat, vt bellum in Italiam transferret. At obſtiterunt, quo minus a rege probarentur, obtrectatores amici regis. Vid. Iuſtin. 31, 6. in.

ſuscipiendo: hinc apte Florus 2, 8, 6. *ſatis habuit, bellum mouere.*

propius: rarius ſic cum datiuo ſtruitur. Neque tamen recte inuitis libris aliqui adcuſatiuum obtrudunt, nec per ſe linguae rationi repugnat, quum ſic *propior* ſaepe ponitur, et cum vtroque caſu *proximus.*

Thermopylis: vbi victus eſt cum Aetolis a M'. Acilio Glabrione. Vid. praeter alios Livius 36, 19.

ſtulte: notantur ab auctoribus maxime otia et luxuria ipſo belli curſu, veluti aurea et ſerica tentoria, tibiarum fidiumque concentus, nuptiae, conlatae, quamuis per hiemem, roſae, conuiuia acta aliaeque voluptates, in quas etiam exercitus effuſus ruit. Vid. Liv. 36, 11. Flor. 2, 8, 9. Iuſtin. 31, 6, 3.

4. *Syria:* vnde poſt naualem ad Corycum pugnam miſſus erat, vt alias naues ex Phoenice et Thracia arceſſeret. Vid. Liv. 37, 8. Appian. de reb. Syr. c. 22. f.

Aſiam: minorem.

conflixit: deſcripſit Liv. 37, 23. f.

quo: i. e. in quo proelio, quae vox ex *conflixit* haud debet, vti fit paſſim,

cornu: ſiniſtro; nam dextro praeerat Apollonius, purpuratorum vnus. Liv. 37, 23, 7.

rem geſſit: omnino pugnauit, quatenus ducis officia complectitur. Livius c. l. *praeeſſe.*

ſuperior: initio quidem; nam et poſtea, inruentium multitudine ſuperatus, fugit. Livius et Appianus cc. ll.

Cap. IX. 1. *fugato:* et ad pacem compulſo, in cuius conditionibus hae fuerunt, vt Aſia Romanis cederet, ipſe Syriae regno contentus eſſet. Vid. Iuſtin. 31, 7, 8. et 8, 5. Liv. 37, 45. et 55. Appian. de rebus Syr. cap. 38.

verens: a rege etiam admonitus, a quo Romani inter ceteras pacis conditiones deditionem eius popoſcerant. Iuſtin. 32, 4, 3.

Gortynios: Gortyna vrbs Cretae, vnde Gortynii apud poetas pro Cretenſibus dicuntur.

2. *periculo:* praeter neceſſitatem et codices Lambinus praemittit *in*, quod noſter ſaepe omittit, vbi poterat ponere.

prouidiſſet: cauiſſet, melius quam praeuidiſſet, quod olim legebatur in edd. multis. Sic Caeſar de B. G. 3, 22. *quid in quaque parte prouideri opus eſſet.*

auaritiam: cupiditatem habendi indicat, quam in Creenſibus multi notant.

magnam: multam ex connexu. Sic in Alcib. c. 9, 2.

3. *Amphoras:* Simile Oroetis exemplum imitatum eſſe putat Valckenarius ad Herodotum 3, 123. vbi id narratur.

auro: de numis aureis et argenteis, vt ſaepe metalla de rebus variis inde confectis ponuntur. *Summas* ummam earum partem, vt *primus*, *extremus*, *vltimus* ibcurrunt.

principibus: Gortynae. Alii omittunt, alii *Gortyniis* ninus bene legunt.

templa: ita ſolebant veteres propter ſanctitatem loci t ſecuritatem. De re Iuſtin. 32, 4, 4. conferri etiam poteſt.

inductis: fraudis, inſidiarum verbum. Cf. ſupra c. 5, 3.

ſtatuas: quippe cauae erant, et caput demi poterat. uſtinus c. l. *auro ſuo in ſtatuis, quas ſecum portabat, nfuſo.* Curioſius de ſtatuis in fuga quaeratur.

propatulo: ſc. loco, quae vox etiam addita reperitur, ui eſt locus ante ſpatium patulum ſ. patens. Hinc Liv. 4, 16, 17. 26, 13. f. *in propatulo aedium* dixit, pro quo libi legitur *veſtibula aedium*, de quibus priorem locuionem et alii adhibent. Ex quo videatur *domi* inſolenori vſu dictum eſſe pro *domus*. Quod locum non haeat; mira certe, idem et *in propatulo* et *domi* abiectum, ribit. Denique *in propatulum* dicere proprie debebat. Iulo tamen ad ſuperiorem ſententiam redire, et ſic Terentius in Eunucho 4, 7, 45. dixit: *domi ſocique fac vt emineris.* *Abiicit* autem eleganter, tamquam rem vilem inimeque caram. Cf. Phaedrus 4, 1, 13.

4. *his:* quaſi de aliis loquatur. Rectius *ſe inſcientibus*, uum *Gortynii* in primaria notione ſententiae ponantur.

duceret: alias de hominibus. *Portaret* tamen et *ſportaret*, quae habent quidam libri, ex interpretatione rta videntur, et prior vox paullo ante praeceſſit.

CAP. X. 1. *Pruſiam:* Bithyniae regem.

egit: elegantiori Latinismo melius abſit, et vncis inluſit adeo Heuſingerus, cui etiam ſubfragatur Fiſcherus. ic in Ageſil. c. 4, 2. et ſaepe alibi in aliis. Nec tamen

altera forma ſimpliciter relici poteſt, quippe quae etiam exemplis ſustineatur. Sic Cicero pro Roscio Amer. c. 37. f. *Si nihil aliud fecerunt, niſi rem detulerunt*, vbi etiam Erneſtius intactum dimiſit, qui alias ſolet vncis ſignare, vt alibi alii tollendum cenſent. Sic cum libris Liuius 4, 26, 12. 44, 2, 12. et ſaepius. Quod quidam ſic ſubſiciendum fuiſſe putant *quam vt* — (cf. in Att. c. 11. in.) pluribus id coarguitur aliorum exemplis, certe infringitur. Attamen, quod habent quidam libri *armarit et exeitarit*, illi alteri formae per ellipſin *vt* ſubfragari videatur.

exercuit: quidam *excitauit*, quod, me quidem inuito, in priore editione prodiit. At id rectius debebat praeponi; maior et conſtantior opera altero indicatur, ne in conatu et adparatu primo ſubſiſteret. Non enim tam de adſuetudine armorum, quae antea etiam tractauerat, adcipio, ſed explicandum puto agitauit, propulit.

2. *Eumenes:* cuius filius Attalus populum Rom. regni heredem fecit.

amiciſſimus: hinc φιλορώμαιος vocatur apud Plutarch. in Catone mai. cap. 8. extr. *ſocius* et *commilito* populi R. apud Florum 2, 20, 2. At omnino Pergameni reges Romanorum cauſam adiuuerunt.

bellumque: adtingit Iuſtin. 32, 4. itemque Liuius 39, 46. f.

3. *vtrobique:* et mari et terra.

4. *decreturi:* alii olim *decertaturi*, quod ex gloſſa interpretis natum videtur. Additur alias *acie, armis, claſſe* — Senſum explicat locus Velleii 2, 118, 1. vbi: *ſolita armis dece ni*, (vti nunc meliores pro *discerni*) *iure terminare*. In participio ſi quis haereat, obcurrit hoc ſenſu *decretum* apud Cicer. ad diuerſ. 10, 10, in.

Dolo: breuius idem narrant Frontinus 4, 7, 10. et Iuſtin. 32, 4.

plures: nota plura adiectiua vni ſubſtantiuo ſine copula iuncta. Iuſtin. c. l. *omne ſerpentium genus.*

vaſa: idem *fictiles lagenas* habet.

5. *confeciſſet:* conlegiſſet. Quidam *feciſſet*, quod etſi non eſt ineptum, illud tamen laborem conligendi et conquirendi intendit.

tantum: poterat omittere; ſed et ita Cicero de Finib. 3, 9. etſi inprobante Erneſtio.

in qua: abeſt alias *in*, vti hic in multis libris, ſed hoc ſine aliorum exemplis alii addunt.

CAP. XI. 1. *cohortatione:* respicit hic superius *praecepit.* Infra *praeceptum.*

vtrisque: de duobus hominibus simpliciter et singularibus per se. Cf. supra c. 4, 2.

Quarum: repete ex praecedentium complexu *classium*, vt fit alibi. Possis etiam *nauium* subplere, quod latet in *classis*, sed illud magis videtur paratum esse.

caduceo: quod ipse Nepos deinceps indicat, pacis erat insigne.

2. *dubitabat:* sequente infinitiuo praeteriti temporis, quod eo magis notandum.

3. *eum:* pro *se*, quia ad Eumenem, primariam sententiae notionem, refertur. Sed ita quasi ex sua persona Nepos dixit, nec omnino ancipitem obiicit sensum.

reperiebatur: sc. causa. Regiminis mutationem moleſtam praeterea facit soni repetitio. Quum vtrumque vitari facile et rectius posset, Lambinus dedit *reperiebat*, eumque secutus Wetzelius: at reluctantibus libris omnibus, etsi hi alias actionis eam laciniam adpendunt. Vncis inclusit Heusingerus, quod magis placet. Causam tamen subesse putem, et, cur miratus fuerit, indicari, quae quidem eo grauior, quod passiuum aliorum etiam ignorationem includit.

committere: de duce, vel qui eius iussu pugnae signum dant. Hinc actiuum.

6. *puppes:* Lambinus malebat vel *proras* vel *puppes*, quia prorae auertuntur in fuga, non puppes, vel seruata illa voce *aduerterunt*, de conuersis nauibus eadem de causa. Ita certe *aduertere classem*, *naues*, vel contra *auertere;* illud de adgredientibus, hoc de fugientibus. Vulgatam tamen lectionem, cui omnes libri fauent, tuendam suscepit Gronovius in Obsservatt. 4, 28. p. m. 411. qui explicat Graeca formula *προύεσθαι πρύμναν*, remos seu nauem inhibere, quod facere paullum recedentes dicuntur. Facit huc locus Iustin. 2, 12, 7. *commisso proelio ite cessim, inhibete remos et a bello discedite.* Paucis, quum antea instarent, iam serpentibus territi, naues retroegerunt et se receperunt ad castra. Potest igitur comparari cum Graeco illo, sed plus infert. Illud modum rei indicat, hoc ipsam rem eiusque euentum. Malim tamen cum Lambino *aduerterunt* leui mutatione multisque exemplis similibus confirmata.

castra: cf. in Alcib. c. 8, 5.

7. *pedestribus:* i. e. terrestribus. Cf. in Agesil. c. 2, 1.

CAP. XII. 1. *Flaminius:* ita recte, non, vt olim multae edd. cum MSS., *Flaminius*. Nempe gens fuit patricia, ex qua qui erant orti, *Flaminini* cognominabantur; altera *Flaminia* plebeia, cui adscriptus erat Flaminius, qui apud Trasimenum lacum obciderat; c. 4, 3. In praenomine tantum variant et *Titum* habent Liv. 20, 21. in. et 56. in. et Plutarchus in eius vita c. 20. qui diserte id illi adscribit. Quare T. pro L. docti quidam viri substituendum putant, facili librariorum labsu motum. Vixit quidem eodem tempore Romae L. Quinctius Flamininus consularis, sed is a Catone senatu motus erat. Liv. 39, 42, 5 sq.

consularem: recte, non, vt olim edd. quaedam habebant, *consulem*. Hoc enim anno consules fuerunt M. Claudius Marcellus et Q. Fabius Labeo. Liv. 39, 45. 1. Hinc et mox *detulit*, non *retulit*. Vid. nota proxima.

2. *senatui:* vsitatius *ad senatum*, quod et ideo malebat Lambinus. At quum omnino hic valeat exponere, declarare, quod sic erat cuiuslibet senatoris, tum exemplis haec structura non caret. Aliud est *referre* ad senatum, quod erat consulum, tribunorum etiam plebis, et passim cum *deferre* commutatur.

existimabant: *existimarent* duo codd. non male, quia causa subest.

peterent: alia de causa eo missos Hannibalem ibi deprehendisse tradunt Plutarchus in Flaminino c. 20. et Appian. de reb. Syr. c. 11. Alii cum nostro consentiunt.

cederet: non opus est cum Lambino aliisque inserere *vt*, quod obpositorum ratione ex praecedenti *ne* elicitur, et sic statim variandi causa subiicitur a nosto.

3. *locum:* sc. dicens, quae ellipsis non est inusitata et in legationibus perferendis frequentatur. Tum pro *vbi esset*, monente Harlesio, legendum videatur *vbi sit*. Forte tamen connexum dicendi verbum simul respicit.

castello: Libyssam vocant Plutarch. in Flaminino c. 20. aliique, et vel regionem, vel vicum, vel castellum Bithyniae faciunt. Nomen a Libysso, Bithyniae flumine ducit Appian. in Syriac. c. 11.

exitum: 7 exitus et ex iis obcultos quosdam fecerat sec. Liv. 39, 51, 5. vnde idem repetit Plutarchus c. l. qui Livianae narrationis disertam mentionem facit.

euenirct: quidam codd. *veniret*, vt alibi etiam in Cicerone variatur. Probat id Heusingerus, nostrumque

alios constantissime ita solere pronuntiat. Certe plerumque. Noster quidem ita in Alcib. c. 4, 5. Agesil. c. 8, 2.

4. *puer:* seruus, vt Graecum παῖς, si vel maxime sit aetate prouectus.

ab ianua: dupliciter haec verba iungunt, vel cum sequentibus, vel cum *puer*. Hoc nexu sit ianitor, ostiarius, qui aditum custodiebat, et vel admittebat adeuntes, vel excludebat, vti *a*, *ab* in denotandis officii partibus additur; illo facile intelligitur. Etsi vtrumque locum habere potest, praetulerim tamen posterius, quia, quum plures exitus, igitur etiam aditus essent castelli, vix videtur in illa sortis conditione tot pueros habuisse, qui singulis praeessent; et proxima aperte repugnant, quum praeterea ad vitae vsum et ministeria alii etiam pueri, iique magis commodi, requirantur. Ita vero casu fortuito, non consulto prospectauit.

obsideretur: inde mox *obcupatos*.

5. *peti:* proprie, vt in Themist. c. 26. Inde vero reliquae significationes ducuntur. Numquam enim simpliciter est *rogare*, sed vel res petuntur ab aliquo, vt teneamus, vel aliquis petitur.

venenum: annulo inclusum, vt quidam tradunt. Liuius tamen 39, 51. extr. *poculum exhausit*, etsi conciliari id possit. Ceterum in mortis genere valde discrepant auctores, quia plures fuerunt Hannibales, iique confusi.

Cap. XIII. 1. *adquieuit:* etsi de violenta morte, apte tamen hic ad praecedentia. Hanc vero noui capitis distinctionem fecit Heusingerus, quum alii haec verba ad *septuagesimo* ac praecedens reiiciant.

anno: aetatis. Neque tamen septuagesimo, sed ad summum quinto sexagesimo mortuum esse ex temporum comparatione conficit Bosius.

Coss.: qui sequuntur continua serie, his subcesserunt ab anno V. C. 570 — 572.

Sulpicius: ita nunc dedi pro *Sulpitius*, vti habent plerique. Illam scripturam lapides probant et numi; tum Graeci efferunt Σουλπίκιος.

2. *literis:* quod editis specimínibus declarauit.

3. *Huius:* Hannibalis. Ita *hic* saepe de eo, cuius vita exponitur, initio nouae orationis vel sententiae conclusione.

Silenus: quem et hoc nomine commemorant Liuius 26, 49, 3. et Cicero de divin. 1, 24. Reuocauit hoc nomen ex aliquot MSS. Bosius in ed. 2. quum antea *Philinus* lege-

retur. *Sofilum* res ab Hannibale geſtas 7 libris deſcripſiſſe, auctor etiam eſt Diodor. Sic. eclog. 26, 3. etſi hic Illienſem facit. Polybius vero 3, 20. eum et Chaereneam tonſoriae et plebeias fabulas diuulgaſſe adſirmat.

nos: ita ex plerisque libris repoſitum eſt, pro *nunc*, quod et hodie quidam reuocarunt. Poteſt hoc quidem addi, vt *iam*, et ſaepe additur. Tum vero forte *fieri*, *explicari*, praeſtitiſſet dicere. Cf. in Datame cap. 11. in.

huius: vid. praefatio extr.

CATO.

Porcius: rectius ſic ſcribitur, quam *Portius*, quod confirmant libri antiqui, in primis lapides et numi. Accedit Graecorum ſcriptura Πόρκιος, qualem antea de *Sulpicius* notaui. Denique a porcis veterum aliqui nomen deriuant.

Cato: dictus antea et in patria *Priscus*, poſt Romam Tuſculo transgreſſus a ſolertia *Cato*. Plutarchus in *eius* vita c. 1. Videtur id reſpexiſſe Horat. odar. 3, 21, 11.

ex libro — Nepotis: adiecerunt haec verba editores leui discrepantia. Quidam *fragmentum* malunt, alii aliter, quae incertam fidem reddunt. Quare nunc vncis inclusa cum aliis.

Cap. I. 1. *Tusculo:* h. Frescati.

operam daret: alias *ad rem publicam adcedere*, *honores capeſſere*. Ita vero emergendi ſtudium expreſſit.

heredium: paruum praedium addita primaria notione. Vox rarior.

Perperna: verior ſcriptura ex monimentis priſcis.

Cenſorius: libri vel *conſobrinus*, vel, vt olim editi, *cenſorinus*. At illud nihil valet, hoc fuit cognomen non huius gentis, ſed Marciae. Recte igitur, praeeunte Magio, repoſitum eſt *Cenſorius*, i. e. qui cenſuram geſſit.

in foro: i. e. cauſas agere coepit. Eius orationes Ciceronis aetate ferebantur amplius 150. Vid. in Bruto cap. 17.

2. *decem —:* aetas militaris, qua et toga ſumebatur. Rectius tamen hic annorum 19. cenſent viri docti.

Q. Fabio: melius ad praecedentia referentur haec, ſi ab anno aetatis 17 ſtipendia merere coepit, quam ad ſequentia, vt a quibusdam eſt factum. Docet id annorum computatio a Boſio ducta.

Senam: vel *Metaurum*, vt eſt apud Horat. odar. 4, 4, 38. H. *Metro*, alterum *Ceſano*. De proelio praeter alios cf. Liv. 2[illegible], 46 ſqq.

3. *conſuli:* proprie *proconſuli*, quod et Boſius volebat. Sed ita *conſul* et *praetor* ſaepe dicuntur. *Obtigit* autem ex re vſitate, vti etiam ſubiectum verbum *ſortis* indicat. Cf. cap. 2. in. *Neceſſitudo* autem non ſolum propter ſortis ſanctitatem, ſed quod proconſul vel propraetor quaeſtori ſuo parentis loco eſſe debebat, et contra, vti ex plurimis Ciceronis locis diſcitur. Cf. divin. in Caecil. c. 14. et 19. ad diverſ. 13, 10, 1.

Helvio: notat etiam Livius 32, 7. Quare non audiendus Magius, qui *Aelio* ſubſtituebat ex vitiatis exemplaribus Livii 32, 7, 13.

deduxerat: verbum vſitatum, vbi aliquem habitatum, commoratum — ducimus. Cf. in Attic. c. 4, 2. Hinc de colonis.

non minoris: quia Ennius in primis literarum amorem ſenſumque pulcri in Romanis excitauit.

CAP. II. 1. *ſorte:* ex more. Hinc *ſortito obtigit* et ſimilia.

citeriorem: tunc enim Hiſpania in duas partes, vlteriorem et citeriorem, Ibero termino, diuiſa eſt; poſt in tres, Hiſpaniam Tarraconenſem, Baeticam et Luſitaniam.

deportauit: ſic Cicero de offic. 1, 22. Supra *deducere*. Illud optime explicat Liv. 34, 46. in. in eius deſcriptione.

2. *quaeſtor:* cf. c. 1, 3.

efficere: effeciſſe tamen, Plutarchus tradit in Cat. c. 11. in. Nihil Livius de illa ſubceſſione.

quum: etiamſi, et quidem quum — Sic ſaepe *quum* intendit rem propoſitam. Cf. in Thraſyb. c. 2, 7. Attic. c. 12, 13.

principatum: nempe principem ſenatus cenſores legerant. Liv. 34, 44, 4.

potentia: ſua notat tempora, quibus libertas antiqua obpreſſa iacebat. Pro *tum* malui *tunc*, i. e. illo tempore, etſi promiſcue noui has voces, in libris certe, ferri.

ſenatui: locus difficilis. Ante Heuſingerum adſentientibus MSS. legebatur: *iratus ſenatu peracto*, parum commodo ſenſu. Quare iam olim Pighius, qui hanc vitam a Carolo Langio adceptam, adſcriptis ſuis coniecturis, libro 60. annalium Roman. inſeruit, pro *ſenatu* voluerat *conſulatu*, quam lectionem receperunt Bremius, Hutte-

nus et Rickleſſius. Poſtea Boſius coniecit: *ſenatui, conſulatu peracto*, vel vitium latere putauit in voce *peracto*. Illud recepit cum aliis Heuſingerus, ita tamen, vt hic inſiſteret vltimae Boſii coniecturae, et quum P. C. in notis veterum inueniſſet ſignificare *poſt conſulatum*, haec probauit. Coniectura docta et ingenioſa, quae et veritati conſentanea eſt, quia conſul factus non in Vrbe priuatus manſit, ſed Hiſpaniam adiit. V. ſupra et Plutarchus in vita c. 11. At haec nota P. C. recentioris eſt aetatis: tum, ſi huc transferatur, eiiciendum eſt *acto*; denique verba *peracto conſulatu* idem indicant. Kappius quaeſito alio remedio tentauit: *iratus ſenatu*, (i. e. ſenatui) *anno peracto priuatus* — Simpliciſſima medela videtur, quam admouit Pighius, et tum in antiquis libris fuit *cſatu*, quod neglecto vel eraſo *c*, transiit in *ſenatu*.

manſit: quod ex Liv. 38, 52. et 53. ſubpleri poteſt, poſtea Liternum conceſſit. Antea tamen cum fratre L. Cornelio Scipione Aſiatico legatus contra Antiochum, Syriae regem, in Aſiam profectus eſt. Cf. Liv. 37, 1.

3. *poteſtati:* de cenſura etiam alii. Seueritatem eius propoſitis exemplis deſcribit Livius 39, 24-44. Hinc vero *Cenſorius* dictus eſt.

nobiles: v. c. L. Quinctium Flamininum conſularem cum ſex aliis, quod multi narrant, ſenatu mouit. Cf. Liv. 39, 42, 5. *Animaduertit* autem bene, vnde *animadverſio cenſoria* apud Ciceron. pro Cluentio c. 46. extr.

addidit: priorum cenſorum edicto noua quaedam adiecit, quae ad coercendam morum luxuriem valerent. Cf. Livius 39, 44. Alias *tralaticium edictum* dicitur.

re: pro *quibus*, quia praecedit *res nouas*. At ita loco relatiui ſimplicis omnino *res* ponit noſter, vti de regib. c. 2, 2. in Hamilc. c. 1, 3. et ſic Themiſt. c. 6, 1. edd. quaedam habent *qua re*, etſi praecedit *cauſam*. Sed et ſic idem ſubſtantiuum cum pronomine repetitur, veluti apud Cicer. de orat. c. 57. *hanc partem — quae pars*, de inuent. 1, 4. *qua re, — ea in re* — Sed qui repetitii eiusdem ſubſtantiui exempla deſiderat, illi largam eorum meſſem conlectam dabit Drackenb. ad Liv. 1, 3, 9. Hoc vnum durius adcedit, quod hic numerus mutatur. Poſſis tamen ad edictum nouis rebus auctum referre, vt totum complectatur.

pullulare: elegans metaphora de primis rerum initiis et motibus.

4. *Circiter:* verba vncis incluſa, quod male cohaereant, a librario, ſenectutis definiendae cauſa, adſcripta et hinc ſpuria habentur. Quod ſi enim excidiſſe cum Pighio velis *vixit*, mortuus ille eſt natus annos 85. Nec ſi ſubpleas *per*, plus proficiatur, quia admodum puer rem publicam adtingere eiusque cauſa inimicitias ſuscipere non potuit. Poſſis tamen inde remedii aliquid repetere, ſi numerum *octoginta* conruptum dixeris, vt ſenſus inde omnino exſiſtat: a primis annis ad — non deſtitit.

tentatus: in iudicium vocatus, adcuſatus, ex nexu et reſpectu Catonis, quippe qui omnes conriperet. Hinc *adeuſator malorum adſiduus* vocatur apud Aurelium Victor. de V. I. cap. 47. f. Igitur hoc loco verbum eſt exquiſiti delectus. Adcuſatum autem ipſum eſſe quadragies quater narrat Aurelius Victor. c. l. cum aliis; paullo minus quinquagies Plutarchus in vita c. 15.

Cap. III. 1. *prudentia:* non bene haec verba conlocata videntur Stavereno, quae, Harleſio iudice, vel ſic compoſuit, vel certe ad Ciceronianam formam componere potuiſſet: *fuit vt prudentia, ita induſtria.*

et iurisconſultus: a vocabulo *et* vncos, quos adpoſuerat Heuſingerus, quia in libris quibusdam deſunt, nunc remoui. Aperte enim ſingulatim haec ita recenſet, vt, quorum finem adeſſe putes, nouis additis ad maiorem adtentionem et admirationem cumulentur. In ipſis his laudibus conſentiunt et alii. Imperatorem Hiſpania experta eſt; agriculturae peritiam et hodie liber declarat.

probabilis: proprie et ex vera Latinitate intelligi debet, i. e. qui probatur, ita exponit, vt facile adſenſionem nanciſcatur. Cicero orationum multitudine cum Lyſia comparat in Bruto cap. 17. et Plutarch. in vita c. 4. Demoſthenem Romanum eum adpellatum fuiſſe adfirmat. Cicero tamen in Bruto c. 85. vt illis temporibus valde eius orationes laudandas cenſet, et ingenii quamdam iis formam tribuit, ſed admodum inpolitam et valde rudem. Et ſic paſſim alibi iudicat.

2. *ſenior:* idem adfirmat Cicero de ſenect. c. 1. cum aliis.

in eis: quia abſunt a libris quibusdam, vncis haec verba multi notant. In vtramque partem disputari poteſt. Quum tamen minime languere videantur, ab vncis liberaui.

poſſis: poſt praeteritum, quoniam praeſentes quaſi lectores teſtes facit.

3. *orationes:* exercitatio illius aetatis.

historias: Plutarchus cap. 25. omnino adfert λόγους καὶ παντοδαπους καὶ ἱστορίας, maxime tamen librum de re rustica praedicat.

instituit: coepit, de consilio, proposito efficaci.

sunt: vt supra in Hannib. c. 13, 2.

regum: an *regum* tantum? Apud Pighium deest *regum*, non male quidem, quia sic regum historia involuitur; at citius euanescit dubitatio, si inferas et, quod facile excidere potuit, vel etiam legas *populique*. Quae enim inde fragmenta conlecta adpenduntur Sallustii quibusdam editionibus, satis docent, non solum regum historia se continuisse, sed et, vltra progressum, res populi R., quatenus argumento responderent, expositisse, quod et recensita librorum summa Nepos probat.

Italica: Heinrichius, nescio vnde, dedit *Italia;* sed sum recte ellipsi *in* explicat, vti *tota Graecia* dicitur in praef. 5.

ob quam rem: ni velis, a prioribus tribus libris inscriptionis causam petitam esse, haec verba ad *adpellasse* cum Heusingero, ne series recensus interpelletur, vncis comprehendas.

Poenicum: cf. in Hannib. c. 1. in.

4. *capitulatim:* summatim, per distincta capita. Obcurrit rarior alias haec vox apud Plinium Hist. Nat. 2, 12.

non nominauit: idem testatur Plinius 8, 5. *imperatorum nomina annalibus detraxit.*

Hispaniisque: citeriori et vlteriori. Cf. supra c. 2. in. Sic *Galliae* ex partium descriptione.

separatim: haec igitur vita particula est, vel adumbratio maioris operis.

ATTICVS.

ex Cornelio —: id praeferunt libri quidam antiqui, vel etiam addunt de *Latinis historicis.* Pars forte fuit Corneliani operis de viris inlustribus, quod memorat Gellius 11, 8. et seperatim ante edita fuisse videtur, quam reliquae euulgarentur. Adnectitur etiam Plutarchi vitis, vel Ciceronis editionibus, vti Verburgianae. Videtur autem ea integram Cornelianae orationis formam et colorem referre.

CAP. I. 1. *vltima:* si adscendas ad primos gentis auctores, est antiquissima; contra, si inde ad tuam aeta-

tem, vel posteros descendas, prima. Gens autem Pomponia originem ducit a Pompone, Numae regis filio, (Plutarch. in Numa c. 21.) vel, si quis malit, a Pompone Numae patre. (Aurel. Victor de V. I. c. 3. in.)

generatus: tantum non omnes obsendit haec vox, quae sic dure et insolenter cum *origine* coniungitur, et salua sententia abesse possit. Vncis igitur quidam incluserunt. Alii, quia in omnibus libris seruatur, conruptam eam putant varieque tentant, quae recensere non est huius loci et consilii. Efficacissime tamen adseruit Kappius.

perpetuo: per totam vitam.

2. *diligente:* rei familiaris et domesticae adcuratam curam indicat.

indulgente: in hoc nexu et situ remotum videtur et situ remotum videtur et alienum. Non male igitur codex Medic. omittit.

et vt tunc: quidam, in iis Cellarius, *et tum vt* sine libris et praeter rem.

tempora: quum nondum Asiaticae opes Vrbem locupletassent.

3. *oris:* de vultu quidam explicant, cuius hic ratio vix haberi potest, vti subiecta explicatio docet, in qua singulis singula respondent, nempe *docilitas ingenii — celeriter adcipere, suauitas oris ac vocis — excellenter pronuntiare.* Aptissime tamen ita cohaerent, vt eamdem rem vberius exponant, quare etiam alibi coniunguntur. Cf. Alcib. c. 1. 2. Locum similem exhibet Quinctilianus in prooem. lib. 6. in. vbi nostrum egregie explicat: *vocis iucunditas claritasque, oris suauitas et in vtraque lingua expressa, proprietas omnium literarum.* Nempe vt excellenter aliquis pronuntiet, requiritur praeter soni ipsius gratam modulationem apta etiam linguae et literis adcommodata oris eiusque partium conformatio, quae ipsam pronuntiationis facit excellentiam, vt docilitas adcipiendi celeritatem.

adciperet: ita libri scripti. Lambinus dedit *adriperet*, quod quidem ferri omnino potest, vt similia dicuntur; *armis, vi vincere, expugnare.* Sed obtrudi contra libros non debet. Recepit tamen hodie Schmiederus. Notum autem est, *adcipere* ad cognitionem referri, eique respondere *tradere;* hoc de magistro, illud de discipulo. Hinc Quinctilian. 1, 3, 3. *puer meus, quae tradentur, non difficulter adcipiet.*

ferebatur: efficacius quam *erat*, *habebatur*, de aperta et manifesta significatione et praedicatione. Sic elegantes ad ipsum Atticum refert *exsplendescebat.*

quam: eadem forma in Paulan. c. 3. 2. Subpleri potest *vt*, quod alias ipse aliique addunt. Sic etiam praemisso substantiuo vel nomini relatiuum (hic in Vossiano codice) subiici solet, vbi praeter rei comparationem magnitudo immitur. *Generosi*, vt antea *nobilis*, non ad natalium splendorem, sed ad animi virtutes refero genere digna.

Torquatus: eius elegantiam in dicendo aliasque virtutes laudat Cicero in Bruto c. 68. Periit in bello ciuili.

C. Marius filius: eadem forma et alii vtuntur, quam non opus est legere *C. Marius, C. filius*, vt olim.

sic: praedicit incrementum, quod ex rei diligentius cogitatione oritur, et orationem eleganter intendit. Tum *nemo, nihil* comparatiuo subiuncta superlatiui fortiorem exhibent declarationem.

CAP. II. 1. *adolescentulus:* annos natus 23. quia Sulpicius obcisus est a. V. 666. Atticus natus a. A. 643. *Adolescentulus* autem sic et in Eumene c. 1, 4. dicitur, vt alibi adeo *puer*, contra saeculi nostri morem. Cf. paullo post.

Sulpicii: homo violentus et qui Marium contra Sullam tueretur; ab hoc proscriptus periit. V. Vellei. 2, 18, 5 sqq.

Seruio: sc. Sulpicio. Nempe, quod insolitum erat, gens Sulpicia praeter praenomen *Seruius* aliud etiam admiserat, veluti *Lucius, Publius, Marcus.* Neque tamen vtrumque scriptores cum gentilicio nomine iungunt, sed eius quasi vice *Seruius* ponunt.

2. *alterutram:* quod ipse deinceps explicat.

quum: non male ed. 1. *quorum.*

Athenas: vt Cicero.

adolescentem: de viro, vt cap. 8, 2. *Iudicatum* nempe a Sulla.

pecunia: tres codd. et ed. 1. *pecuniis*, vt in Cimone c. 1, 3. *Fuga* est *exsilium.*

3. *Ac ne:* sic ante ed. Bosianam 2. in qua mutatum transiit in *at ne*, quod ab aliis propagatum. At illud bene habet, et a quibusdam hodie reuocatum est, quas nunc sum sequutus. Bremius, nescio vnde, dedit *atque ne.*

gratiam: ita passim de moribus, qui placent, gratiam conciliant.

ſaepe: quidam ex vno codice *ſaepius.* At a plerisque aliis discedere nihil eſt, quod cogat. *Inopiam leuare* in re ſimili eſt λειτουργεῖν apud Xenophontem in Memorr. ., 7, 6.

verſuram: varie de hac formula disputatur. Ex nexu eſt pecuniam ſoluere mutuam. Aliud eſt *verſura facta ſoluere*, de quo Erneſti in clane Ciceronis. Quidam libri male *vſuram*, vt c. 9, 2.

conditionem: de pactione, conuentione, vt ſaepe. Hic ex nexu ad fenus pertinet, in quo poſcendo modum excellebant diuites.

numquam: non adnoſcunt quidam libri. Sed aliam dubitationem eamque magnam iniiciunt verba ſubiecta: *neque multiplicandis vſuris creſcere.* Si enim vſuram ab iis numquam adcepit, quomodo multiplicari vſurae poſſunt? Elegans igitur eſt et acuta coniectura Gottſchalchii, Conrector. Aalburg., qui in proluſione aliqua ſcholaſtica a. 1770. emendauit *iniquam*, quae et facilitate eſt commendabilis et ab omnibus prono adſenſu probatur. Si tamen vulgata lectio ſeruetur, ita poſſit explicari; Athenienſes mutuati erant pecuniam, ſed iniquo fenore; quod ne augeretur, Atticus ſine vſura pecuniam obtulit, vt ad ſoluendum promtiores fierent ſine damno, immo cum compendio et fructu. Tum vero *multiplicandis* pertinet non ad Atticum, ſed ad priſtinos creditores. Neque tamen illi coniecturae intercedo.

dictum: de promiſſionibus, conuentionibus, pactis, ex notione ſolemni, qua ſignificat conſtituere, verbis declarare. Cf. in Milt. c. 2, 4.

eos: quod abeſt a multis libris etiam olim editis, et ſine damno abeſſe poteſt, vncis includendum putauit Heuſingerus. Minus bene in aliis ſubſtituitur *aes.*

5. *liberalitate:* adtigit Cicero ad Attic. 6, 6. in. vbi non largitionem in ciues, ſed in hoſpites liberalitatem dicit. Nempe quia Athenienſes habuit hoſpites, non ciues, nec ipſe ciuis fieri voluit, aut populi fauorem ambitionis cauſa captare.

ſeptem: ita omnes libri. At quia veteres tradunt, medimnum 6 modios aequaſſe, ſuadente Faerno Lambinus aliique poſuerunt *ſex.* Boſius in altera ed. reuocauit *ſeptem*, eumque ſecuti poſt alii. Quod Phauorinus huius aequationis teſtis producitur, poteſt hic ex noſtro petiiſſe. Forte modii, quod hodierno vſu inluſtratur, diuerſam habuerunt menſuram, nec plane et adcurate ſex modii

medimnum Atticum confecerunt, ſed aliquot libris additis, ita vt in vtraque ratione numerus plenus ſ. rotundus ponatur; niſi numerum conruptum velis, quod facile potuit. Quidquid eſt, ſi compares medimnum cum noſtris menſuris, paullo maior eſt ſcheffelo, quem dicimus, Berolinenſi et paullo minor Dresdenſi. Cf. Rambachius ad Potteri Archaeologiam Tom. 1. p. 228.

CAP. III. 1. *communis:* ſatis ex nexu vis verbi diſcitur apteque *par* ſubponitur. Qui ſe non ſuperbe ſupra alios extollit, inferiores maxime, ſed ad eos ſe demittit, ſuae dignitatis, poteſtatis, quaſi inmemor, *communis* is vocatur.

publice: totius populi coniunctis ſubfragiis.

ciuem: honor ſingularis.

noluit: ſed Cicero ad Attic. 7, 1. Demoſthenem Atticiuem vocat, quo tamen cognomen, non ciuitatis reſpici putant. Poteſt etiam ad commorationem referri. Male hic primae editiones *voluit.*

Quod nonnulli: haec verba ad *adſcita* Gesnerus in praefatione ad Enchiridion, vbi aliquot notas criticas ad hanc vitam propoſuit, a recentiori manu adſuta eſſe putat, cuius admonitione impulſus Heuſingerus ea vncis incluſit, vt hodie aliqui. Notum enim erat minimeque dubium, plurium ciuitatum non potuiſſe aliquem eſſe ciuem. Ita enim diſerte Cicero pro Corn. Balbo cap 11. *duarum ciuitatum ciuis eſſe noſtro iure ciuili nemo poteſt; non eſſe huius ciuitatis ciuis, qui ſe alii ciuitati dicarit, poteſt.* Poſtea tamen cap. 12. addit, poſtliminio potuiſſe ciuitatem Rom. recuperari. Tum ciuitatem non adſciſcimus, ſed nos ciuitas, et hinc in eam vel ab ea adſciſcimur. Si verba ſunt ſincera, disputatum omnino de eo fuiſſe videtur.

2. *poneretur:* proprie.

Phidiae: ita fere omnes libri, ſed diuerſiſſime interpretes. In potioribus lectionibus, quum ſingulas perſequi alienum ſit a conſilio propoſito, exſtat *Philiae*, quod etiam praeeunte Lambino aliqui receperunt. Fuit haec vxor Attici; ſed poſtea demum, vti adparet ex Ciceronis epiſt. ad fratr. 2, 3. et ibi docuit Manutius. Neque ſequentia conueniunt. Alii malunt *Pryce* vel *Poecile*, remotiori mutatione; alii *fidei* vel *filiae* (φιλία) ſine ratione probabili. Sequens *hunc* deſiderat nomen viri, qui Atticus eſſe non poteſt, tum quia *ipſi* ad Atticum pertinet, tum quia noſter antea de cauſis habitorum illi honorum expoſuit. Quisquis autem ille fuit, certe ſtatuarius ille celeberrimus non

fuit, ſed alius Attici tempore de rebus Athenienſium aeque meritus, etſi mirum, cur et hunc inmiſcuerit, nec alius auctor eius vllam mentionem in re tam inſigni fecerit.

actorem: ſpurium putat Heuſingerus, et vncis incluſit, nempe quia ad Atticum haec referebat. *Auctor* eſt, qui rem ſuadet, laudat, praecipit, tuetur; *actor*, qui etiam gerendam ſuscipit, adiuuat. Vtrumque ſic coniungit Cicero pro Sextio c. 28. et pro eo Caeſar de B. G. 1, 26. dicit *auctor et agens;* Terentius Eunuch. 5, 8, 5. *inuentor, perfector, inceptor.* Proprie igitur et naturali ordine praecedere debebat *auctorem*, vti etiam quidam volunt. Alii tamen *actorem* cum Heuſingero reiiciunt, quod ad Atticum ciuem id vnice pertinuerit, qualis ille non fuit. Sed vt haec nimis ſunt ſubtilia, ita ad Phidiam, non ad Atticum referri debent.

3. *domum:* libri veteres ſubiiciunt *voluit;* ed. 1. *voluerit.* Si prius probo, cum Kappio *vt* mutari debet in *et.* Pro *domum* Lambinus repoſuit *dominam*, quod et aliqui probarunt, nuper Bremius. At languet non ſolum haec repetitio, ſed et disiicit connexorum rationem. Nempe quo ſpectat *patriam*, eo etiam transferri debet vox adiuncta. *Domus* eſt domicilium, ſedes, tribus; et ciuitatis ius innuit. Hinc mutatam ſedem ſ. domum prudentiae eius tribuit. To *quod* explicat vocem *illud*, cui ſubiicitur *Hoc ſpecimen* —

Cap. IV. 1. *decedens:* finito bello Mithridatico contra Marium iturus.

Athenis: vnde cognomen tulit Atticus. Vid. Cicer. de fin. c. 5, 2. de ſenect. in.

poemata: aliorum, quibus recitandi ſuauitate maiorem gratiam parabat. Nam ipſe leuiter tantum poeticen adtigerat; cap. 18, 5.

pronuntiabat: quod propter ſolemnes publicasque recitationes magnae laudi ducebatur artisque et exercitationis praecipuae documentum habebatur.

addi: vncis ſine cauſa inde a Lambino multi ſepſerunt, quum plerique libri adnoſcant, et, licet a Cicerone ſaepe omittatur, ab ipſo tamen etiam paſſim ſubiicitur. Eſt vero augendi formula.

2. *eum:* vncis notatur, quia abeſt a libris ſcriptis, quorum auctoritas eo verenda eſt magis, quod abeſſe ſalno ſenſu (etſi forte paullo durius) poteſt. Addiderunt Manutius et Lambinus.

deducere: cf. supra c. 1, 3.

Qui: iterum sine libris et causa Lambinus mutauerat in *Cui*, quod et nunc plerique receperunt. *Tentaret* aperte pertinet ad Sullam, a quo ad Atticum male auertatur, si *cui* locum obcupet. Sic absolute in Themist. cap. 2, 7.

oro te: interponitur, vt *quaeso*, *amabo.*

velle: pro *noli* etiam apud alios, ad conatum, studium magis signate exprimendum, et auertendum.

cum quibus: quidam referunt ad *reliqui;* alii ad *arma ferrem*, quod et praecedentia postulare videntur. Sic *bellum cum Aegyptiis gerere* de socio in Chabr. c. 3, 1. Recusat igitur scite, honestatis causa interposita. Hinc deinceps *officio conlaudato.*

3. *quum:* etsi, ex nexu. *Indiligente* proprie, de qua ad cap. 1. in,

vrbana: spectant negotia, quae, rebus domesticis sepositis, in vrbe obiit. Ipse post explicat.

4. *comitia:* in quibus de amicorum dignitate agebatur, amici erant petitores. Sic Cicero Verrin. 1, 7. *comitia mea*, et *Quinti fratris* ad Att. 1, 4. Et sic genitiuus rei vel personae saepe additur. Comitia sunt vel legum vel magistratuum, vt dicit Cicero pro Sextio c. 51. in. idemque ad Attic. 1, 2. Atticum rogat, vt ipsius comitiis adsit.

eius: libri aut omittunt, aut pro eo *suis* substituunt. Dubiam igitur vocem nec, si abest, desideratam plerique vncis notant.

fugienti: nempe ante exsilium Clodio auctore decretum secesserat Athenas, quum, Chrysogono in oratione pro Roscio Amerino defenso, Sullae iram metueret.

sestertium CCC m.: circiter 10,000 thaleri.

5. *Tranquillatis:* proscriptiones Sullanae vel non admonitum hic subeunt.

vt opinor: an hoc a Nepote additum sit, quum ad exstantiorem vitae partem pertineat, quam diligentius exposuit, dubitare liceat.

diem: in hoc nexu multas obsendit; quare vel eiiciunt, vel mutant in *discedentem, abeuntem, quidem.* Si sanum est vocabulum, ponitur de rebus illo die gestis, etsi *diem prosequi* duritiem infert.

CAP. V. 1. *Luculli:* qui ex Asiatico bello contra Mithridatem magnas diuitias Romam reportauerat, et postea se

in luxum pronus demerserat. Inde *Xerxem togatum* appellauit Tubero auctore Plutarcho in vita Luculli c. 39.

difficillima: mox *asperitas* ad explicationem. Sic *morosus* coniungitur.

veritus: indulsit, cessit cum reuerentiae sensu, vnde delectus verbi intelligitur. Mox *pietatem* eam adpellat.

2. *adoptauit:* hinc, postea ex more adsumto eius vel addito nomine adpellabatur *Q. Caecilius Q. F. Pomponianus Atticus*, vti inscribit Cicero epistolam, in qua adoptionem illi gratulatur ad Attic. 3, 20.

dodrante: quum tota hereditatis summa vocabulo *as* designaretur, dodrans i. e. $\frac{9}{12}$ nouem eius partes complectitur. Ceterum discrepat Valer. Max. 7, 8, 5. qui omnium bonorum heredem eum relictum esse tradit.

centies: circiter 400,000 thaleri. Scribitur autem solemni vsu, si quis integris literis efferat, *sestertium*, non *sestertiorum*, adeoque numeri singularis neutrum declinabile censetur. Alii numerorum notis signis vtuntur LLS. vel HS. pro IIS. vt constat.

3. *soror:* Pomponia, vnde natus Q. Cicero, filius. Pater fuit M. Tullii Ciceronis frater.

familiarius: vid. cap. 16.

4. *principatum:* quum Cicero secundum locum obtineret. Vid. Quinctilian. 11, 3. in. Familiarem autem Attici fuisse, etiam subinde Cicero indicat; ipse *suum* adpellat ad Attic. 1, 14. ad diuerf. 2, 16.

obtrectatio: cf. ad Aristid. cap. 1, 1. Ex nostro loco discrimen inter aemulationem et obtrectationem intelligi potest. Illa bono, haec malo sensu dicitur; illa imitari, consectari virtutes, haec carpere suasque quouis modo extollere et obtrudere studet.

CAP. VI. 1. *existimaretur:* oratio numerosa, quae et ipso rerum subiectarum discrimine probatur. Sic *et esse et videri.*

fluctibus: elegans metaphora, quam et comparatione facta apte persequitur. Ita et alii, et nota est allegoria ab Horatio lib. 1. od. 14. hinc exculta. Cf. etiam infra cap. 10, 6.

iactarentur: verbum sic vsitatum et aptum. Tum variatio tenenda. *Maritimis* posuit pro *marinis*, neque tamen hoc sine exemplis.

2. *quum:* ex nexu valet *etsi*, vt supra c. 4, 3.

more: more a maioribus tradito receptoque. Frequentat hanc formulam Cicero.

effusis: in notanda prodiga immodicaque liberalitate, donatione, sumtu apte adhiberi solet. *Ambitus* de praua honorum petitione, vnde *crimen ambitus* apud Ciceronem, et, quae id coercerent leges, *ambitus leges* dictae. Sallust. de B. Cat. 18, 2. Hinc *de ambitu postulari* et similia.

geri e rep.: locus in libris vitiatus et amputatus prodit. Alii enim omittunt *geri* alii *e republica*, vel *res geri* exhibent. In diuersa abeunt virorum doctorum sententiae ex quibus probata emendatio Lambini maxima veri specie commendabilis et mutua librorum ope concinnata. *E* autem in hoc nexu significat ad commodum rei publicae.

3. *hastam:* auctionis publicae signum, sub qua, tum in primis, publicata proscriptorum bona venibant. *Sectores*, qui ea emebant, vocabantur.

praes: qui aut suo, aut alterius nomine cauet. Vid. Ernesti in claue Cicer. h. v. *Manceps* omnino est, qui aliquid redimit, conducit. Vid. ibidem h. v. Nempe in licitationibus sublata manu, qui superauerat, se emtionis auctorem esse significabat. Videtur autem Nepos spectare vectigalium publicorum redemtionem, quam faciebant publicani. Eorum tamen socium et vectigalium participem fuisse, quidam ex Ciceronis epist. ad Att. , 19. 2, 15. conligunt, et hinc Nepotem etiam reprehendunt.

subscribens: qui accusatorem primarium sic adiuuabat, probabat, vt nomen libello subscriberet. Hinc et *subscribere in aliquem* dicitur. Nexus hic optime explicat.

in ius: i. e. ad praetorem, vel in locum iudicii, vt *in ius vocare.* Vid. deinceps.

iudicium: remotioris sensus, si per se verba considerentur. Hinc et varie inter se explicationes discrepant; v. c. iudex inter litigantes fuit; numquam reus factus vel accusatus est, (nempe *habuit* pro subiit) vt prius actiue valeat, posterius passiue. Alii, vt Heusingerus, verborum integritatem in dubium vocant. Harlesius excitauit locum ex Cicerone in Verrin. 1, 53. vbi legitur: *iudicium habere fortunarum suarum.* At hic nude et sine adiectione. An est iudicium egit, vel fecit, quod et simpliciter obcurrit in Cicerone pro Flacco c. 17. et 37. i. e. iudex fuit, vt obponatur praecedenti? Ita quidem postea vidi, etiam coniecisse Schellerum in Lex. h. v. etsi alterum de reo

non inprobet, et nuper Sehmiederum et Heinrichium. Praetulerim hoc: neque iit in ius, neque alios vocauit, nisi de adcusatione antea dixisset, cui concinnius obpo-uerit: neque ipse a quoquam est adcusatus. Tum vero *in ius ire*, ne idem et antea dixisse videatur, latius valet, iudicia frequentare, causas agere. Insolentius, certe ob-curius, haec Nepotem edidisse sentio.

4. *praefecturas:* in prouinciis munera erant, quae pro negotiorum ratione varie intelligi possunt, et hic ad rem militarem, exercitum pertinent. *Consul* igitur h. l. vt supra de proconsule. Ceterum genitiuus passiue valet, i. e. a consulibus et praetoribus.

rei familiaris: non ex re familiari, vti alias dicuntur pietatis, pecuniae — fructus, sed ad rem familiarem ex honoribus oblatis augendam. Facit huc locus Ciceronis ad Attic. 1, 17. *illa pars epistolae tuae minime fuit ne-cessaria, in qua exponis, quas facultates aut prouincia-rium, aut vrbanorum commodorum, et aliis temporibus, vt me ipso consule praetermiseris.*

voluerit: coniunctiuus, quia explicatio adnexa subest. De re Cicero ad Attic. 1, 16. f. Ipsi legati proconsulibus et propraetoribus adiungebantur socii, adiutores, et quasi vicarii; de quo antiquitatum libri consulendi.

5. *criminum:* cupiditatis, rapacitatis.

obseruantia: actiue intelligendum, nempe erga alios, unde significat obsequium, studia.

CAP. VII. 1. *Caesarianum:* de quo expositum ipse Caesar.

vacatione: est immunitas a militia, qua ad arma su-menda cogi non poterat. Seneca de breuitate vitae cap. 20. *ex a 50 anno militem non cogit, a 60 senatorem non itat.* Idem ex Livio 42, 34, 12, adparet.

se: quum hanc vocalem quidam codices omittant, sub-lementi causa inserta videtur. Ita vero *mouere, vertere* et alia quaedam absolute poni solent. Plerique igitur ecentiores vncis incluserunt.

2. *coniunctum:* in hoc verbo multi haeserunt et varias protulerunt coniecturas. Nec magis sibi constant codices, ui tamen maiorem partem vulgatam lectionem adiuuant. Potest autem illa sic commode explicari: *cognatione con-iunctum*, vt in praef. §. 7. et absolute apud Curtium 7, 11, 20. Gens enim Caecilia, vnde maternum genus ducebat Atticus, cum gente Cornelia, ex qua Pompeius uxorem duxerat, iuncta erat. Quod si abst, non deside.

retur, et abeſt certe ab vno codice. Ceterum necti haec debent cum verbis *vt ceteri* — *et*, quae interiecta leguntur, parentheſi includi.

nullum: vulgo et hodie a quibusdam ſubiicitur *enim*, quod cum Heuſingero expunxi. Debetur enim Lambini ingenio, et nexum ante indicatum interpellat, qui vel ſic luxus in hac narrationis parte videtur. Nec praecedentia his verbis adficiuntur aut conſtituuntur. Qui enim interponunt, remota parentheſi poſt *obſendit* maximae diſtinctionis ſignum addunt.

ornamentum: ipſe ſenſum verbi poſt explicat, quo de hominibus frequentatur. Et ſic Latine *ornati* dicuntur: ſecus de vulgo ſolet.

partim. i. e. quorum pars, quorum alii. Mira ſtructura, cuius tamen plura exempla viri docti ex Cicerone etiam conquiſiuerunt.

3. *quies:* quod neutri parti adhaeſiſſet, per nexum, vt alibi etiam cognatum *quietus*.

imperaret: poſtularet, exigeret, quo ſenſu vel ex Caeſare notum eſt.

filium: cf. cap. 5, 3. Ita vero, ex hac MSStorum lectione intelligit patrem et filium, quos Pompeii caſtra ſecutos, ipſo deuicto, Attico condonauit.

Cap. VIII. 1. *illud:* quidam ſubiiciunt *tempus*, quod et additum legitur in duobus codicibus, ſed a viris doctis gloſſema cenſetur. Alii ſine libris addunt *bellum*, quod ex ſuperioris capitis initio repeti debet. Alii poſt *illud* diſtinctionem ponunt maximam, et verba *ſic M. Bruto* — ad apodoſin reiiciunt. Sed *τὸ quum*, quod pertinet ad *illud*, vicem gerit pronominis relatiui, vt ſaepe in tali nexu, et arctius iungi debet. Aliud eſt, quod minus recte exempli cauſa ex cap. 13, 6. huc arceſſit Boſius, vbi ſubiectam rei expoſitionem et narrationis ſeriem indicat, vt ſaepe. Melius, ſi quid inmutandum, colon poſt *illud* et *conuertiſſet* ponatur.

Brutos: Marcum et Decimum. Hi et Caſſius principes fuerunt coniurationis in Caeſarem factae. V. Suet. Caeſ. 80.

conuertiſſe: multi, nuper Schmiederus, adnuentibus etiam plurimis libris antiquis, ſubiiciunt *videretur*, quod, quum praeceſſerit, vncinis incluſit Heuſingerus, recte ſubmouit Stauerenus. Quia tamen ſic male ſequitur et quaſi trahitur *conuertiſſe*, facile adridere poſſit lectio Boſii *conuertiſſet*, quam et hodie multi receperunt. De re,

ipsa tamen alia omnia narrant auctores, ex quibus adi Sueton. in Caes. c. 85. Plebs certe et milites maxime abhorrebant. Neque tamen repugnat Cicero. Ex qua dissensione forte *videretur* praeferendum hic sit, in primis quum similis verborum conlocatio non plane sit insolens. Tum antea multi legunt ex libris etiam scriptis *eum*, et ad M. Brutum referunt, qui tamen demum sequitur, nec ex reliquis eximi potuisset, nisi omnes antea innuisset.

2. *adolescens:* de viro, vt supra monitum est. Tunc enim M. Brutus praetor erat, et hinc saltem quadragenarius esse debebat. Ex Ciceronis Bruto c. 64, 3. et 94. 1. efficitur, annos tunc natum fuisse 42.

in conuictu: compone, vti recte monuit Heusingerus, cum *haberet*, non cum *principem*. Ita nempe diuersi casus saepe construuntur. Vid. in Datame c. 1. in. et c. 3, 1. supra c. 5, 1.

3. *priuatum aerarium:* ita quum esset populi Romani, et publicam pecuniam contineret, hic tamen vocatur, quia ad priuatos vsus inde pars conuerti debebat, vti *militare aerarium*, quod ad militares vsus defertur. Cf. in Aristide cap. 3, 1. Adparet per metonymiam huc *aerarium* transtulisse. Praemia autem haec necis et libertatis restitutae parabantur.

adpellatus: rogatus, postulatus, vt saepe de adloquiis. Adpellat enim sic, qui prior sermone alium adit.

4. *sine factione:* vt ab omni partium studio se retraheret. *Existimaret* in coniunctiuo propter *qui* causale.

voluisset: cur *voluisset*, non *vellet?* Causam non video, nisi quaeratur in *vsurum*. Aliter *si vellet, vti posse.*

se neque: ita libri antiqui tantum non omnes, etiam ed. .. quod ex distinctiori obpositione cum *Brutus* melius et aptius videtur, et a plerisque hodie receptum est. Alii *sed.*

coiturum: ad societatem, vt ex superioribus intelligitur: *rei princeps* et *sine factione.* Conloquia priuata sunt, domestica et singulorum citra consociationem. Haec praecedunt, illa sequuntur.

globus: metaphora haec passim obuia per propriam vim vocis significat arctam densamque conlectarum rerum coniunctionem. Hinc apte additur *disiectus est*, cui adcedit notio celeritatis.

necis causa: haec librorum lectio sine dubio praeferenda est coniecturae Cuiacii *dicis causa*, quam protulit in obseruatt. 10, 37. et aliqui exceperunt. Nam vt libro-

rum auctoritate nititur, ita et fert historiae testimonium, quod luculentum est in Ciceronis orat. Philipp. 11. cf. c. 12. quamquam de ipsis prouinciis, quae fuerint, ex Plutarcho, Appiano et Dione Cassio disputatur. Cretam diserte nominat Cicero de Bruto, alii de Cassio Cyrenen, quum ipsi alias obcupassent. Consules sunt M. Antonius et Dolabella.

desperatis: cohaeret cum *prouinciarum*, i. e. quum spem de obtinendis prouinciis amisissent, quae quidem postea, Antonio fugato, iis etiam decretae sunt, (Vellei. Paterc. 2, 62.) vti contenderat Cicero c. 1.

in exsilium: ita quidem praedicant apud Vellei. 2, 62. libenter se vel in perpetuo exsilio victuros, dum rei publicae constitisset concordia. Athenas autem petiisse, narrant auctores. Cf. Plutarch. in Bruto c. 24.

6. *florenti:* cf. cap. 11, 4.

abiecto: victo prostratoque; satis efficaciter.

sestertium: circiter 3400 thaleri.

CAP. IX. 1. *Mutinam:* h. Modena. De ipso bello lege ex multis Flor. 4, 4. Causa eius fuit testamentum Iulii Caesaris, cuius secundus heres Antonius, quum Octauium sibi praelatum vidisset, arma mouit, et resistentem D. Brutum Mutinae obsedit; ipse tamen post victus est.

diuinus: ex nexu valet praescius rerum futurarum, vt *diuinitas* et similia alibi; deinceps *diuinatio;* vtrumque ad signandum singularem, et solito maiorem prudentiam, quo facit cap. 16, 4. Quae sequuntur, primo intuitu parum respondere videntur, mouerantque Buchnerum, vt mallet *diuinitas* i. e. diuina natura. Quidam, quum eam mutationem libri respuerent, ita certe explicandum censuerunt. Sed causam subiicit noster, qua factum sit, vt sic se gereret Atticus, quasi callidissime omnia praesensisset seque parasset. *Bonitas* enim non est peritia, vt vult Staverenus, sed, quod adiecta postulant, insita a natura vsuque confirmata animi bona indoles. Sic infra c. 10, 3. bonitatis signa referuntur.

casibus: de fortunae mutationibus in peius consecutis omnino dicitur.

agitur: Voss. 1. *augetur*, quod et quidam vel posuerunt vel probarunt, tamquam ex obpositione dictum. At ea locum minime habet, vbi non incrementa bonitatis spectari possunt, sed eius constantia, quam infert vox *per-*

petua. Immo *agitur* pulcre conuenit hoc ſitu, quia, quod iactatur et concutitur, ſolet inde adteri et decreſcere; noſter *minuitur.*

2. *Hoſtis:* cauſam exponit Cicero in Philipp. 2.

ceſſerat: Galliam citeriorem petiit, et inde pulſus Alpes transiit, vt ſe cum Lepido coniungeret. Vellei. 2, 61 ſqq.

reſtituendi: paſſiue, i. e. eum reſtitutum iri, vt ſic paſſim gerundia et participia in *ndus.* Ipſum autem verbum in hac re vſitatum eſt, vti docet Ciceronis lectio; atque eo *ſalus* ſaepe etiam pertinet.

eius: deeſt in libris, etiam in ed. 1. et recte, quum nec orationis vis deſideret. Multi igitur vncis includunt. In inimicis autem acerrimum expertus eſt Ciceronem, vti ex Philippicis diſcitur. Talis etiam Brutus.

qui: edd. multae antiquae, ex recentioribus Manhem. et Rathiius, pro *qui* ponunt *amici,* quod, quum deeſſet in MSStis, recte expulit Boſius in ed. 2. Nempe putabant inimicis amicos obponendos eſſe, vti paullo antea eadem de cauſa dabant *augetur.* Intelligit autem omnino omnes qui, quum neutri parti adhuc ſtuduiſſent, iam aduerſariis obſequebantur et indulgebant. Hinc latius patet, quam *amici,* nec hos quidem excludit. Ita autem *dare ſe alicui* i. e. ſe adcommodare, ſequi — in hoc quidem nexu ponitur.

commendationem: ſic vnus codex; plerique *commoditatem,* vt ante Boſium editiones; aliqui vtrumque vocabulum exhibent. Boſius, quem ceteri ſecuti ſunt, praetulit *commendationem.* Ita quidem etiam Cicero in Philipp. 2, 1. *tuamque a me alienationem commendationem tibi ad ciues inpios fore putauiſti;* etſi alii illam vocem ignorant. Poſſit tamen alterum retineri, quod propius ſpectare poſſe videatur *ad laedendo* et *conſecuturos.* Poſſit et vtrumque adhiberi, ſi ſequentia cogites. Spoliatio enim commoditatem, obciſio commendationem parabat.

Antonii: ex libris antiquis reduxit Boſius in ed. 2. quod Lambinus mutauerat in *eius.* Vtrumque quidem poteſt abeſſe, ſed propter libros, et quod proxime pronomen praeceſſit, ad vitandam etiam ambiguitatem, melius *Antonii* retineatur.

exſtinguere: ſic pro obcidere etiam profaici ſcriptores. *Paro* cum infinitiuo et ab aliis iungitur.

quum: pro *etſi* per nexum. Poſt abeſt *et,* vt ſaepe ſolet.

4. *Volumnio:* fuit praefectus fabrum Antonii. Vid. cap. 12, 4. Ad eum ſcriptae ſunt epiſtolae Ciceronis 7, 2. 33. Eius mentio obcurrit ibidem 9, 26. in. Hunc autem locum noſter reſpicit infra c. 10, 2.

ſiſterit: plerique codices *praeſtiterit*, vti edd. aliquae veteres. At alterum verbum ſolemni etiam vſu comprobatur; hoc ex ſuperioribus huc defluxiſſe videtur. Senſus ex ſubiunctis elucet, et inluſtratur ex Cicerone de offic. 3, 10. vbi in notiſſima hiſtoria de Damone et Phintia; *Vas factus eſt alter eius ſiſtendi, vt, ſi ille non reuertiſſet, moriendum eſſet ipſi.* Atticus igitur fidem interpoſuerat, ſuo periculo Fuluiam in iudicio eſſe adparituram.

ſecunda fortuna: his verbis, quod a quibusdam libris abſunt, vncos adpoſuit Boſius et quidam alii. At habent veteres etiam editiones, et ex obpoſito *poſt calamitatem* obportunum locum ſibi vindicare poſſunt. Quare vncos remoui, vt nuper alii fecerunt.

in diem: ſoluendum in certam diem. Ita vero paſſim *dies* abſolute obcurrit, vt ad ſolutionem pecuniae referatur.

verſuram: vid. ad cap. 2, 4.

ſtipulatione: reſpondet ſponſioni. Stipulatur enim qui poſtulat, vt alter aliquid polliceatur, det — qui ſi admit, aut pollicetur, ſpondere dicitur. Eſt igitur h. l. ſine ſolemni promiſſione, pactione, omninoque ſimpliciter et aequa fide.

ei: quia abeſt in edd. multis antiquis, vncis incluſerat Heuſingerus. Poſſit quidem abeſſe, ſed quum et adeſſe poſſit, propter codices nunc vncis liberaui.

memorem: cum *gratus* ſaepe ſic coniungitur, vt in aliis, antecedens cum conſequente; ſc. beneficiorum.

6. *temporis:* vt tempori inſeruiret fortunaeque vicibus ſe adcommodaret.

7. *ſenſim:* varie legitur, *ſenſim* addito vel omiſſo *is*, *ſenſum in*, et poſt *optimatibus eius rei* ſc. cauſa; edd. aliquae *ſenſus, eius a* — quod explicant *φρόνημα*, iudicium, conſilium, propoſitum. At ſuperiora latius patent, quam vt hoc verbo concludi ſe patiantur. Magis adrideat Heuſingeri explicatio, quae et nexui propius reſpondet, vt ſit *clam, tacite*, quam ſignificationem vſu quidem rariorem exemplis fulcire ſtuduit. Vulgaris tamen etiam explicatio vocis locum habere poteſt, qua valet paullatim, de lenta progreſſione.

Cap. X. 1. *Ille:* verba *Ille* ad *forent* ſuperiorum editorum aliqui, praecedenti capiti adnectunt, nec male.

ſui iudicii: quidam gloſſam putant haec verba, vel etiam ipſum locum gloſſis auctum. Vti legitur, apte ſibi ſingula reſpondent, et τὸ *potius* comparationem infert. Sic *arbitrii ſui* apud Sueton. in Tiber. c. 18. ſc. vir, homo. Indicat autem eum, qui ſuum iudicium, non vagas incertasque aliorum opiniones ſequitur.

2. *eſt:* quia non adparet in 2 libris, tamquam ſpurium vncis continuit Heuſingerus, et reliqua, vt ablatiuos conſequentiae, cum proximis coniunxit. Eleganter quidem omnino, et forte hic probandum, ſi cauſam vel explicationem ſuperiorum Nepos ſubiiceret. At progreditur ad rem nouam et, vt ſupra, ſummam praeponit. Quam quidem rationem nunc etiam Harleſio probatam fuiſſe laetor. Contra τὸ *eſt* expulit Schmiederus.

futurum: codices alii omittunt, alii adponunt. Non igitur temere, quum commodius abſit, vti vere etiam abeſt in edd. antiquis, vncis cohibetur. Idem valet de particula *in* ante *periculo*.

imperatorum: Antonii, Octauiani, Lepidi, triumuirorum. Cf. Florus 4, 6, 1.

de foro: notatio otii et vitae ſolitariae.

oſtendimus: cf. ſupra c. 9, 4. In interpunctione figenda discrepant viri docti. Aliqui enim, praeeunte Gesnero, diſtinguunt poſt *oſtendimus*, et ſic ſubitam fortunae conuerſionem melius indicari exiſtimant; alii poſt *ante*. Neque tamen id paullo ante oſtenderat, nec adeo oſtendere poterat, quia de illo tempore ſine futuri reſpectu ibi loquitur. Si quis tamen inſiſtat, ad τὰ *opem tulerat* melius propter ſequentia referri poteſt.

periculo: non proprie in hac obpoſitione reſpondet *faſtigio*, ſed per eius explicationem et ſenſum, vt ſaepe fit, vbi ſenſus verborum, non verba ſpectantur.

habebatque: adpenſam copulam aliqui omittunt; ſed ita ſaepe iterari docuit Heuſingerus. Adde in primis Hannib. c. 2, 2.

Canum: non *Canium*, vt quidam dederunt, quippe quod cognomen illud erat Gelliorum. Memoratur idem in epiſtolis Ciceronis.

3. *ludo:* ſchola.

4. *ferebatur;* efficacius, quam *erat*, ad notandam vim, impetum.

eius: alii libri *suis*, quod saepe ex promiscuo vsu Grammaticis in *eius* mutatum putat Gesnerus, qui et hinc *suis* verius censet. Alii perinde habent. Saepe quidem vtraque ratione referri et explicari potest. Cf. c. 12. 5. Hic propter praecedens *ei* praefero *eius*.

proscribere: verbum Sullana tempestate frequentatum. Hinc Florus 4, 6, 3. de hoc tempore: *redit Sullana proscriptio.*

Attici: duo genitiui, vt aliquoties notatum est, hic tamen eiusdem soni iteratione molesti.

requisisset: includit consequens et reperisset.

statimque: i. e. sed vt statim, quo sensu passim in oppositis *et* praemittitur, vel *que* adpenditur. Tum repetendum hic est eadem de causa *vt* ex proximo *ne;* neque hoc insolitate. Denique nota structurae varietatem cum verbo *scripsit.* Causa haec: Priora continent praecepta, hortationem; posteriora narrationem, significationem. Sic in Hannib. c. 10, 6.

illius causa: vncis includitur, quia tantum in duobus codicibus est *eius causa* et in vno *illius*, omisso vocabulo *causa*, et deinceps *Gellium.* Heusingerus putat, *illius* effictum esse ex *Gellium*, et post adiectum *causa.* Contra Bosius Nepotem scripsisse censet *et illius causa Canum*, post adcessisse *Gellium; Canum* autem absorptae notam *ca* i. e. *causa.* Dissentiunt item recentiores editores, quorum sine suspicionis nota alii sincera haec declarant, alii *illius causa* vel *Gellium* vncis includunt. Quidquid est, certe Antonii beneficium et obseruantiam reddit luculentiorem.

in periculum: voculam *in* omittunt codices alii, alii praeponunt, et sic edd. discrepant. Heusingerus vncis signauit, quia putat, conuenientius h. l. idem indicare, quod adcidere, quod sic ponatur; alias τὸ *in* ferri posse. Atque hoc praetulerim, quum non omnino velit dicere, periculum adcideret, sed, quod ad Attici causam propius admouetur, ne hic in periculum decideret. Hoc autem sensu particula *in* ab auctoribus vsitate additur.

5. *esse:* omittunt libri quidam veteres, vt editiones aliquae recentiores, ne idem sonus auribus molestiam faceſſat; alii vncis cingunt.

6. *hieme:* tempestate; notum, vt tota metaphora, quam ad ipsam rei adcommodationem promouet. Cf. cap. 6.

CAP. XI. 1. *ſe:* ita omnes libri, quod licet fiat rariori vſu, quum *emergere* neutraliter ponatur, ita tamen etiam obcurrit apud Ciceron. de haruſp. reſp. c. 25. et Terentium in Andr. 3, 3, 30. Sic *ſe* paſſim additur verbis ſimilibus *erumpere*, *penetrare*, *abstinere* — contra in aliis omittitur, veluti *mouere*, *vertere* — quae eſt linguarum libido. Quare non opus erat, contra libros *to ſe* conuertere in *ipſe*. In verbo, ipſo *emerſerat* elegans eſt metaphora de calamitoſis — qui ad meliorem ſortem enituntur, adſurgunt. Ita vero praecedentem metaphoram, quam, inſerta voce *malis*, ſinitam innuerat, reſumit et, nouo augmento adſcito, perſequitur, ſic, vt alio conuertat. Nempe praecedentia ſalutem ex tempeſtate et mari ſcopuloſo continent, haec naufragii notionem adferunt. Ceterum hanc periodum ſuperiori capiti adnectunt quaedam editiones.

nihil: intentum ſtudium denotat.

imperatorum: triumuiros illos innuit, vt ſupra cap. 10, 2. At libri ſcripti et edd. antiquiſſimae habent *imperatoris*, quod pro *imperatoriis* dictum putat Heuſingerus; inſolentiori hic forma, ſenſu etiam minus promto, quippe quum imperatoria praemia magnitudinem potius indicare videantur, hic autem ipſi datores et auctores apertius producti deſiderentur. Forte ex *impetratis* per conruptionis gradus ortum eſt. Placuit tamen editoribus cum Grutero praeferre *imperatorum*. To *praemiis* autem actiue intelligi ex nexu debet.

Epirum: vbi praedia habuit Atticus. Vid. cap. 14. f.

res vlla: non male olim edd. aliquae *re vlla*.

2. *Qui:* libri quidam veteres *quin*, quod et concinnius videtur, quam alterum, quod non adcurate reſpondet praecedentibus. Tum vero poſt legi debet *inſtituit* — *iuſſit*, vti etiam poſuerunt Lambinus et quidam alii; certe prius *inſtituit* probat etiam codex. Alii *quin* ita retinent, vt coniunctiuum ſubiiciant, quem melius et rectius adtrahit *qui* in huiuscemodi explicationibus, i. e. *vt qui*, *quippe qui*, vt paullo poſt §. 4. Olim etiam quaedam editiones pro *inſtituerit* ferebant *inſtiterit*, quod, etſi poteſt intelligi, a codicibus tamen reiicitur.

Philippenſe: in quo Caſſius et Brutus ab Antonio et Octauiano deuicti obcubuerunt. Florus 4, 2. Philippi, vnde nomen, vrbs Macedoniae, h. *Filibah*, vicus in regione *Rum — Ili*.

Mocillam: ignotum cognomen. Quidam coniicit *Motacillam*, quod auis eſt nomen.

Samothraciam: fuit inſula maris Aegaei prope Thraciam, quae tota olim ſacra habebatur, et hinc aſylum praebebat. H. *Samodrachi.*

3. *neceſſaria:* at quis talia deſideret in breui vitae narratione, nili a garrulo ipſe garrulus? Lambinus igitur non inepte coniecerat *neceſſarium*. quod iam praeiuit editio Colonienſis et nunc excepit Schmiederus. Freinshemius propius ad libros nec incommodo ſenſu emendabat *etiam neceſſaria*. Poſſit tamen etiam vulgata lectio non male explicari, dummodo *neceſſaria* referas ad *omnia*. *Id enim*, quod vulgo poſt *difficile* ſubiiciebatur, aut vitiatum notabatur, quia abeſt a codicibus, nec ad rem valet, nunc cum Stavereno et aliis quibusdam planeſpuli. *Eſt*, Latine, non *ſit*, vt vulgo noſtrates.

temporariam: explicauit ſupra cap. 14, 5 et 6.

callidam: inſidioſam, captioſam, quae vtilitatis cauſa alios amplectitur et fouet. Vtrumque bene cohaeret et mox inluſtratur.

4. *venditauit:* officia ſua non iis obtulit, obiecit, qui in re publica plurimum valebant, veluti Sullae, Pompeio, Caeſari — Ita vero hoc verbum in Cicerone et aliis legitur. Olim cum MSStis editiones *vendicauit*, facili labſu.

florente: ſc. eo, i. e. Bruto, ex nexu. *Eo* etiam addit codex vnus. Alii olim ediderunt *florentem*, quod conuenientius adeo Nepotis ſtilo iudicauit Graeuius, probauit in nota Wetzelius et in textum inuiſit Schmiederus. At licet dura ſit illa ellipſis, comparationis tamen particula ducit ad Brutum, non ad Seruiliam. Similis nexus in Eumene c. 18, 2. Tum *florere* noto ſenſu rectius ad Brutum refertur.

5. *liberalitas:* actiue, erga alios.

malebat: in libris veteribus praeponitur *non*, quod et recentiorum aliqui propagarunt, et ſic explicarunt, vt ex Graeca imitatione duae negationes fortius negarent; quod etſi ſenſus poſtulat, tamen in vocibus *neque non* certis exemplis vix euincatur. Lambinus igitur aliam rationem inierat mutato verborum ordine, vt praeceſſeret *obliniſci*. Libere nimis Heuſingerus eiecto *non* ex edit. Pariſ. cui concinit ed. 1. cum aliis quibusdam propoſitam hic lectionem dedit, quod quidem remedium et breuiſſimum et paratiſſimum videtur. Secuti ſunt cum Harletio alii.

percepta: aptius quam *praecepta*, quod quidam libri veteres habent et Staverenus in prioribus editionibus.

6. *sui cuique:* respicit huc cap. 19. in. Eadem vero sententia et ab aliis frequentatur, et Cicerone teste in paradox. 5, 1. ex poeta aliquo ducta est. Post *ipsum* non *ipse* propter obpositum *fortunam*.

Cap. XII. 1. *Caesari:* Octauiano, post Augusto, qui ita ex adoptione dicebatur, vti in Horatio solet. Eius gener ex Iulia etiam factus est Agrippa. Vid. Sueton. in Aug. c. 63.

conditionis: verbum nuptiale. Nos *Partie*. Sensus: quum quamlibet ducere posset.

generosarum: generosam olim multae editiones. Perperam. Non enim proprie generosus erat Atticus et sensu Romano, quippe cuius maiores ad ordinem senatorium et magistratus curules non essent progressi, quod nec ipse Atticus adfectabat.

2. *constituendae:* abest in codicibus plurimis et editionibus antiquis. Debetur iudicio Manutii et Puteani, vnde recepit Lambinus. Tuetur tamen ipsa res et vsus, quia sic adpellari cupiebant et solebant. Vid. Sueton. in Aug. cap. 27. — In MSStis igitur olim fuisse videtur, R. P. C. *cuius*, ex quibus facile prius *c* absorberi potuit.

deprecandis: sensu auctiori et praegnanti potest intelligi, vt includatur depellendis, deprecando depellendis.

3. *cum eo:* haec verba in nullo codice leguntur, et ex Vrsini emendatione adcesserunt. Recentiores inde a Bosio probarunt, ita tamen, vt nonnulli vncos adposuerint. Alii legendum censent: *quicum* i. e. quacum, — *habitabat, habebatque*, hiulco vel duro nexu. Alii ante *habitabat* ponunt *Athenis*, vel *astu* ante vocem *studio*. Quibus aestimatis vulgata tamen magis placet, sic tantum immutata: *qui cum eo plures — habitarat*. Sic intercidit tantum *eo*. *Habitarat* autem propter sequentia. Neque tamen dissimilo, aegre loci nomen desiderari. Athenas fuisse, ex hac vita et Cicerone ad Attic. 7, 1. discitur.

philosophiae: Epicureum fuisse, ex Ciceronis epistolis viri docti contendunt.

possessiones: agros, praedia — omnino, vt nos.

consuetudine: verbo miti rem duram exprimit.

et recuperasse: haec obpositorum continuata series mutatae sortis celeritatem et Attici efficax studium bene indicat.

4. *Calidum:* omnes libri veteres *Calidium*, quod quum gentis nomen sit, non cognomen, *Calidum* inde a Rosiana ed. 2. praetulerunt viri docti. Ita tamen notatur etiam ex ed. 1. Eius carmina omnia interciderunt; proximorum nota sunt.

fabrum: pro *fabrorum;* forma antiqua et in hoc nexu solemnis.

5. *in praesenti:* Sensus est: aeque laboriosum ac glorioſum fuit. Tum vero languere videtur *in praesenti*, quia illo quidem tempore laboriosum esse poterat et erat, sed postero etiam glorioſum. Mouit id Heusingerum, vt ex veterrima editione reponeret *inpetratum* omisso *vtrum*, quod quidem insolitum non est. Probauit in nota Wetzelius, sed, quod equidem sciam, reddidit vnus Hauſius, ceteris renitentibus aut renuentibus. Nempe etsi fere possit primo ictu haec lectio, haeret tamen in praecedentibus *relatum* et *expediuit*, siue sonum obiicias, siue sensum. Sed nec *laboriosius* bene aptèque cum *inpetratum* componitur. Verba igitur *in praesenti*, quae legunter in omnibus MSStis, remoueri non possunt, etsi, quum praesertim nihil habeant, quod deinceps respondeat, languere videntur. Ad vtrumque tamen valere, et ad *laboriosius* et ad *glorioſius*, inde contendi posse videtur, quod non post *vtrum* posuit, sed in aditu sententiae et quasi in fronte.

quod: molesta hic est initio sententiae pronominis huius repetitio. Post *τὸ eorum* respicit antea commemoratos, a quorum exemplis ad omnes omnino amicos argumentando progreditur.

CAP. XIII. 1. *Neque vero:* haec verba ad *ciuis* quidam, vt Bosius et in ed. 1. Staverenus ad praecedens caput reiiciunt; minus bene propter argumenti diuersitatem.

habiens est: pro *fuit*, cum respectu ad famam et existimationem publicam. Post *quum* ex nexu, vt supra, valet *etsi*.

optimis: lectissimis, cultissimis, quia ad supellectilem refertur. Sic supra in Agesil. c. 18, 5. de cibis. Et sic varie, prout fert nexus. Cf. Publius Syrus v. 96. Ceterum aedificandi et splendide habitandi furor diuitum animos illo tempore conripuerat, quem grauiter praeter alios castigat Horatius.

2. *colle:* ed. 1. cum MSStis *valle*, etsi alteram etiam lectionem notat codex Vossianus, quam veram esse alio-

rum teſtimonia de Attici aedibus euincunt. Erant nempe prope Quirini templum illi colli inpoſitum.

auunculo: Caecilio. Cf. c. 5. in.

amoenitas: proprie de locis. *Siluam* Heuſingerus explicat manu ſatam, vmbrae et amoenitatis cauſa. Cf. Horat. 3. od. 10, 5.

ſalis: elegantiae, gratiae. Miro et inſolite ad domum transfertur. Nulla enim inter tectum et ſalem intercedit aut exquiri poteſt ſimilitudo. Quidam adeo de lectionis fide dubitant.

niſi ſi: pertinet ad exceptionem, moderationem praecedentis ſententiae, quae, ſi verbo adfertur, adiunctum habet *ſi*, vt ſaepe in Ciceronе. Minus igitur bene hic quaedam edd. olim omittebant et in prieri Boſius. Sed ſic et alibi peccatur.

coactus eſt: repete verbum *commutare* ex praecedentibus.

3. *familia:* famuli, ſerui; mox *pueri*, quos bonos, non formoſos fuiſſe declarat.

literatiſſimi: Nepos quidem ipſe fragment. 6, 3. vulgo ſic vocari ait, qui aliquid diligenter ſcienterque poſſint aut dicere, aut ſcribere. Hic tamen proprie literis excultos, linguarum peritos videtur indicare, et genus conſtituere, ad quos proximos referat.

librarii: qui libros deſcribebant.

pediſſequus: apte ad vinidam deſcriptionem literatae domus ſubiungit, quia in hoc certe nemo literarum inſcitiam culpet.

vtrumque horum: ex ſenſu praecedentium per ſyneſin huc arceſſe legere et deſcribere.

4. *artifices:* vltra cultum intelligi non debent, v. c. funambuli, gladiatores, vt quidam faciunt.

factum: ſc. artificem, de inſtitutione, exercitatione.

videas: ſc. fieri. Sic τὸ *ſolet* ponitur.

potius: deeſt in quibusdam codd. et ed. 1. et abeſſe vult Schottus, vt in Datame c. 8. in. Vncis igitur antea incluſerat Staverenus, quos tamen poſtea, monitus ab Heuſingero, remouit. Forte talia ſaepe librariorum vitio omiſſa ſunt, et in hoc nexu modo *potius*, modo *quam* deſideratur. De *diligentia* cf. cap. 1, 2.

5. *Elegans:* cernitur in apto rerum delectu cultuque exquiſito. cf. Phaedrus 2, 2, 4. Ex hoc loco differt etiam a *magnificus*, quod tamen incluſit Erneſti in claue Ciceron. h. v. Nos: *geſchmackvoll*, *ohne Pracht*.

adfluentiam: ita codices plerique, cum quibus dedi, relicto Bosio et Stavereno, quibus placuerat scribere: *munditiem non adfluentem;* nempe vt obpositionis perpetuitas constaret. Alias etiam difficilius et componitur et intelligitur *munditia adfluens*, etsi ad nimiam et luxuriosam diffundat Staverenus.

neutram —: haeserunt hic viri docti, et aut deesse aliquid, aut verbum *conspici* corruptum putarunt, quod tamen bene habet et de rebus, quae oculos in se convertunt, dicitur. Sed de verbis coniunctis videndum est ex ratione et vsu. *In neutram partem aliquid conspici* dicitur, vbi incerta inter duas res fluctuatur sententia, vtra in vtra consistat, ignoret aut dubitet. Inlustrat hoc in primis clarissimus locus Ovidii in Tristib. 2, 113. *domus neque diuitiis, neque paupertate notanda, vnde fit in neutrum conspiciendus eques;* i. e. vt nec diues, nec pauper haberi adpellarique possit. Et sic est explicatio per consecutionem, in qua alterutrum remouetur, medium s. tertium ponitur. Quod si huc adcommodes, diuersa videtur obuersari ratio. Non enim vtrumque vel ponitur, vel tollitur, sed alterutrum, et tum sensus esse debet: supellex fuit, quam modicam, nec tamen multum diceres. Languide! Postulat vero vox *neuter*, vt vtrumque remoueatur. Quod Bosius alique volunt esse supellectilem, quae nec ad sordes, nec ad luxum deflectat, summum id est, non datum. Librarii sine dubio, vt ad superiorem formam adcommodarent, omiserunt *non* ante *modica*, quod seruauerunt ed. r. et aliae quaedam antiquae, et postea addidit Gebhardus, refragante quamuis Heusingero. Ita vero consueta ratione et forma sensus efficitur hic: satis iusta erat supellex, in qua nec modum, nec copiam desiderares. Sed satis.

6. *hoc:* ita Latini solent, quando sequentem rei commemorationem innuunt. Quia in libris quibusdam non adparet, vncis notauit Heusingerus. Melius ex illo vsu adest.

lautus: quod quidam ad diuitias referunt, nexus de epulis vult intelligi, quod et confirmat Iuuenalis 11, 10.

scimus: molestum et languidum primo intuitu videtur, visumque etiam est pluribus. adeo vt expellere tentarent. Sedem illi tamen suam vindicant verba *ex ephemeride*, quae alias temere posita sint, vt bene monuit Kappius. Quae subsequuntur, non obstant, sed certam et vberio[illegible] afferunt. Hoc vnum obsendat, quod

nimis vtrumque (*ſcimus* et *ex ephemeride*) disiectum videatur, certe non ſit auctoris, in breuitate perſpicuitatem ſectantis.

terna: quum aequent hodie ſummam circiter 30 imperialium, nimis tenuem, ſi vel maxime vilem tunc Romae annonam fuiſſe et ex agris et praediis plurima eum ſubſidia petiiſſe velis, quidam maluerunt *tricena* i. e. 300 thaleros, quae ſumma modum minime excedit in homine, qui a patre tantam pecuniae vim relictam adceperat. Modicas tamen ſolitoque minores inpenſas eum feciſſe, tota narrationis forma declarat.

ephemeride: diario. Notare enim talia olim diligentes Romani ſolebant, et hinc ſaepe memorantur tabulae adceptorum et expenſorum.

CAP. XIV. 1. *acroamata:* apud Latinos fere de hominibus, qui voce et cantu praeſentium aures delectant. Vid. Erneſti in claue Cicer. h. v. et ad Sueton. Aug. c. 74. excurſu 8. In conuiuiis acroamata adhibita diſerte etiam commemorat Plinius in epiſt. 6, 31.

2. *vocabat:* inuitabat. Sic ſaepe, vt Graecorum καλεῖν.

adceſſio: auunculi hereditates, cap. 5, 2.

vicies: circiter 60 milia imperialium, vt centies 300 milia. Ceterum nota eſt locutionis forma compendio reddita, pro vicies centena milia ſeſtertium, et ſic deinceps.

faſtigio: conſtantiae aequalis notatio in tuenda animi dignitate et indole. Senſus, vt ſe numquam vel extulerit, vel demiſerit. Non igitur neceſſaria eſt Barthii emendatio Aduerſar. 145, 41. *veſtigio*, etſi per ſe non mala. *Vtraque fortuna* ex nexu diuitias minores et auctas indicat.

3. *hortos:* et quae ſequuntur ad Romanorum luxuriam et ſumtuoſam magnificentiam ſpectant.

vſum: cf. c. 12, 2.

CAP. XV. 1. *mendacium:* idem de Epaminonda praedicauerat in vita c. 3, 1.

comitas: diſtincte ponit et diuiſe; alii in vtraque ratione coniungunt. cf. Cicero pro Murena cap. 31.

difficile: forma vſitata in notanda rerum diſſimilium mira conſociatione difficilique ſingularum aeſtimatione. *Vereri* eſt reuereri.

promittebat: nempe, ſi quid rogatus erat, quam moderationem ipſa res infert. *Religioſe* eſt caute, certa fide.

2. *nitendo:* dum nitebatur, quae adnuiſſet, praeſtare. *Tanta cura* in ablatiuo intelligi debet, propter *idem*. Etſi

paullo hoc est insolentius, minus tamen, quam anacoluthon in *idem* pro *eidem* effingere. *Semel* est omnino, primum, vt repetitione promissi minime opus fuisse adparuerit.

admisset: alii quidam, etiam editores, *admisisset*. Illud tamen est accommodatius de promissis rogando excitatis. Tum hinc progreditur et cum variatione proximis noua adiicit.

mandatum: igitur alienam, cui opponitur ideo *suam*.

existimationem: benam famam, aliorum iudicium. Cf. in Catone c. 2. f.

3. *Marii*: vncis includunt, quia varie in libris legitur fideque dubia; *M. que Hortensii*, *Marci Q. H.* vel *Marcique H.* Ex *Marci* Q., quum ineptum esset, et duo praenomina male iungeret, finxerunt *Marii*, qui tamen Attico admodum adolescente mortuus erat. Alii vtrumque scriptum fuisse putant *M. Q.* vt praepositum nomini *Ciceronum*, post a sua sede motum, quam illi adeo assignauit Lambinus et quidam alii. *Q.* praenomen commode possit referri ad Hortensium, sed *Marii*, vel vt est in libris, *Marci* male redundat. Hinc aliqui *M. Catonis*, *Q. Hortensii* emendarunt. Illam vero cum Hortensio et Torquato amicitiam adtigit cap. 5, 4. et 11, 2.

Cap. XVI. 1. *adolescens*: agens annum 27. quum Sulla ageret 55. Post Atticus senex annorum 66. Brutus adolescens annorum 22.

iudicare: vt cap. 12. f. et hic libri veteres. Minus recte *iudicari* Lambinus cum Bosio.

2. *Quamquam*: quando non sequitur *tamen*, vt hic, subiecta exceptione vel moderatione praecedentia respicit.

3. *iam*: abest in libris antiquissimis, et abesse potest; et fortasse totum hoc.

volumina: libri, quae verba promiscue ponuntur in praefat. extr. Cf. in Epam. c. 4, 6. et sic in Iustino lib. 1. extr. et alibi. Esse autem hodie 16 illarum epistolarum libros constat. Igitur *vndecimi* in quibusdam MSStis ex *VI decim* natum videtur. Tum vero *ab consulatu* latius et vage dixit. Nempe vndecim priores epistolarum libri scripti sunt ante consulatum, quem adiit a. V. 690.

extremum: anno ante, quam Cicero periit. Periit autem a. V. 710.

4. *principum*: optimatium, in iisque Caesaris, Pompeii et similium.

adpareat: apertum sit, et oculis quasi expositum; proprie.

diuinationem: cf. c. 9. in.

5. *cecinit:* vsitate de vatibus, poetis, oraculis. De re vid. Cicero ad diuers. 6, 6.

Cap. XVII. 1. *suae:* alias, vbi per se intelligitur, omitti solet.

extulit: verbum de mortuorum sepulturis solemne.

numquam: acute dictum; consequens pro antecedente.

2. *interfuisse:* pro fuisse; apte et eleganter de coniunctis.

3. *natura:* de ingenio a natura insito.

percepta: soni consisio, quam non semper cauerunt veteres, vbi nihil valet ad ipsam rem auribus etiam infigendam, notatur.

Cap. XVIII. 1. *antiquitatis:* intelligit historiam antiquam. Cf. c. 20, 2. De *more maiorum* c. 6, 2.

volumine: inscripsit eum librum *Annalem*, vt noster indicauit in Hannib. c. 13. in. Et sic in Cicerone ad Attic. 12, 23. adpellatur, qui cum saepe laudat, et septingentorum annorum memoriam continuisse adfirmat.

ornauit: sic omnes libri. Viri tamen aliqui docti malunt *ordinauit*, quae verba passim commutantur. Si nexum consideres, requiritur vtique verbum, quod adcuratam magistratuum notationem et recensum seruato ordine indicet, vt ipse bis postea subiicit *suo tempore notare, ordine enumerare;* vnde haec praecipua Attici cura fuisse videtur, quippe quae et in Annalibus maxime probatur. *Ornare* enim, quod nihil aliud esse potest, quam res gestas copiose expositas laudibus excolere, minus aptum videtur, neque eo, quod §. 6. legitur, quum adiunctum sit consilio primario, satis vindicari posse puto. Neque tamen tollere ausus sum, quum forte respexerit huc verbo *declarare* §. 6.

2. *subtexuit:* eleganter, i. e. inseruit, rerum summae admiscuit.

propagines: metaphora a vitibus, arboribus ducta. Nos vulgo *Genealogie.*

3. *vt:* particula haec vsum habet, vbi aliquid exemplo subiecto illustratur. *Brutus* fuit ex gente Iunia.

qui, a quo: magna breuitate potiores res complectitur, vt sit, a quibus, quisque maioribus ortus. Hic relatiui

pronominis vſus et alibi notatur. Cf. in Epam. c. 1, 4. Timol. c. 2, 2.

2. *Marcelli:* ſc. *rogatu*, quae vox etiam in proximis nominibus, *Scipionis* et *Fabii*, ſubpleri debet, vt in ceteris genitiuis nominum pluralis numeri *familiam* ex ſuperioribus repeti. Tum notandum eſt, cognomen gentilitio nomini praepoſitum eſſe, vt ſupra in Hannib. c. 4, 4. Alii genitiuis pluralis numeri *de* praeponunt et poſt *Marimi* addunt *Corneliorum*, praeeunte Lambino, quem et nuper ſequi malnit Rathiius, ſed ſine codicis ſubſragio et ex duriori ellipſi. Tum etſi *Corneliorum* abs re minime alienum habeatur, *Aemiliorum* tamen gentem praeoptatam a Scipione putant, quia Scipio Africanus minor natus patre L. *Aemilio* Paullo, adoptatus ab Africani maioris filio, in Corneliorum familiam transierat, vnde etiam dictus eſt Aemilianus.

cupiditatem: codex vnus *auiditatem;* fortius quidem, ſed praeter rem.

6. *imaginibus:* apte ad rem inluſtrandam admouetur locus Plinii in hiſt. nat. 35, 2. *Imaginum amore flagrasse quondam, teſtes ſunt et Atticus ille Ciceronis edito de his volumine, et Marcus Varro beneficiſſimo inuento, inſertis voluminum ſuorum fecunditati non nominibus tantum ſeptingentorum inluſtrium, ſed et aliquo modo imaginibus.*

quinisue: ita nunc dedi, quia in hoc nexu vſus Latini ſermonis poſtulat. Praeiuerunt etiam editiones quaedam veteres, et habuiſſe videntur reliqui codices Stavereni, quum ex duobus tantum *que* adnotauerit. Nempe vulgo fertur *binisque*, etiam hodie in quibusdam. Particularum iſtarum confuſio aliunde etiam eſt nota.

credendum ſit: credibile ſit. Notandus hic gerundii vſus, illa aetate rarior.

conſulatu: quem geſſit a. V. 690. Meminit ipſe Cicero ad Attic. 2, 1. in. vbi *commentarium* vocat.

Cap. XIX. 1. *Hactenus:* haec ad *ſunt* quidam praecedenti capiti adnectunt.

Nunc: igitur, quae ſequuntur, ſcripta ſunt poſt annum 721, quo mortuum eſſe Atticum ex ipſo Nepote cap. 22, 3, adparet.

perſequemur: de adcurata expoſitione, narratione, vt Gr. διεξελθεῖν, διεξιέναι.

ſupra: cap. 11, 6. vbi dicit *fingunt.*

Iulii: abeſt a multis libris, quare etiam a Boſio aliisque vncos adtraxit. Contendunt autem viri docti, in primisque Boſius ex numis et lapidibus euicit, *Divi* (i. e. Iulii Caeſaris) *filium* proprium tunc fuiſſe cognomen Octaviani, antequam Auguſtus vocaretur. Neque tamen deſunt numi, in quibus *Iulii* etiam additur, et vel Caeſaris nomen praecedit, vel Auguſti ſequitur. In vtramque igitur partem de hoc nomine disputari poſſit, nec diuerſi regiminis genitiui moram faciunt. Vero eſt ſimilius, per explicationem adceſſiſſe.

elegantia: vid. cap. 13, 5.

principes: veluti Pompeium, Caeſarem, Antonium, Brutum, Ciceronem. — Pro *ceperat* antea in edd. quibusdam vetuſtis legebatur *anteibat*, proiectum tamen poſt *humiliore*, idque probat Schmiederus, mutato etiam ex vno codice *humiliore* in *humiliores*, vti pro *Caeſarem* in ſequentibus mauult *eum*, ſic vt haec verba ad Caeſarem vnice referantur. Tum vero concinnitatis cauſa forte debebat dici *pares*, ſed, quod grauius eſt, idem fere poſt redit, et contra libros τὸ *Caeſarem* inmutatur in *eum*. Sed cf. proxima nota. Ceterum hinc intelligitur, ante cognomen Auguſti Octaviano decretum haec ſcripta fuiſſe; i. e. ante a. V. 726.

Caeſarem: totus hic locus vsque ad *conſequi* maxime agitatur ab interpretibus in codicum praeterea diſſenſione. Vt paucis defungar, quum ſingula hic perſequi non liceat, *Caeſarem* exhibent libri omnes, vel certe leui inmutatione *Caeſarum*, vnde *Caeſarem eum* recentiores aliqui etiam excluſiſſe videntur et in ipſo contextu poſuiſſe. Sed primo intuitu non ſtatim adparet, vnde ad eum ſubito deflexerit. Neque enim arctius illa cum proximis cohaerent, et in alienas laudes longius euagantur. Attamen non magis apte ad Atticum referas, cui vix talia tribui poſſunt, quidquid contendit Heuſingerus. Tum etiam, quae ſubſequuntur: *Nata autem eſt Attico* (non *ei*) indicant, excurſu quaſi confecto ad Atticum redire. Igitur de Caeſare potius hanc periodum intelligendam cum aliis exiſtimat Boſius, in qua ſic tamen connexus arctior et facilior deſideratur. In laudes autem Auguſti excurrendi quantum tunc ferunerit concertantium ſtudium, docent auctorum loca plurima. Vncos igitur nunc remoui. De Attico tamen cf. ad hanc quaeſtionem c. 21. in.

nemo: verba *nemo adhuc* eiecit Heusingerus, quia ad Atticum haec vnice refert. Plerique libri omittunt; alii, vt ed. r., totam hanc sententiam *quod nemo — consequi* respiunt; quod etiam conciliari saluo sensu potest. Elegantius tamen in duo membra distenditur sententia, eiusque clarior emicat expositio, quae singulis verbis *tribuerit, conciliarit* adponitur.

3. *neptis:* Vipsaniam vocat Tacitus Annal. 1, 12. et 3, 19. Agrippinam Suetonius in Tiberio c. 7. M. Vipsanii Agrippae filiam (cf. c. 12. in.) ex Pomponia, Attici filia. Tulit igitur, quod notandum est, non patris tantum nomen, sed et cognomen.

Tiberio: post subcessori suo.

sanxit: antiquissimam et quasi sanctissimam coniunctionem praemisso etiam vocabulo necessitudinis efficaciter declarat, et apte vtrique substantiuo verba adiungit.

Cap. XX. 1. *abesset: esset* codices aliqui et vetustae editiones; non sine exemplis quidem, neque tamen bonis, aliis renitentibus obtrudendum. Vnde post *abesset* ed. Manhemiensis deduxerit *Caesar*, quod nomen subintelligi tantum ex connexu debet, ipse eius auctor nouerit.

mitteret: indicatur hic tantum, quod deesse rant sequentia, sc. scriberet, interrogaret. Sic saepe cognatae significationis verba desunt, vt in *comparare*. Vid. in Thrasyb. c. 2, 2. Hic facile subpletur *literas*, et Cicero, etiam absolute, saepe ponit pro scribere, nuntiare. Ita Graeci ἐπιστέλλειν.

2. *infinitas:* mirifice auget.

frueretur: lectissimum verbum, quo intimam amicitiam ad fructumque vberrimam signat. Sic et nos.

temere: cum negatione saepe in tali nexu est *facile*. Quidam libri vel *tamen*, vel *temere* omittunt.

intercessit: plerique libri *intercesserit*, quod cum Heusingero minime adspernor. Est enim forma modeste et dubitanter adfirmantis.

quum modo: ita dedit Bosius ex vno codice, quum alii habeant *quo non dliquid*, quod propter proxima obsendit. Tum minime est vero simile, quotidie de antiquitate ab eo requisiuisse; immo nunc per partes et singulatim de vario epistolarum argumento exponit.

antiquitate: vt supra de antiqua historia. v. cap. 18. in.

'eliceret: eleganter et apte ad ſignandam Attici tardam cunctationem et Caeſaris indefeſſam et ingenioſam operam. Idem apud Ciceronem et re et verbis obcurrit.

1. *Feretrii:* nomen varie et deriuatur et explicatur, quod pacem, vel bellum, vel arma, ſpolia rapta ferat. Cf. Liuius 1, 10, 8. Florus 1, 1, 11, — ex quibus ſimul cauſa conditi templi (nam ſic *aedes* dicitur) adparet.

detecta: tecto priuata. Notae ſunt Horatii querelae et adhortationes in odis effuſae.

4. *ex vltimis:* diuexant codices haec verba male diuellendo, poſt etiam augendo. Nempe ferunt illi: *exul tum iis terris, exul eum literis.* Erroris cauſa et origo elucet ex ed. 1. quae dat *exultum iis terris.* Nullae autem terrae praecedunt, quas reſpiciat. At inuenit Ernſtius in MSStis *ex vltimis terris*, locutione ſolita h. l. ex Aegypto, in quam hoſtis iudicatus (c. 9, 2.) ex Italia cefferat. Quas quidem codicum conruptiones adpoſui, vt agitare et acuere ingenii ſolertiam adoleſcentes poſſent.

quid curae: quidam libri, in iis ed. 1. *ageret, curae ſibi haberet, certiorem facere Atticum*, vt hodie etiam aliquae poſt Heuſingerum, diuerſo ſenſu. Probauit Heuſingerus, hac ratione motus, quod non ſcribamus, quae nobis curae habeamus. Neque tamen vel ſic vulgatam repudiem, quam et ſuo ſubfragio muniuit Harleſius, quia ſtudium et cura vocabulo *adcurate* declaratur, amicitia et coniunctio ex argumentis epiſtolarum probatur.

5. *obtrectatio:* vid. in Ariſtide c. 1, 1. Adparet ex hoc loco, adceſſione facta eam ex aemulatione oriri.

incidere: ita omnes libri antiqui. Poſt aliqui *intercedere*, non male quidem, quia ſic eadem res in adcommodatione vel translatione eodem verbo reddi ſolet. Sic initio capitis *miſit — mitteret.* Negauit praeterea Graevius, τὸ *inter* in hoc nexu locum habere poſſe. Excitauit tamen ex Quinctiliano 11, 1, 70. ſimilem locum Heuſingerus, qui ſimul monet, *inter* non a verbo, ſed a nomine *obtrectatio* pendere; quamquam et illud poteſt. Si libri addixerint, praetulerim *intercedere;* nunc vulgato adquieſco.

Romanae: Romae exſtat in 4 codicibus et receptum eſt in edd. quibusdam. Vtrumque recte dici poteſt, vt alibi etiam variatur, veluti in Liuio 3, 7, 4. Velleio 2, 11, 1. et alibi.

CAP. XXI. 1. *proſperitate:* quam quidem non numquam interpellatam fuiſſe, Ciceronis epiſtolae indicant.

annos: sc. pr. Heusingerus ex 2 MSStis et antea aliqui dederunt *annis.*

nactus: rarior haec locutio, quae tamen passim et alibi ad mala refertur. Sic Sueton. in Tito c. 10. *febrim nactus.*

2. *tenesmon:* ita nunc reposui, etsi plerique codices et multae edd. dant per *a.* Graecis enim est τεινεσμὸς, quem sic describit Celsus 4, 18. *In hoc aeque atque in torminibus frequens desidendi cupiditas est; aeque dolor, vbi aliquid excernitur. Descendunt autem pituitae mucisque similia.* Nobis *Stuhlzwang.* At inde adparet, male coniectasse medicos.

proponebantur: remotius, quam adhibebantur, admovebantur.

3. *vnum:* Heusingerus magis definite, sua tamen solius auctoritate, *imum,* quod et voluit Barthius et repetierunt hodie Schmiederus et Rickleffius. Commutantur etiam passim illae voces. *Vnum* explicant solum. Ego vsitata ratione intelligo, quia obpositio nec adest, nec subintelligitur.

prorupit: obsendit eiusdem verbi facta deinceps inualida quidem repetitio. Forte hic *prorsit.*

fistula putris: per varias formas haec verba flectuntur. In varr. sunt *fistulae,* et, quod fere omnes habent, *puris* vel *pus,* in edd. quibusdam antiquis *putris.* Verbum tamen *eruperit,* cuius forma itidem variatur, non satis *fistulae* adcommodatum videtur. Vnde vel *pus eruperit* scriptum fuisse non temere putat Bosius, et ex interpretationis glossa inlatum vocabulum *fistula;* atque ita dedit Schmiederus. Alii *fistula pus eruperit.* Plerique *fistula putris eruperit.*

4. *prinsquam:* hoc et *postquam* male concurrunt, nec aures solum, sed, quod grauius est, sensum laedunt. Nempe quum consilium de vita per inediam finienda quinto ante obitum die (c. 22, 3.) ceperit, vix prius igitur, quam id adcidisset, vt per lumbos pus erumperet. Nec commemorat, quid prius factum sit, sed statim *postquam* subiicit. Excidisse igitur versum non temere iudicant, quem Gruterus et qui eum sequuntur sic subpleuerunt: *Atque antea quidem morbi diuturnitatem molestie ferebat, prius-quam hoc ei adcideret.* Sed sine libris ad dubias coniecturas ea relabuntur. Si quid effluxit, post *adcideret* factum potius putem. Lacunae signa inter *adcideret* et

poſtquam poſuit Rickleffius. *Priusquam* cum inperfecto ſolet noſter coniungere.

in dies: ſic Latine, non, vt vulgo, *de die in diem.*

arceſſiri: antiqua forma, quam et hic, et alibi tuentur boni codices. Sic *laceſſiri.* Quidam tamen hic vſitate *arceſſi.* Inter vtrumque pendet editionum lectio.

Balbum: vterque familiaris Attico.

5. *inixius:* compoſitum praeferunt libri antiqui; poſteriores *nixus.* Alias viri docti malunt *inniſus* pro *innixus*, et ita certe ſcribitur in optimis libris.

neceſſe: ſic codd. et edd. antiquiſſimae. Poſteriores quaedam edd. *opus eſt.* Boſius ſuſpicatur, neutrum eſſe a Nepote, quum *nihil eſt* idem per ſe et ſimpliciter valeat; quae quidem ſtructura paullo eſt rarior.

feciſſe: ita libri antiqui, edd. etiam veteres; ſed ſtructura inſolentiori, quum non habere videatur infinitiuus, vnde pendeat, quocumque modo explices vel vertas *τὸ ſatisfeci.* Explicant autem: quibus rebus declaraui. At praeterea ex obpoſitione *egomet mihi* adparet, *τὸ quibus* non ad res, ſed ad homines illos praeſentes, vſitata ſtructura referendum eſſe. Cui quidem difficultati ſic quidam mederi ſtuduerunt, vt reponerent *nihilque reliqui feci*, etſi hoc remedium contra libros eſt paratum. Quodſi librorum pertinacem conſenſum audias, in verbo *ſatisfeci* praegnans vtique latet ſignificatio, quae et praecedentia et ſequentia amplectatur, ſic fere: quibus (teſtibus) quoniam ſatisfeci ſimulque docui, me — Quidam, vt nuper Huttenus, verba *me nihil — pertineret* prorſus recidunt.

6. *ſiat:* de certo firmoque propoſito. Additur alias, quod ellipſin ſubplet, *ſententia.*

potionisque: plures et hodie omittunt. Adieci tamen, adprobante etiam Harleſio, quia addunt libri antiqui cum ed. 1. nec repugnantiae aliquid adfert, niſi ſic amputare plurima loca velis.

dehortando: quidam cum codice Leid. 1. ſubiiciunt *inpedire*, quod tamen a gloſſatore profectum videtur, quum et illo abſente explicari ſententia recte poſſit.

Cap. XXII. 1. *domo:* metaphora elegans, qua, vel ſimili veteres vtuntur. Plato ἀποδημεῖν, Paullus ἐκδημεῖν.

obſecraret: nota rogantis contentionem, amoris feruidioris et ſolliciti ſignum.

quod: repete *ad.* Mortis haec eſt notatio lenior.

adcelerauit: Heusingerus praeposuit *sibi*, quod recepit Wetzelius, et, omisso *ad* ante *id*, Schmiederus. Nempe dativus, quem pro nexu vocant commodi vel incommodi, putatur. Nec temere, licet repugnet Staverenus, quia adiicente vsu ferunt etiam editiones aliquae veteres. Potest igitur vel addi, vel negligi, ita tamen, vt, si addatur, durius illud *ad* ante *id* abiit.

temporibus: esse supra tempora, mala, neque ab iis obprimi, explicat Heusingerus, a quo non dissentit Harlesius. De vitae spatio Manutius et alii intelligunt. Equidem ad vitae terminos a natura constitutos, quos egredi vel contrahere inedia tentabat, maxime retulerim. Tum vero est instantis amici variata forma obsecratio.

deprexit: cum delectu, vt, quanta animi luctatio preces reiecerit, declararet.

2. *se:* alias omittitur, quod et hic faciunt aliqui libri. Sic supra c. 11. in. *se emergere.*

3. *Coss.:* ergo a. V. 721. *Apriles*, pro quo et hodie aliqui *Aprilis*, perinde probum est, etsi illud veteres magis probasse contendunt.

bonis: de optimatibus, nobilibus explicatur. Sed et proprie de probis omnino intelligi potest. Prius tuentur *vulgi.*

Appiam: quae sepulturis inclaruit. Intra Vrbem enim per legem 12. tabularum et decreta pontificum non licebat.

NEPOTIS FRAGMENTA.

Fragmenta: conlegit ea primum Schottus, post supplevit et emendauit Bosius, denique auxit Iac. Frid. Heusingerus. Auctorum loca, vnde petita sunt, diligenter indicata ex priori editione repetii. Breuissimas vero notas subieci, quia non ipsa sunt et sola Nepotis verba, sed vel varie inflexa et adcessionibus forte subinde aucta; tum quod in ipsa orationis serie, cui sunt intexta, et melius intelliguntur, et aptius explicantur.

CHRONICORVM LIBER I.

CAP. I. 1. *Chronicorum:* tribus haec libris complexus erat, qui a pluribus veterum memorantur. Hinc vero adpensa laude Catullus epigr. 1. *aufugis es vnus Italorum Omne aeuum tribus explicare chartis Doctis, Iupiter! et laboriosis.*

C et LX: Freculphus tamen Chron. Tom. 1. lib. 3. c. 7. diuerſa ex Nepote refert ſic: *Homerus poeta in Graecia claruit, vt teſtatur Apollodorus Grammaticus — ante Vrbem conditam anno centeſimo viceſimo quarto,* et, *vt ait Cornelius Nepos, ante Olympiadem primam anno centeſimo.* Quae discrepantia, ni velis ipſum Nepotem diuerſas auctorum ſententias adpoſuiſſe, ex confuſis auctoribus et numerorum notis LX et XL facile intelligitur.

3. *regnante:* ergo a. V. 81-113.

poematis: forma in his nominibus non infrequens, vt *epigrammatis, ſchematis* — pro terminatione in *ibus.*

5. *trecenteſimo* —: at conſules illi fuerunt a. V. 481. Cat. Cf. Liv. 7, 18, 6. Immo illo anno, qui hic vulgo notatur, nulli fuerunt conſules, ſed tribunii militum conſulari poteſtate. Error videtur eſſe Solini male deſcribentis. Alexander autem vulgo a. V. 598. natus creditur.

6. *maiorem natu:* recte, quod annorum ſubputatio comparata docet, vnde Nepos errare cogatur, ſi *aequalis* cum vitae Terentii auctore de eodem natiuitatis anno preſſius intelligas. Ceterum melius ad cap. 3. proferatur hoc fragmentum.

omnibus quae — alant: ſic repoſui quod ad nexum propius valet, nec libris aduerſatur, in quibus exſtat etiam *omnibusque — alant.* In Muratorii ſcriptorr. rer. Ital. legitur *quod* ex gloſſa *τοῦ quia.* Adcedit denique, quod Mela, qui aperte haec in vſus ſuos conuertit, ita reddit 3, 6, 4.

Cap. II. 1. *Veſtale:* ita, non *Veſtali* cum Wetzelio. Nempe ideo hoc exemplum adtulit Charisius, vt doceret, ablatiuum in *e* deſinere, quando non de re, ſed de perſona dicatur; eamque lectionem viri docti ex linguae vſu probandam eſſe docuerunt, etſi ille quibusdam minime perpetuus eſt vſus.

2. *inteſtabiles:* proprie qui nec teſtimonium edere, nec teſtamentum facere poſſunt; hinc latiori ſenſu deteſtabiles, abiecti, quo ſenſu intelligitur in legibus 12. tabularum, tab. 7. Horat. 2. Satyr. 3, 181. — Ipſa res, quae ſpectatur, adcidit poſt cladem Cannenſem a. V. 537. vti diſcitur ex Gellio in praecedent. et Cicerone de offic. 1, 13. 3, 32.

Cap. III. 2. *partum:* pro *partium.* Similia exempla ex Caeſare et Ennio addit Charisius.

4. *aliud:* pro *alterum,* vt euitaret eiusdem verbi repetitionem.

Magalia: alii *Magaria* voluit, de quo cf. ad Melam 1, 8, 3. Notum eſt vtrumque nomen ex Virgilii Aen. 1, 371. et 425.

5. *Propius:* Nempe voluit hinc docere, *propius* etiam dativo iungi

6. *conſul:* a. V. 601. Caton. De Albino teſtis adcedit Cicero in Bruto 21, 2. *A. Albinus, inquit, qui Graece ſcripſit hiſtoriam, qui conſul cum L. Lucullo fuit, et literatus et diſertus fuit.* Ipſam rem teſtantur et alii.

Cato: viri docti putant, depromta haec eſſe ex M. Catonis vita, quae partem libri de viris inluſtribus conſtituit.

CAP. IV. 1. *erraſſe:* recte iudicat Gellius. Nempe Cicero, Caepione et Serrano COSS. (a. V. 646. Cat.) natus, Roſcium defendit Sulla et Metello COSS. (a. V. 672.) igitur tunc natus annos 27.

iisdem: quod contra fertur de Miloniana, etſi et hic dubitationem iniicit Plinius 1. epiſt. 20. qui adfirmat, Ciceronem, quae per plures dies latius dixerit, poſt reciſa ac purgata in vnum librum, grandem quidem, vnum tamen coarctaſſe. Fragmenta eius ſeruauit Aſconius Pedianus.

CAP. V. 3. *adgrederer:* paſſiue, non ſine aliorum exemplis, quamuis raris. Ita tamen paſſum etiam alia deponentia obcurrunt. Sic deinceps *adſpernatus.*

4. *Qui habet:* notatio diuitis, vt in Graecis ὁ ἔχων.

5. *huic:* Caeſari, de quo agitur in Suetonii loco. Ceterum eius eloquentiam laudat etiam Ciceronis Brutus 71.

6. *regnare:* cf. ſupra 1, 4.

7. *Haec quidem:* ſenſum verborum in hoc fragmento, non ipſa verba eſſe, facile quiuis ſentit. Ceterum, quod adparet, temere hic aliqua Nepotis fragmentis adnumerantur.

9. μετ' ἀμύμονα: reſpicit locum Homeri Il. 2, 674. eumque ad Nepotis laudem ſic transfert, vt ἀμύμονα Atticum eſſe, Nepotem plane diuinum adfirmet.

CAP. VI. 1. *Kalend. Martiis:* quibus *Matronalia* pro coniugii conſeruatione celebrabantur.

temporius: alii *temperius*, vt ego ipſe ante. Illud tamen Nepotis aeuo adcommodatius exiſtimaui.

3. ἑαυτοντιμωρουμένῳ: Terentii 4, 4, 1.

literatum: tenenda ſunt haec ac notanda vocabulorum adfinium discrimina, in primis de Grammaticis ſenſu

antiquo, qui ex Cicerone etiam et Suetonii libello, vnde haec ducta ſunt, notus eſſe aut diſci poteſt. Cf. tamen Erneſti clav. Cicer. his voc. Ceterum initium fragmenti ex emendatione Caſauboni codicis ope ita etiam exhibetur: *Cornelius Nepos libello quodam diſtinguit —*.

Cap. VII. 1. *vt recentior —*: locus hic non vna facie in editionibus Melae adparet. Codices plerique *vt recentior auctoritate, ſic certior*, meliores *vt recentior, ita auctoritate certior;* quod praetuli. Nempe *auctoritate certior* per adcommodationem ad *Nepos* ex inuerſione valet certiori auctoritate, i. e. fide, teſtimonio. Quod poſt *certior* vulgo hic inſeritur *tradit*, quum ſoli Vadiano debeatur, et ſine eo ſenſus loci expediri poſſit, nunc expuli.

Galliae: ita nunc dedi pro *Galliis*, quia id praeeunt codices, repetit Plinius 2, 67. et res ipſa ſuadet. Vti enim conſtat ex Ciceronis orat. pro Murena c. 2, obtigerat illi Gallia Cisalpina, Transalpina Murenae. Incidit autem in a. V. 690. quia praetor fuerat Cicerone conſule 689. conſul factus eſt a. V. 691.

Boiorum: ita nunc dedi pro *Baetorum*, quod hoc nomen plerorumque codicum indiciis propioribus infertur, etſi in magna illorum inconſtantia et diuerſitate aliorumque auctorum ſilentio pro lectionis eius fide ſpondere nolim. Quod enim Plinius 2, 67, vbi hanc Melae vel Nepotis narrationem repetit, habet *Suetiorum*, a Melae codicibus plane eſt alienum. Τῶν *Baetorum* i. e. Batauorum, vti explicatur, obſtat, quod nemo veterum illo tempore regem iis tribuit, cui parebant Boii, qui, etſi mediterranei fuerunt, Indos tamen illos nanciſci et ſic dono dare potuerunt.

cognoſſe: pro *cognouiſſe* ex plerisque Melae codicibus, et quod eam verbi contractionem praeter alios in apertis locis noſter amare videtur. cf. in Lyſandro extr. Eumene c. 3, 4.

2. *Largitudo:* hanc vocem ideo Chariſius produxit, vt moneret, nusquam niſi apud Nepotem inueniri.

3. *Lathurum:* Ptolemaeum Lathurum. Ipſum hoc nomen in omnibus Melae MSStis varie deformatum vindicant noſtro Plinius 2, 67. et Strabo lib. 17. p. 795. ed. Pariſ.

6. *ceperit:* a. V. 359. Cf. Liv. 5, 21.

7. *Hadriam:* adſpirationem dedi cognatorum auctoritati, adprobantibus etiam viris doctis.

dulcescente: cf. Mela 2, 4, 4. Sed tota illa de hoc effluuio narratio satis ab aliis ipsa re hortante explosa est.

Cornelius: vncis includitur, quia in libris quibusdam abest.

Cap. VIII. 1. *XX. M. P.:* alii XXII. M. P. Efficiunt autem decies centena milia passuum 250 miliaria Germanica; centum milia pass. 25. et tria milia stadiorum 94. Sic reliqua ad nostram rationem facile redigi possunt, si teneas, IV. M. P. vel 32 stadia efficere miliare Germanicum vnum.

6. *violacea:* Nempe duplex erat purpura, *violacea* et *Tyria.* Illa nobis dicitur *violet* s. *himmelblauer*, Graecis, vti interpretantur viri docti ap. Polyb. 39, 1. 2. Ὑακινθίνη, qua pretiosior *Tyria.*

7. *Sudines:* vetus scriptor, quem et alibi passim memorat Plinius. Pro *Carmania* alii legunt *Germania.*

Cap. X. 4. *Scandula:* ligneis asserculis. Hinc et Augustus auctore Suetonio in vita cap. 28. dicere solebat, se Romam adcepisse lateritiam, reliquisse vero marmoream.

5. *victoriam:* de Marianis.

6. *lineas:* sc. vestes.

7. *Carystio:* sc. marmore. Carystus vrbs Euboeae, Luna Liguriae.

Cap. XI. 3. *Momma quam:* pro his legitur etiam *Miniamque* vel *minimamque;* aperta corruptione. Substituendum videtur *Mona.*

omnibus, quae – alant: sic reposui, quia propius ad nexum valet, nec libris aduersatur, in quibus exstat etiam *omnibusque – alant.* Adcedit denique, quod Mela, qui hanc narrationis partem in suos vsus transtulit, ita reddit 3, 6, 4. Hinc vero minus recte a Cornelio Nepote ad Cornelium Tacitum particula haec a viris doctis deuoluitur. Etsi enim Annales scripsit Tacitus, ita tamen chronica etiam vocare poterat Iornandes. Maximum impedimentum a chronologica ratione obiicitur.

Cap. XII. *Epistola:* Attici vitae adiecta est in quibusdam codicibus. Schottus ex vetere libro descriptam adposuerat. Ceterum Cornelia haec eloquentiae laude inclaruit. Eius epistolas commemorat etiam Cicero in Bruto 58, 3.

1. *esse:* non est apud Pighium, qui hanc epistolam in Tomo 3. annal. Rom. edidit, et abesse commode potest. Tum notandum *atque* praecedente comparatiue.

ea: Pighius malit *eos* ſc. inimicos. Illud ad rem omnino refertur. *Si* eſt dummodo.

2. *multo:* propter temporis partiumque multitudinem. *Erunt:* manebunt, vt paſſim.

profligetur: cf. Pelopid. c. 2, 3. et hic paullo poſt §. 5. Ceterum ineſt ſenſus animi generoſus, ex quo ſpirat ſingularis patriae amor.

3. *deierare:* ſancte adfirmat, hîc etiam ad dictatam formulam.

necarunt: intelligit in primis Scipionem Naſicam. Vid. Aurel. Victor. de V. I. cap. 64.

4. *partis:* antique pro partes.

vtique: et vti.

aduerſum —: me reluctante, contra ſentiente.

5. *ſupereſt:* ſi maiorem diſtinctionem ſubiicias, vt quidam faciunt, referenda haec erunt ad *placere*, et ſequentia per interrogationem efferenda. Sin vero tantum inciſum minus ponas, ad *opitulari;* quae ratio facilior videtur.

6. *Denique:* quum in eadem re obcupetur adhortatio, nec rerum continuata ſeries, ſed temporis progreſſio ſpectetur, h. l. valet tandem. *Pauſa,* quae vox paſſim obcurrit, eſt finis, quies.

habentes —: alii *et abſentes et praeſentes.* Si illud praeferatur, ſenſus eſt: in ſumma noſtra opulentia et liberalitate. Sic ſupra c. 5, 4. *habere.*

perpudeſcet: verbum rarum, rara etiam ſtructura cum ablatiuo. Ita fere *pudet dictu* Tacitus in Agricola cap. 32.

8. *Deum parentem:* Iovem forte, ſi ſana quidem eſt lectio, quod tamen propter remotiorem ſenſum nexumque cum ſequentibus vix videtur. Subcurrit Salmaſius ad Solinum cap. 33. f. 31. p. m. 293. hac emendatione: *inuocabis Deos Manes parentis: Eo tempore ne pudeat eorum Deum* (i. e. Manium) *preces expetere;* nempe ſcriptum exſtitiſſe *D. M. parentis;* quam probat Graevius ad Ciceron. pro domo cap. 41. Ita quidem orationis curſus facilius procedit.

pudet: pro pudebit. Sic vero velut certius notatur.

preces: durius hoc et remotius. Quidam explicant inuocare, ſed praeter verborum notiones. Alii de rebus petitis. Heuſingerus precationes. Sed ne ſic quidem difficultas tollitur. Si recte habet vox *preces*, poſſit, eſſe

preces poſtulare, conquirere, Diis illis adcommodatas et adceptas, quas — *Expetere* enim eſt acriter concupiſcere ſimplicis notione aucta. Expeditior vtique ſit ratio, ſi pro *preces* cum Gronovio in diatribe in Statium cap. 44. p. 194. ſubſtituas *paces*, vti et ſimpliciter in repetenda hac epiſtolae particula ſcribit Graevius c. l. Tum idem ſublato interrogationis ſigno legit: *temporene pudebit*, pro quo Salmaſius *tempore ne pudeat* — Sic vero, ex voce *paces*, ſequentia melius intelliguntur. *Relictos atque deſertos habueris* dicitur pro ſimplici reliqueris atque deſeruerіs.

9. *ea:* vel ea ratione, via; vel ſimpliciter eſt adcuſatiuus, cum quo paſſim hoc verbum coniungi docuerunt Gronovius ad Liv. 22, 38, 13. et Staverenus in obſervatt. Miſc. Vol. 1c. p. 103.

CAP. XIII. 1. *Non ignorare:* haec duo fragmenta, Nepote non indigna, ex codice antiquo Guelpherbytano Ciceronis orationum Philippicarum, cui ad Ciceronis commendationem erant adſcripta, edidit primus Iac. *Fred.* Heuſingerus in diſſert. de Nepote, quae reperitur adnexa ed. Fiſcherianae; quare et hic praetermittere nolui. Sumta autem ſunt ex libro de hiſtoricis Latinis, qualem a Nepote ſcriptum ex aliorum teſtimoniis conſtat. Ipſam lectionem quae morentur, non obiiciuntur.



Stanford University Libraries
3 6105 124 430 823

DATE DUE

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
STANFORD, CALIFORNIA 94305-6004